BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Spinoza, Benedictus <<de>>,

B. D. S. Opera Posthuma

[S.l.] 1677

Rar. 4080
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10861255-5

Spinoza

Philos. Opera. 134. 4°

Rt. 133

Ran. 4080.



R

B.

S. VII.

366.

Fran. Cuperus patriciae Stadtholmiae civis materiam mundanam aeternam et increatam vide H. Sorbon. Tom. I oper. philol. p. 601.

ipsa opera edidit Ludovicus Meyerus Medicus Amstelodamensis Vide Weismanni Hist. eccles. tom. II p. 945.

Spinoza

B. D. S.

OPERA

POSTHUMA,

Quorum series post Præfationem exhibetur.

Schurzfleischius Arcan. Epistol. Tom. II. epist. CXII. p. 88. Abbas Rosarius de Tschirnhausii; multos Spinozae libros manu exaratos sibi comparasse, quos comitis dedisset amicorum deplorabilem impietatem amburi Bel; id quod Tschirnhausii agere tuli Bel. Lockius de sua Mentis identitate sic ait: Sed ista dicitur Nouuelle L'Histoire de Mr. Bayle p. 290.

Io. Colerus Scr. Mss. gestolan, in gramm. Arab, Systema philoso. Hebr. Spinozae ante hanc genuinum habere, regia Fundamentorum. Nouuelle de la rep. des lettres 1704 p. 103. Tom. II

Le nouuel athéisme renversé, ou refutation du Système de Spinosa, traité pour la plus part de la connoissance de la nature de Dieu; par un religieux de S. Maur a Paris. 1697. † François Lamy.

CIↃ IↃ C LXXVII.

† Vide L'Histoire des Ouurages des Sauans 1702. p. 285. mens. Mais.

ΟΙΟΙΟΣ ΓΥΧΧΑΙΓ

ROSTHOWN'S

OBERON

B. D. S.

PRÆFATIO.

LIcet ſcripta, Lector benevole, hoc libro contenta, maximam partem imperfecta, multò minùs ab ipſo Auctore examinata, polita, ac emendata ſint; ea tamen luci exponere non abs re viſum fuit, eò quòd non parùm utilitatis Orbi literato, nec parùm ſcientiæ Lectori Philoſopho dabunt, qui, neque veri ſpecie nixus, neque authoritate motus, ſolidas rationes, & indubitatas quærit veritates.

Et quamvis libri, in quo cuncta ferè Mathematicè demonſtrantur, parùm interſit, ut ſciatur, quibus parentibus ejus Auctor fuerit ortus, quamque vitæ inierit rationem (hæc enim ſatis ſuperque ex his ſcriptis manifeſta eſt) non inutile tamen fore viſum eſt, hæc pauca de ejus Vitâ narrare.

Fuit ab ineunte ætate literis innutritus, & in adoleſcentiâ per multos annos in Theologiâ ſe exercuit; poſtquam verò eò ætatis pervenerat, in quâ ingenium matureſcit, & ad rerum naturas indagandas aptum redditur, ſe totum Philoſophiæ dedit: quum autem nec præceptores, nec harum Scientiarum Auctores pro voto ei facerent ſatis, & ille tamen ſummo ſciendi amore arderet, quid in hiſce ingenii vires valerent, experiri decrevit. Ad hoc propoſitum urgendum Scripta Philoſophica Nobiliſſimi & ſummi Philoſophi Renati des Cartes magno ei fuerunt

Bayerische Staatsbibliothek München

adjumento. Postquam igitur se ab omnigenis occupationibus, & negotiorum curis, veritatis inquisitioni magnâ ex parte officientibus, liberâsset, quò minùs à familiaribus in suis turbaretur meditationibus, urbem Amstelædamum, in quâ natus, & educatus fuit, deseruit, atque primò Renoburgum, deinde Voorburgum, & tandem Hagam Comitis habitatum concessit, ubi etiam IX Kalend. Martii anno supra millesimum & sexcentesimum septuagesimo septimo ex Pthisi hanc vitam reliquit, postquam annum ætatis quadragesimum quartum excessisset. Nec tantùm in veritate perquirendà totus fuit, sed etiam se speciatim in Opticis & vitris, quæ Telescopiis ac Microscopiis inservire possent, tornandis, poliendisque exercuit; & nisi mors eum intempestiva rapuisset, (quid enim in his efficere potuerit, satis ostendit) præstantiora ab eo fuissent speranda. Licet verò se totum mundo subduxerit, & latuerit, plurimis tamen doctrinâ, & honore conspicuis Viris ob eruditionem solidam, magnumque ingenii acumen innotuit: uti videre est ex Epistolis ad ipsum scriptis, & ipsius ad eas Responsionibus.

Plurimum temporis in Naturâ rerum perscrutandâ, inventis in ordinem redigendis, & amicis communicandis, minimum in animo recreando insumpsit: quin tantus veritatis expiscandæ in eo ardor exarsit, ut, testantibus iis, apud quos habitabat, per tres continuos menses in publicum non prodierit; Quinimò, ne in veritatis indagine turbaretur, sed ex voto in eâ procederet, Professoratum in Academiâ Heidelbergensi, ei à Serenissimo

Electore

Electore Palatino oblatum, modestè excusavit, uti ex Epistolâ quinquagesimâ tertiâ & quartâ perspicitur.

Ex hoc veritatis studio, & summâ diligentiâ prodierunt anno CIↃ IↃ C LXIV *Renati Des Cartes Principiorum Philosophiæ pars* I & II *more Geometrico* ab Auctore nostro *demonstratæ*, quibus accessere Ejusdem *Cogitata Metaphysica*; anno verò CIↃ IↃ CLXX *Tractatus Theologico-Politicus*, in quo subtilissimæ & res consideratione dignissimæ, Theologiam, sacram Scripturam, atque vera, solidaque Reipublicæ fundamenta spectantes, tractantur.

Ex eodem fonte scaturiverunt, quæ hìc sub titulo B. D. S. OPERA POSTHUMA Lectori communicantur: sunt verò hæc omnia, quæ ex adversariis, & quibusdam apographis inter amicos, ac familiares delitescentibus colligere licuit. Et quanquam credibile est apud hunc, aut illum aliquid, à nostro Philosopho elaboratum, absconditum esse, quod hìc non invenietur; existimatur tamen, nil in eo inventum iri, quod sæpius in his Scriptis dictum non sit; nisi fortè sit Tractatulus de Iride, quem ante aliquot annos, ut quibusdam notum, composuit, quique, nisi eum igni tradidit, ut probabile est, alicubi delitescit.

Nomen Auctoris in libri fronte, & alibi literis duntaxat initialibus indicatum, non aliâ de causâ, quàm quia paulò ante obitum expressè petiit, ne Nomen suum Ethicæ, cujus impressionem mandabat, præfigeretur; cur autem prohibuerit, nulla alia, ut quidem videtur, ratio est, quàm quia noluit, ut *Disciplina ex ipso habe-*

haberet vocabulum. Dicit etenim in Appendice quartæ partis Ethices capite vigesimo quinto, quòd, *qui alios consilio, aut re juvare cupiunt, ut simul summo fruantur bono, minimè studebunt, ut Disciplina ex ipsis habeat vocabulum*; sed insuper in tertiâ Ethices parte Affectuum Definit. XLIV. ubi quid sit ambitio explicat, eos, qui tale quid patrant, non obscurè, ut Gloriæ cupidos, accusat.

Quantum verò ad hæc ejus scripta, quamvis ad primam Ethices partem præfatio requiratur, ea tamen alia longis parasangis superat, proque absoluto, & perfecto operæ haberi potest. Hanc noster Philosophus in quinque partes distribuit, quarum prima tractat *de Deo*, secunda de *Mente humanâ*, tertia de *Origine & Naturâ Affectuum*, quarta de *Servitute humanâ*, & unà de Regulâ & vivendi Normâ, deque hominum bono & malo, quinta denique de *Potentiâ intellectûs*, seu *de Libertate humanâ*, nec non de Mentis æternitate.

In primâ parte demonstratur, quòd Deus

I. *Necessariò existat*,

II. *Unicus sit*,

III. *Ex solâ suæ Naturæ necessitate sit & agat*,

IV. *Omnium rerum causa libera sit, & quòd omnia in Deo sint, & ab ipso ità pendeant, ut sine ipso nec esse, nec concipi possint.*

V. *Denique quòd omnia à Deo fuerint prædeterminata, non quidem ex Libertatis Voluntate, sive absoluto beneplacito; sed ex absolutâ Dei Naturâ, sive absolutâ potentiâ.*

Quod difficultates attinet, à nonnullis Tractatui

Theo-

Theologico-Politico oppoſitas, quòd ſcilicet primò Auctor Deum, & Naturam confundat, vel (ut illi volunt) pro uno, eodemque habeat; & ſecundò quòd omnium rerum, & actionum fatalem ſtatuat neceſſitatem; ad earum priorem reſpondet in Epiſtolâ Vigeſimâ primâ, ad Clariſſimum Virum D. Oldenburgium ſcriptâ, hiſce verbis. *Deum omnium rerum cauſam immanentem, ut ajunt, non verò tranſeuntem ſtatuo. Omnia, inquam, in Deo eſſe, & in Deo moveri cum Paulo affirmo, & fortè etiam cum omnibus antiquis Philoſophis, licet alio modo; & auderem etiam dicere, cum antiquis omnibus Hebræis, quantum ex quibuſdam traditionibus, tametſi multis modis adulteratis, conjicere licet.* Ad poſteriorem verò in Epiſtolâ Vigeſimâ tertiâ, ad eundem datâ, ità reſpondet. *Hîc paucis explicare volo, quâ ratione ego fatalem omnium rerum, & actionum neceſſitatem ſtatuam. Nam Deum nullo modo fato ſubjicio, ſed omnia inevitabili neceſſitate ex Dei Naturâ ſequi concipio, eodem modo, ac omnes concipiunt ex ipſius Dei Naturâ ſequi, ut ſe ipſum intelligat; quod ſanè nemo negat ex Divinâ Naturâ neceſſariò ſequi, & tamen nemo concipit, Deum fato aliquo coactum, ſed omninò liberè, tametſi neceſſariò ſe ipſum intelligere. Deinde hæc inevitabilis rerum neceſſitas nec jura divina, nec humana tollit. Nam ipſa moralia documenta, ſive formam legis, ſeu juris ab ipſo Deo accipiant, ſive non, Divina tamen ſunt, & ſalutaria; & ſi bonum, quod ex Virtute, & amore Divino ſequitur, à Deo tanquam Judice accipiamus, vel ex Neceſſitate Divinæ Naturæ emanet, non erit propterea magis, aut minùs optabile, ut nec contrà mala, quæ ex pravis actionibus, & affectibus ſequuntur,*

ideò

ideò, quia neceſſariò ex iiſdem ſequuntur, minùs timenda ſunt, & denique, ſive ea, quæ agimus, neceſſariò, vel contingenter agamus, ſpe tamen, & metu ducimur. Hæc fatalis rerum neceſſitas, quâ à cauſis ad exiſtendum, & operandum determinantur, quæ cauſæ rurſus ab aliis quoque cauſis ad exiſtendum, ac operandum determinatæ ſunt, & hæ iterum ab aliis, & ſic ad Deum uſque (primam omnium cauſam omnia producentem, non verò productam) procedendo, à noſtro Philoſopho Propoſitionibus 26. 27. 28. 29. Partis I Ethices demonſtratur.

Deum abſolutè omnium rerum cauſam eſſe, & omnia ex Deo emanare ſi ſtatuatur, ſequi inde videtur eundem & peccati, & mali cauſam eſſe. Sed verò ad hanc difficultatem, & ad id, quod inde dependet, noſter Philoſophus reſponſum dat Epiſtolis 32. 34. & 36. Clarum inſuper, ac manifeſtum eſt, nullam penitùs poſſe eſſe diſſenſionem de eo nempe, quòd ex Deo omnia fluant, & quòd ab ipſo æterno decreto determinata & præordinata ſint, cùm id ipſum multi Chriſtiani non modò credant, ſed quoque tanquam neceſſariam veritatem propugnent.

Memoratis difficultatibus hæc ſuperadditur, quòd ſcilicet Auctor aliam planè Regulam & vivendi Normam, &, quantum ſummum hominis bonum ſpectat, aliud omninò ſtatuat, quàm vel Chriſtus Servator noſter, vel Apoſtoli ejus in Sacrâ Scripturâ tradidere. Ut hæc quoque removeatur difficultas, non inconſultum videtur, hâc de re Auctoris ſententiam ob oculos ponere, & dein-

& deinceps oſtendere, eam nullâ in re à Doctrinâ Chriſti, & Apoſtolorum diſcrepare. Hæc, ut modò dictum eſt, noſter Auctor in quartâ Ethices Parte tractat; & Propoſitionibus 26 & 27 demonſtrare annititur, *Mentem, quatenus ea ratione utitur, hoc tantùm ſibi utile judicare, quod ad intelligendum conducit; illud verò malum, quod impedire poteſt, quò minùs intelligamus.* Demonſtrat porrò Propoſitionibus 23, & 24 in eâdem quartâ Parte, Virtutis eſſe res tantùm intellectualiter, vel adæquatè concipere, & *ex ideis adæquatis agere nihil aliud eſſe, quàm ex virtute abſolutè agere.* Hinc elicit Propoſitione 28 ejuſdem Partis, *quia Deus eſt ſummum, quod à Mente percipi poteſt, Dei notitiam ſummum Mentis bonum, & Deum cognoſcere ſummam Mentis eſſe Virtutem.* Præterea, *quicquid cupimus, & agimus, cujus cauſa ſumus, quatenus Dei habemus ideam, ſive quatenus Deum cognoſcimus, ad Religionem refert: Cupiditatem autem bene faciendi, quæ ex eo ingeneratur, quòd ex rationis ductu vivimus, Pietatem vocat. Cupiditatem deinde, quâ homo, qui ex ductu rationis vivit, tenetur, ut reliquos ſibi amicitiâ jungat, Honeſtatem vocat, & id honeſtum, quod homines, qui ex ductu rationis vivunt, laudant, & id contrà turpe, quod conciliandæ amicitiæ repugnat*, Ibid. in Schol. 1. Prop. 37.

Sed & Prop. 35. monſtrat, *homines, quatenus ex ductu rationis vivunt, eatenus tantùm neceſſariò, & ſemper* (quatenus nimirum intellectus, voluntas, cupiditas, aliique ſpectantur affectûs) *convenire: eos illud bonum, quod ſibi appetunt, reliquis hominibus etiam cupere*, Prop. 37. & eò magis, quò majorem Dei acquiſiverint notitiam: *eoſque, quantum*

tum possunt, conari alterius Odium, Iram, Contemptum &c. amore contrà, sive Generositate compensare Prop. 46.

Elicit porrò *ex Definitionibus Amoris, & Intellectus istos, qui Odium amore expugnare student, lætos, & securos pugnare, ac æquè facilè uni homini, ac pluribus resistere, & Fortunæ auxilio quàm minimè indigere; quos verò vincunt lætos cedere, non quidem ex defectu, sed ex incremento virium.* Vid. Schol. Prop. 46. Agit autem de differentiâ, quæ inter hominem, qui solo affectu, seu opinione, & eum, qui ratione ducitur, intercedit, in Scholio Prop. 66. dictæ Partis, affirmatque *illum, velit nolit, ea agere, quæ maximè ignorat; hunc verò nemini, nisi sibi soli, morem gerere, & ea tantùm agere, quæ in vitâ prima esse novit, quæque propterea maximè cupit;* & ideò illum Auctor priorem Servum, sed posteriorem Liberum vocat.

Liberorum omnium Virtutem æquè magnam cerni in declinandis, quàm in superandis periculis, monstrat ibidem Prop. 69. item *eos erga se invicem gratissimos esse,* Prop. 71. & nunquam *dolo malo, sed semper cum fide agere,* Prop. 72. & liberiores esse *in Civitate, ubi ex communi decreto vivunt, quàm in solitudine, ubi sibi solis obtemperant,* Prop. 73.

Hæc, quæ de Verâ Libertate ostendit, ad Fortitudinem in Scholio ejusdem Prop. refert, & dicit, *Virum Fortem neminem odio habere, nemini irasci, nemini invidere, indignari, neminem despicere, miniméque superbire.*

In quintâ Ethices Parte conatur demonstrare, quòd nos per intellectum, vel per merè intellectualem, & adæquatam, quam de Deo, rebusque acquirimus, cognitionem,

tionem, pravos affectûs ſuperare, & inde [o] *ſummam, quæ dari poteſt, Mentis Acquieſcentiam, ut & Dei* [p] *amorem æternum oriri*, & denique *in* [q] *conſtanti hoc, & æterno erga Deum amore noſtram ſalutem, ſeu beatitudinem, ſeu Libertatem conſiſtere.*

Hæc ſunt præcipua eorum, quæ Philoſophus noſter de rectâ vivendi ratione, ſummoque hominis Bono à Ratione dictari demonſtrat. Si hæc cum iis, quæ Servator noſter Jeſus Chriſtus, ejuſque Apoſtoli docuerunt, comparentur, non tantùm ſumma inter ea deprehendetur convenientia; ſed & perſpicietur, quæ Ratio præſcribit, eadem planè eſſe cum iis, quæ ipſi tradidere; quin videbit dogmata Moraliâ Religionis Chriſtianæ in iis perfectè contineri: quicquid enim Servator noſter, & Apoſtoli docuerunt [r] ſummatim in hoc comprehenditur, Deum ſcilicet ſupra omnia, proximum verò, ut ſe ipſum, eſſe diligendum; imò eundem Dei, & proximi Amorem in eo, quod Auctor noſter demonſtrat, à Ratione præſcribi, manifeſtum eſt.

Ex jam dictis clarè patet, quâ de cauſâ Apoſtolus ad Rom. 12. verſ. 1. Chriſtianam Religionem dicat eſſe Rationalem: quia nimirùm Ratio eam præſcribit, eaque ratione fundatur. Eraſmus in ſuis ad hunc locum Annotationibus notat, Originem ea, quorum ratio poteſt reddi, vocâſſe Rationalem Religionem, & addit Theo-

[o] *Prop. 27. Part. 5. & Prop. 52. unà cum Schol. Part. quartæ.* [p] *Vid. Corollar. Prop. 32. & 33.* [q] *Vid. Schol. Prop. 36. Part. quintæ.* [r] *Matth. cap. 7. verſ. 12. & cap. 22. verſ. 37. 38. 39. 40. Luc. cap. 10. verſ. 27. 28. Rom. cap. 13. verſ. 8. 9. 10. Gal. cap. 5. verſ. 14.*

phylactum affirmare, omnes noſtras actiones juxta Rationis præſcriptum perficiendas eſſe, cui etiam Eraſmus ſubſcribit.

Regenerationem, ſine quâ nemo in regnum Dei intrare poteſt, includi in Dei Amore, qui (demonſtrante id ipſum noſtro Philoſopho) ex cognitione Dei intellectuali oritur, manifeſtò videre eſt ex iis, quæ Apoſtolus Johannes in 1 Epiſtolâ cap. 4. verſ. 7. 16. 17. 18. comparatis cum verſ. 20. 21. de Amore teſtatur. Præterea Regenerationem conſiſtere in victoriâ, quam in malos affectûs obtinemus, & in terrenarum, & vanarum Cupiditatum mortificatione, quæ naturaliter in nobis inveniuntur; & è contrario in bonarum, ſive talium Cupiditatum acquiſitione, quæ id tantummodò, quod Verum, & Bonum eſt, ſpectant, ut & in acquiſitione Dei Amoris, Pacis, vel veræ animi Acquieſcentiæ, Lætitiæ, Veritatis, Juſtitiæ (quæ conſtans, æternaque ſuum cuique tribuendi eſt voluntas) & Benignitatis, &c. quæ, prout Philoſophus noſter evincit, ſunt neceſſarii fructus intellectûs. Hoc, inquam, manifeſtum eſt ex iis, quæ Apoſtolus in Epiſtolâ ad Epheſ. 4. verſ. 22. 23. & 24. & ad Coloſſ. 3. verſ. 9. 10. de Vetere, & Novo Homine, & in eâ ad Rom. cap. 8. à verſ. 5. ad 15. nec non ad Gal. 5. verſ. 16. ad finem uſque, de imperio Spiritûs in carnem dicit.

Quòd Veritatem rei, ad ſalutem ſcitu neceſſariæ, pro viribus conari intelligere, puraſque intellectuales nanciſci perceptiones, ac ſecundùm eas agere, hoc eſt, juxta ratio-

rationis dictamen vivere, neque cum Sacrâ Scripturâ, neque cum Religionis Christianæ fundamentis (quod à multis creditur, qui tantùm literâ, non autem Spiritu, seu ratione ducuntur) pugnet; sed magnam partem cum utrisque conveniat, id *primò* ex iis [t] Scripturæ locis elucet, in quibus Meditatio & acquisitio Veritatis, & [u] Sapientiæ, & Notitiæ intelligitur, atque commendatur; nec non ex iis, in quibus Sapientia, Notitia, & Intelligentia, ut actionum salutiferarum causæ statuuntur. Quis enim inficias ibit, hujus notitiæ, hujus intelligentiæ, &c. objectum dogmata salutis esse, seu id, quod ad salutem obtinendam necessariò sciendum est? Sed & cui rei tam meditatio, quàm acquisitio veritatis, intellectûs &c. inservit, si nostrum non sit juxta ejus dictamen tam vivere, quàm operari? Nec putandum est vocabulis Veritatis, Sapientiæ, Notitiæ &c. in Sacrâ Scripturâ cognitionem aut animi assensum, literâ, vel Scripturæ testimonio nixam

[t] *Jobi* 28. *vers.* 12. *ad vers.* 20. *Prov.* 1. *vers.* 20. *ad finem*, & *cap.* 2. *vers.* 1. *ad vers.* 13. *cap.* 3. *à vers.* 10. *ad* 18. *cap.* 4. *vers.* 5. 6. 7. *cap.* 7. *vers.* 4. 5. *cap.* 8. *passim. cap.* 16. *vers.* 22. *cap.* 23. *vers.* 23. 1 *Cor.* 14. *vers.* 20. *Gal.* 3. *vers.* 1. *Coloss.* 2. *vers.* 2. 3. 1 *Tim.* 2. *vers.* 3. 4. 1 *Pet.* 2. *vers.* 2. 9. Quid hoc nono versu per Christi lucem admirabilem, ad quam vocat eos, qui in [ignorantiæ] tenebris hærent, intelligendum sit, ii percipient qui norunt, eos, qui talem de Deo, ejusque voluntate notitiam possident, quæ vel lege, vel Scripturâ nititur, (uti vulgus Judæorum. *Vid. Rom.* 2. *vers.* 17. 18. & speciatim vocati habebant) adhuc in [ignorantiæ] caligine versari, & perfectam claritatem veritatis, seu veræ, & puræ intellectualis perceptionis esse proprietatem. [u] Vide de effectibus Veritatis, Notitiæ, &c. locos allegatos ex Proverbiis, iisque adde *Jes.* *cap.* 33. *vers.* 6. *cap.* 53. *vers.* 11. *Matth.* 13. *vers.* 15. 23. *Joh.* *cap.* 8. *vers.* 31. 32. *cap.* 17. *vers.* 3. *Philipp.* 3. *vers.* 8. 9. 10. *Jac.* 3. *vers.* 17.

denotari: tum enim magna reverâ denotaretur inſcitia, cum in iis tantùm locum haberet, qui omni Veritate, Sapientiâ, &c. deſtituuntur.

Secundò autem, quî fieri poteſt, ut purè intellectuales, & adæquatas ideas de articulis, ad ſalutem ſcitu neceſſariis, habere, & juxta eas ex dictamine Rationis vivere, & agere, non conveniret cum Chriſtianæ Religionis fundamentis? quum *primò* Sacræ literæ, omnibus Chriſtianis concedentibus, quæ documenta invicem contraria continere nequeunt, multis in locis id doceant, ut modò oſtenſum: *deinde* quum Novum fœdus, quod Deus per Chriſtum inſtituit, cujuſque [w] Chriſtus eſt Mediator, in hoc conſiſtat, quòd Deus ſuas Leges, quas [x] tabulis inſculptas Iſraelitis notas fecerat, mentibus hominum inſcribat, hoc eſt, efficiat, ut iſtarum Legum ſenſum intelligant: ſed *tertiò*, quum hujus fœderis miniſtri non ducantur per literam, ſeu Scripturam, quemadmodum ii, qui [y] miniſtrârunt ſub Veteri fœdere; ſed per [z] Spiritum, hoc eſt, per intellectum, prout ex primo, nec non ex teſtimonio Johannis cap. 5. verſ. 6. & alibi patet. Manifeſtum ergo eſt, ea cum fundamentis Chriſtianæ Religionis concordare.

Quia verò id, quod hîc de Novo fœdere, ſive de Religione Chriſtianâ demonſtratum eſt, multùm differt ab

[w] *Hebr. cap. 8. verſ. 6. cap. 9. verſ. 15. cap. 12. verſ. 24.* [x] *Jer. cap. 31. verſ. 33. 34. 2 Cor. cap. 3. verſ. 3. Hebr. cap. 8. verſ. 8. 9. 10. cap. 10. verſ. 16.* [y] *Rom. cap. 2. verſ. 27. 29. cap. 7. verſ. 6. 2 Cor. cap. 3. verſ. 6. 7. 9. Hebr. cap. 7. verſ. 16.* [z] *Vide tria allegata loca, & Rom. cap. 8. uſque ad verſ. 17. Gal. cap. 2. verſ. 18. 25.*

eo,

eo, quod plerumque de eo vulgus credit; & quia præjudicia, quibus ii laborant, qui aliam hâc in re fovent ſententiam, in cauſâ eſſent, quòd hiſce pauci aſſenſum præberent, quædam notatu digna Scripturæ Teſtimonia proferenda ſunt, unde liquidò appareat munus Chriſti Salvatoris noſtri, & Finem, ob quem in mundum venit, primarium fuiſſe homines hanc docere notitiam, ne cæcorum ritu, ſicut Judæi per Legem, mandatumve; ſed per lumen cognitionis ducerentur.

Primum ergo Teſtimonium eſt Johannis Baptiſtæ in Evangelio Johannis cap. 1. verſ. 17. quod ſic habet, *Lex, per Moſen eſt data, gratia & veritas per Chriſtum facta eſt*; hoc eſt, Moſes inſtituit, ut per Legem, vel præceptum ducerentur homines, & vi Legis, vel præcepti operarentur; Chriſtus verò docuit, ut per [b] lumen Gratiæ, ac Veritatis ducerentur, viverent, & agerent.

Alterum Teſtimonium eſt ipſius Servatoris, qui roganti Pilato, num Rex eſſet, ità Johan. cap. 18. verſ. 37. ex Syriacâ Tremellii verſione, & cap. 17. verſ. 17. inverſo reſpondit: *ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtarer de veritate:* nempe, hanc veritatem Dei Rationem, vel intellectum eſſe. Utor voculâ *Rationis*, non autem *Verbi*; ſic enim Originale, & Græcum vocabulum [c] λόγος plerumque vertitur, & eo Apoſtolus Johannes filium Dei innuit: *primò*, quia teſtibus Eraſmo

[b] *Vide Joh. cap. 1. verſ. 4. 9. & cum iis compara verſ. 1. & 14. item cap. 8. verſ. 12. cap. 12. verſ. 35. 36. 46. quos compara cum cap. 14. verſ. 6.*
[c] *Vide Joh. cap. 1. verſ. 1. & 14. 1 Joh. cap. 1. verſ. 1. cap. 5. verſ. 7. & Apoc. cap. 14. verſ. 13.*

in

in Annotationibus ſuis ad verſ. 1. cap. 1 Evangelii Johannis, aliiſque Linguarum peritis vox λόγος multò meliùs per *Rationem*, quàm per *Verbum* exprimitur: *deinde*, quia id, quod Johannes de voce λόγος pronunciat, optimè de *Ratione* internâ, vel de intellectu, nullatenus verò de Verbo, vel verbis intelligi, aut iis applicari poteſt. Hæc *Ratio in initio apud Deum*, quin *ipſa Deus fuit*, hoc eſt de divinâ Naturâ participavit; *ſine hâc nihil eorum, quæ facta ſunt, facta fuerunt, in hâc fuit Vita*, & hæc vita *fuit lumen hominum* intellectuale teſte Johanne in Evangelio cap. 1. verſ. 1. 2. 3. 4. Quem latet, internam Dei Rationem, ſeu intellectum non differre ab ipſo Deo, & ideò in principio apud Deum, ipſamque Deum fuiſſe, vel eſſentiæ divinæ fuiſſe participem? quis inficiatur, ſine ejus operâ nihil factum eſſe, & denique hominum mentem à Mente divinâ admirabili lucè illuſtrari? Quod autem hæc de *verbo*, vel *verbis* ore prolatis, quæ, in ſe conſiderata, non niſi aëris ſunt motus, intelligi nequeant, videtur adeò manifeſtum eſſe, ut ſupervacaneum foret, id rationibus evincere. Et quamvis Eraſmus voce λόγος, quam *rationem* interpretatur, non *internam*, ſed externam potiùs *Rationem* intellexerit, quia tamen cum aliis Linguarum peritis expreſſè teſtatur, vocem λόγος apud Græcos quoque internam rationem ſignificare, nihil impedit, quò minùs hoc ſenſu ſumatur.

Chriſtus porrò de Veritate teſtatur, quòd *ſanctificet* Johan. 17. verſ. 17. 19. quòd *regeneret* Joh. 3. verſ. 5. 6. Tit. 3. verſ. 5. comparat, cum 1 Johan. 5. verſ. 6. quòd homi-

hominem reverâ *liberum reddat*, Johan. 8. verſ. 31. 32. quòd per illam in *omnem veritatem ducamur*, Johan. cap. 14. verſ. 26. & cap. 15. verſ. 16. & cap. 16. verſ. 13. quòd per eam ſolam *ad Deum accedamus*, Joh. 14. verſ. 6. comparat. cum 1 Cor. cap. 1. verſ. 24. & denique quòd nihil omnino ſine eâ poſſimus facere, quod ad ſalutem requiritur, Johan. 15. verſ. 3. 4. 5. comparat. cum Johan. 14. verſ. 6. in quo loco id, quod de ſe ipſo Chriſtus dicit, ſe nempe *eſſe veritatem*, neceſſariò eo ſenſu accipiendum eſt, quemadmodum ſumitur eo in loco, in quo Salomon affirmat ſe Intellectum, & æternam Sapientiam eſſe.

Quòd id, quod Chriſtus Matth. 5. verſ. 17. 18. expreſſis verbis indicet, *ſe non veniſſe, ut Legem deſtruat, ſed ut compleat*, & affirmet fore, ut *cœlum, & terra citiùs tranſeant, quàm vel jota*, (minima Alphabeti litera) *de lege*, minimè cum Chriſti, vel Johannis teſtimonio pugnat, is percipiet, qui attendit, primò obligationem agendi, quod Lex jubet, & id, quo ii, qui ſub Lege ſunt, ad obedientiam ei præſtandam inſtigantur, duas res valdè diverſas eſſe. *Secundò* hanc obligationem non minùs in iis locum habere, & ad eos ſpectare, quibus lumen Gratiæ, & Veritatis illuxit, & ex rei cognitione mandata Legis exequuntur, quàm in iis, qui ex Legis præſcripto vivunt, & ex ſolo ejus mandato eadem præſtant: hinc enim facilè intelligere eſt, Jeſum Chriſtum de hâc tantùm obligatione hoc in loco, non verò de Vitâ juxta Legem inſtituendâ loqui.

***

Hæc

Hæc tamen clariùs percipiuntur ex iis, quæ ab Apostolo de Lege Dei traduntur; nimirùm quòd *per Christum à Lege liberemur*, & *redimamur*, Rom. 7. vers. 6. cap. 8. vers. 2. & Gal. 4. vers. 5. quòd *per Christi corpus Lex nobis sit mortua*, Rom. 7. vers. 4. 6. Gal. 2. vers. 19. quòd *Lex tum desinat*, *quando venit fides*, Gal. 3. vers. 23. 24. 25. quòd *ministerium literæ aboleatur*, 2 Cor. 3. vers. 7. [illegible] & Hebr. 7. vers. 16. 18. quòd ii, qui [illegible] *sunt sub gratiâ*, non sint *sub* [illegible], Rom. 6. vers. 14. 15. & denique quòd *Lex justis non sit posita* 1 Tim. 1. vers. 9. Gal. 5. vers. 22. 23. Quoniam verò ex allegatis locis planum est, Apostolum non modo de Lege Ceremoniali, sed speciatim de Lege Morali loqui, hæc non possunt intelligi, uti indubitatè ex ipsius Servatoris explicatione, Apostolique testimonio ad Romanos cap. 8. vers. 3. 4. & cap. 13. vers. 8. 9. 10. & alibi apparet, de obligatione eâ, quam Lex præscribit: sed duntaxat de vitâ, & operibus secundùm Legem, instituendis capienda sunt.

Tertium, & ultimum Testimonium est Apostoli Pauli in Epistolâ ad Ephes. cap. 4. vers. 11. 12. 13. collatis cum vers. 14. & 15. Christus *dedit alios quidem Apostolos*, *alios verò Prophetas*, *alios autem Evangelistas*, *alios autem Pastores & Doctores*, *ad perfectionem Sanctorum*, *ad opus Ministerii*, *ad ædificationem Corporis Christi. Donec perveniamus nos omnes ad unitatem fidei*, *& agnitionis filii Dei in Virum adultum*, *ad mensuram plenæ staturæ Christi.* Nam quis neget Paulum docere, Christum dedisse Apostolos, Prophetas, &c. in eum finem, ut nos omnes cognosceremus,

remus, quemadmodum Christus cognovit; quin ut ad magnam scientiæ Christi mensuram perveniremus? Quis dubitet eorum laborem, opusque Ministerii eò spectâsse, ut homines tantâ Scientiâ imbuerent? Quis denique renuat per eam scientiam, ejusve acquisitionem Sanctorum perfectionem effici, & ità Christi corpus ædificari?

Manifestum porrò est, quòd cognitio de nostro Servatore, & consequenter talis, qualem omnibus apprecatur, Veritatis, seu purè intellectualis de Deo, ejusque Voluntate sit cognitio; non verò ea, quæ Authoritate, vel externo nititur Testimonio. Atque hoc patet primò inde, quòd Jesus Christus Patris sui voluntatem, seu veritatem salvificæ doctrinæ, quam ipse prædicavit, intellexit, quodque ejusmodi Scientia, quæ externo firmatur testimonio, in eo locum nullum habuit. Secundò quatenus rei ad salutem scitu necessariæ cognitione imbuimur, quæ externo nititur testimonio, non pervenimus ad unitatem fidei, quòd scilicet inter nos, & cum *Christo unum* sumus, *quemadmodum ille cum Patre unum est* Johan. 17. vers. 21. 22. 23. Gal. 3. vers. 28. neque ad firmitatem, Ephes. 4. vers. 14. quam Apostolus flagitat; quamque, ut necessariam sequelam, ex cognitione Christi profluentem, statuit: sed quatenus ejus rei veritatem percipimus. Sed & jam demonstrata, fiunt quoque ex vers. 15. plana.

Plura, quàm hæc tria, possent produci Testimonia, quibus ea, quæ hîc demonstranda sunt, non minori efficaciâ confirmantur: verùm ne nimis insistatur rei,

ex Sacris literis tam manifeſtæ, hoc duntaxat dicendum, præcipuum, quòd Scriptura de fide ſalvificâ teſtatur, ſine quâ, ut omnes Chriſtiani concedunt, nemo Chriſtianus eſſe poteſt, & per cujus fidei participationem quilibet Chriſtianus evadit, niti penitùs ſpirituali, ſive merâ intellectuali cognitione; quin id de eâ ſolummodò & poſſe, & debere intelligi, quod ea ſit *fides Dei*, Rom. c. 3. verſ. 3. *fides Jeſu Chriſti*, Rom. 3. verſ. 22. 26. Gal. 2. verſ. 16. cap. 3. verſ. 22: Philip. 3. verſ. 9. *filii Dei*, Galat. c. 2. verſ. 20. (in Deo enim, ut quivis novit, cui Deus innotuit, non alia, quàm intellectualis tantùm cognitio locum habet; Chriſtus autem veritatem doctrinæ ſalutis, quam prædicavit, intellexit) ipſa *Veritas*, 2 Theſſ. cap. 2. verſ. 13. 1 Timoth. 2. verſ. 7. *Cognitio veritatis*, Tit. 1. verſ. 1. Johan. 17. verſ. 3. *Sapientia*, Actor. 6. verſ. 5. 8. collat. cum verſ. 10. Rom. 10. verſ. 8. comparat. cum 1 Cor. cap. 1. verſ. 24. 2 Cor. 2. verſ. 16. *Spiritus* 2 Cor. 4. verſ. 13. *fructus Spiritûs* 1 Cor. cap. 12. verſ. 9. Gal. 5. verſ. 22. *Verbum*, Rom. 10. verſ. 8. quo notitiam rei ad ſalutem ſcitu neceſſariæ non externè, ſed internè in animo conſequimur; *Teſtimonium Dei, quod teſtificatur in nobis de filio ſuo*, 1 Johan. 5. verſ. 10. *Donum*, Rom. 12. verſ. 3. Epheſ. 2. verſ. 8. *Opus Dei*, Joh. cap. 6. verſ. 29. quo *Charitas*, Gal. 5. verſ. 6. & noſtra *Regeneratio*, vel *Spiritualis vivificatio*, & *ſalus*, Coloſſ. 2. verſ. 12. 1 Petr. cap. 1. verſ. 5. 1 Joh. 5. verſ. 4. efficaciter perficitur; *alia Lex* Rom. 3. verſ. 27. Galat. 3. verſ. 11. 12. ſeu aliud vitæ exemplar, quàm vel Legis, vel mandati; id, quo Sacri

Codi-

Codicis ſenſus eruendus, & res in eo contentæ noſcendæ ſunt, 2 Timoth. 3. verſ. 15. id, quod perfectam continet certitudinem, Hebr. cap. 10. verſ. 22. & cap. 11. verſ. 1. Epheſ. 6. verſ. 16. Coloſſ. 2. verſ. 5. & abſolutè omnem excludit dubitationem, Matth. 21. verſ. 21. Rom. 14. verſ. 23. Jacob. 1. verſ. 6. & denique quo *Lex ſtabilitur*, Rom. 3. verſ. 31. (vocula *Lex* hoc loco denotat obligationem faciendi Legis mandatum; non verò juxta Legem vivendi, & operandi Rationem) & quo Dei juſtificatio tantummodò datur, quæ neque per *Legem*, Gal. 3. verſ. 11. 21. Philip. 3. verſ. 9. neque ex *Legis operibus*, Rom. 3. verſ. 21. 28. cap. 9. verſ. 31. 32. Gal. 2. verſ. 16. obtineri poteſt, quæque per *Legem*, & Prophetas, hoc eſt, per Sacras Literas teſtimonium accepit, & ſine Lege, hoc eſt, abſque Scripturâ revelata fuit, Rom. 3. verſ. 31.

Quæ Lex, & Prophetæ teſtantur, & ſine Lege, aut Scripturâ manifeſtantur: (hæc etenim ſibi invicem contrariari videntur, multique percipere non potuerunt) ea propriè ſunt, quæ non niſi Spiritu, ſeu puro intellectu intelliguntur. Hujus generis ſunt, verbi cauſâ, Dei filius, hoc eſt, Dei λόγος, ſeu Dei Sapientia, Veritas, Juſtitia ante memorata, quia præſtantiſſimus animi Habitus eſt; & generatim Rerum Eſſentiæ. Nam quoniam S. Scriptura de iis teſtatur, & ea ex Sacræ Scripturæ teſtimonio cognoſci nequeunt, præter externum Scripturæ, inſuper *Revelatio* (loquor cum Scripturâ) vel internum Spiritus teſtimonium requiritur.

Hæc ſola fuit ratio, quòd poſtquam Jeſus Chriſtus &

diſcipulis, & Judæis omnem Patris ſui voluntatem aperuiſſet externis verbis, iis præterea dicat, quòd *nemo ad ſe poteſt venire, niſi ei à Patre datum fuerit*, Joh. 6. verſ. 65. quòd, quò ad ſe veniant, neceſſe ſit, ut *à Deo audiverint, & ab eo didicerint*, Joh. 6. verſ. 44. 45. cap. 5. verſ. 37. cap. 8. verſ. 43. 47. quòd *Spiritus veritatis* ubi veniſſet, eos *omnia doceret*, de *ſe teſtimonium perhiberet*, eoſque in *omnem duceret veritatem*, Joh. 14. verſ. 16. 17. 26. cap. 15. verſ. 26. cap. 16. verſ. 13.

Hæc quoque fuit ratio, quòd Apoſtolus, poſtquam Epheſiis & Coloſſenſibus, tam ſcriptis, quàm verbis *omne Dei Conſilium* ità annunciaſſet, *ut nihil ſubticuerit*, Actor. 20. verſ. 17. ad 27. Epheſiis adhuc precetur, *ut Deus ipſis det Spiritum Sapientiæ, & Revelationis in ipſius* (Dei nempe) *agnitione*, ut iis largiatur *illuminatos oculos Mentis*, quò ſciant, quid ſperandum ſit vocatis à Deo, & quàm dives, & glorioſa ſit hæreditas, quam Sanctis decrevit, &c. Epheſ. 1. verſ. 16. 17. Coloſſenſibus verò apprecetur, *ut impleantur cognitione voluntatis Dei in omni Sapientiâ, & prudentiâ ſpiritûs, atque creſcant in agnitione ipſius Dei.* Coloſſ. 1. verſ. 9. 10.

Quin hæc fuit cauſa, quòd *Iſraëli*, non niſi per literam *de Deo, ejuſque Voluntate edocto*, Rom. 2. verſ. 17. 18. & teſtimonio ſolo Scripturæ nitenti, *in lectione Veteris Teſtamenti velamen cordi impoſitum fuerit*, 2 Cor. 3. verſ. 14. 15. quòd *animalis homo*, eum intellige, qui per ſolam literam, non autem per Spiritum doctus eſt, *non percipiat ſpiritualia, quodque ipſi ſint ſtultitia, eaque nequeat*, nempe tali cogni-

cognitione, quæ ab imaginatione originem habet, *cognoſcere*, 1 Cor. 2. verſ. 14. quòd è contrario *Spiritualis homo*, qui ſcilicet de Deo, Dei filio, &c. ſpirituales, vel purè intellectuales nactus eſt perceptiones, *omnia dijudicet*, & *ipſe à nemine hominum* animalium *dijudicetur*, Ibid. verſ. 15.

Reſtat denique hoc de *Fide* dicendum, quòd Paulus in eâ, quæ eſt ad Romanos ſcripta, Epiſtolâ cap. 10. verſ. 17. vocabulo *Auditûs* non innuat *Auditum auris* externum; ſed auditum auris internum, vel τὸ intelligere; & hoc cuivis, qui cùm antecedentia, tum conſequentia dicti capitis rectè perceperit, manifeſtum erit.

Nullum eſt dubium, quin Lector Veritatis amans, quique, quæ jam dicta ſunt ex Sacris Literis, attentè legit, & omnia cum judicio perpendit, omninò conceſſurus ſit id, quod demonſtrare animus fuit, jam eſſe demonſtratum: videlicet id, quod Philoſophus noſter demonſtrat ab ipſâ Ratione præſcribi de Regulâ benè vivendi, & ſummo hominis Bono, accuratè cum iis convenire, quæ Servator, & Apoſtoli docuerunt; nec non dogmata Moralia Chriſtianæ Religionis, vel ea, quæ ut ſalvi ſimus, facere tenemur, perfectè in iis comprehendi; denique hoc ſtudium, quo veritatem articulorum Doctrinæ Chriſtianæ conamur intelligere, & ſecundùm eam vivere & agere, cum Sacrâ Scripturâ, & Religione Chriſtianâ in omnibus concordare.

Si jam ea, quæ Gentium Doctor de carne, & carnalibus tradidit hominibus, per quos non niſi cupiditates animales

males intelligendæ ſunt, vel ejuſmodi homines, qui necdum in affectùs imperium poſſident, comparentur cum iis, quæ Philoſophus in Quartâ Parte Ethices demonſtrat de *Affectuum Viribus*, & de *Humanâ Impotentiâ* in iis moderandis, non minor in illis convenientia, quàm in modò oſtenſis, deprehendetur.

Notent hìc Chriſtiani, ut rem præſtantiſſimam, & notatu digniſſimam, noſtrum Philoſophum, quatenus id demonſtrat, quod Scriptores ſacri docent, quodque cum Chriſtianæ Religionis fundamentis congruit; & Divinitatem, & Sacrarum Literarum Authoritatem, & ſimul veritatem Religionis Chriſtianæ oſtendere; adeò ut per hanc demonſtrationem de iis tam certi ſimus, aut eſſe poſſimus, ut neque Judæus, neque Ethnicus, neque Atheus, vel quisquis ſit, iſtas labefactare poſſit.

Quis affirmabit certitudinem, quæ Miracula pro fundamento habet, inter Chriſtianos locum obtinere, aut neceſſariam eſſe? cùm demonſtratum ſit illis ſpeciatim competere, ut veritatem articulorum, qui ad ſalutem requiruntur, intelligant; & cùm certum ſit, abſolutam, & immobilem certitudinem eſſe veritatis, ſive veræ intellectualis perceptionis proprietatem; unde fit, ut talis perceptio omnimodam certitudinem includat. Quî enim fieri poteſt, ut ii, qui veritatem percipiunt, Deum, exempli gratiâ, exiſtere, Dei filium, nempe Dei Rationem, vel Dei Sapientiam hominum eſſe Salvatorem, & nos non poſſe ſine eo ſalvari; Deum, ejuſque filium, quo ſalutem conſequamur, eſſe cognoſcendum, amandum

dum &c. ut ii, inquam, miraculis indigeant, quibus de hiſce veritatibus certi fiant? cùm in ſe ipſis plus certitudinis de his rebus inveniant, quàm vel omnibus miraculis, ullo unquam tempore factis, poſſet acquiri. Jure ergo, meritoque dixit Paulus, quòd Judæi, hoc eſt, qui ſub Lege ſunt, & hujus rei veritatem haud capiunt, miracula petunt; imò, ut ea impetrarent, ſæpius Chriſtum moleſtiâ affecere, Matth. 12. verſ. 38. cap. 16. verſ. 1. 3. 4. Marc. 8. verſ. 11. Luc. 11. verſ. 29. Hæc fuit cauſa, quòd Apoſtolus tantopere laboraverit, ſummiſque curis ſe defatigaverit, quò eos, qui Chriſto adhærebant, ad *omnem opulentiam perſuaſionis*, *& ad intelligentiam cognitionis Myſterii Dei Patris, & Chriſti* perduceret, Coloſſ. 2. verſ. 1. 2. quod & ſe feciſſe gloriatur.

Quæ ad defenſionem noſtri Philoſophi, & ſubtiliſſimorum ejus Scriptorum adducta ſunt, refutationi eorum inſervient, qui ſine dubio ex craſſâ, & ſupinâ ignorantiâ, & à ſuis paſſionibus ſeducti, acutiſſimum Virum non tantùm Atheiſmi accuſare; ſed etiam pro viribus Lectoribus ſuis perſuadere conati ſunt, eum in ſuis Scriptis Atheiſmum docere, & ejus poſitiones omnem Religionem, omnemque Pietatem ex hominnm animis tollere. Profectò ſi Adverſarii ad hoc Pſalmiſtæ tantùm attendiſſent, Pſal. 14. verſ. 1. & 53. verſ. 2. *Dicit ſtultus in animo ſuo, nullus Deus eſt*, eos hic locus ſapientiores, ac prudentiores reddere, quin etiam nunc eorum temeritatem oſtendere poſſet: nam his verbis Pſalmiſta ſatis clarè oſtendit, tam horrendum facinus reverâ in Sapientes (inter quos

noſter

noſter Philoſophus, ipſis fatentibus, collocandus eſt) nec cadere, nec cadere poſſe.

Quare ſeriò cuncti hujus Viri Adverſarii ſint moniti, ut, ubi ad hæc Scripta examinanda animum applicuerint, ſibi ſummo ſtudio caveant, ne quicquam tanquam falſum, Sacris literis, & Religioni Chriſtianæ adverſum, repudient, antequam bene mentem ejus intellexerint, cum vero Sacrarum Literarum ſenſu, & cum verâ Religione contulerint, & ad examen revocaverint. Imprimis ſibi caveant, ne conceptus erroribus fortè obnoxios, ac opiniones ſuas certitudine deſtitutas de Sacræ Scripturæ ſenſu efficiant Normam, vel Lapidem Lydium ſive veritatis, ſive falſitatis, vel ejus, quod cum ſacro Codice, atque Religione Chriſtianâ concordat, aut diſcordat: de his enim ex vero judicare non tantùm illi nullatenus poſſent, ſed etiam fortè relaberentur ad priſtinas abſurditates; adeò ut verum, & bonum, tanquam falſum, & malum, & id, quod cum ſacro Codice, ut & cum Chriſtianâ Religione, convenit, tanquam iſtis contrarium, rejicerent. Nam quòd Chriſtiani in tot Sectas dividantur, qui & omnes ſimul, & ſinguli jactant, ſummâque contentione defendunt, articulos ſuos, licet ſummopere inter ſe diſcrepantes, & ſecum ipſis pugnantes, eſſe dogmata Religionis Chriſtianæ; quódque id, quod ab hoc, tanquam dogma Divinum, & tanquam bonum, ac ſanctum laudetur, ab illo ut Diabolicum, impium, & malum repudietur; & quòd denique tot turbæ, tot contentiones, jam olim inter eos excitatæ, in hunc uſque diem

adhuc

adhuc perdurent: horum omnium, non alia cauſa, non alia fuit origo, quàm quòd ſibi falſò perſuaſerint erroneos ſuos conceptûs, incertaſque opiniones de Sacrarum Paginarum ſenſu, ipſam Scripturam, & Dei infallibile fuiſſe Verbum, quæ deinceps pro Normâ & Lapide Lydio Veritatis, & Falſitatis habent. Hæc Schiſmata, hæ contentiones tam diu procul dubio durabunt ſine ullâ emendationis ſpe, quamdiu Chriſtiani nec ad veram, & infallibilem Veritatis, & Falſitatis Normam, nec ad id, quod cum Sacrâ Scripturâ, & cum Religione Chriſtiana convenit, vel ab iis diſcrepat, attendunt.

Quia autem ex iis, quæ dicta ſunt, facilè colligitur, quænam hæc ſit Norma, quisve hic ſit Lapis Lydius (in quâ re Chriſtiani inter ſe diſſentiunt) minùs neceſſarium erit id ipſum oſtendere. Is tamen, qui id ſcire levi examine deſiderat, animo volvat, *Primò* omnia *Dei Mandata*, *teſtimonia* & *Leges* eſſe æternas, & ipſam *Veritatem*, hoc eſt, æternas eſſe Veritates; Vid. Pſalm. 19. verſ. 10. Pſalm. 119. verſ. 86. 138. 142. 144. 151. 152. 160. atque Doctrinam Evangelii, quæ Chriſtianam in ſe continet Religionem, ſolâ Veritate fundari, prout omnes Chriſtiani largiri coguntur. *Secundò* animo perpendat, Veritatem & ſui, & falſitatis eſſe indicem, eamque per ſe ſolam, non autem per aliud quid cognoſci poſſe. Hinc namque ſatis ſuperque patet, ſolam Veritatem eſſe memoratam Normam. Quare Chriſtiani, qui Veritatem ejus, quod Scriptura docet, intelligunt, ſeu veras, & puras habent perceptiones, juxta ea, quæ paulò ante de

ipsâ Veritate, vel de veris intellectualibus ideis protulimus, infallibiliter, & absolutè certi erunt, se mentem Scripturæ percepisse, atque Dei verbum possidere.

Porrò, quia Veritas, quemadmodum Rerum Natura, vel Essentia, simplex, & indivisibilis est, & quia non nisi unica cujusque rei veritas, verusque sensus dari potest; Christiani, quatenus hujus rei Veritatem intelligunt, necessariò *in eâdem mente*, & *in* eâdem *sententiâ* erunt coagmentati teste Paulo, 1 ad Cor. cap. 1. vers. 10. 11. & ad Philipp. cap. 2. vers. 2. & cap. 3. vers. 16.

Quin constanter, & in æternum cupient, & volent præstare, quod Spiritus Sanctus de Tolerantiâ præcipit; & ideò *infirmos in fide porrigent manum*, Rom. 14. vers. 1. eos puta, quibus major notitia deficit; & *infirmorum infirmitates sustinebunt*, Rom. 15. vers. 1. errantium intellige inscitias; *proprium opus probabunt*, Gal. 6. vers. 4. Rom. 14. à vers. 4. ad 14. 2 Cor. 1. vers. 14. *nec dominabuntur aliorum fidei*, 1 Pet. 5. vers. 3. sed erga *errantes erunt placidi*, *eosque cum Mansuetudine erudient*, exspectaturi, *num fortè Deus illis sit daturus Conversionem*, *ut agnoscant Veritatem.* Vid. 2 Tim. 2. vers. 24. 25. 26. 1 Thessal. 5. vers. 14. 15. Matth. 12. vers. 19. 20. In quo loco *Arundo quassata*, ac *lucerna crepitans* eos homines denotat, qui multis dubiis immersi sunt, & in quibus Sol Veritatis necdum orta, sed sub nebulis & ignorantiæ, & erroris occulta est.

Tolerantiam hanc non tantùm se extendere ad eos, qui levibus erroribus imbuti sunt; sed ad eos quoque, qui in fundamentalibus, & essentialibus fidei articulis errant,

errant, docuit nos ſuo exemplo Apoſtolus Paulus. Licet enim Galatæ *tranſlati eſſent ad aliud Evangelium*, Gal. 1. verſ. 6. 7. quàm quod de Chriſto annunciatum fuerat, & in hoc verſarentur errore, *Juſtitiam*, & cætera Spiritûs opera neque ex Fide, neque ex obedientiâ veritatis; ſed ex operibus Legis, & per Legem acquiri; Vide Gal. 2. verſ. 21. item cap. 3. & 5. paſſim: (id enim eſt errare in fundamentali fidei articulo) eos tamen, his omnibus transmiſſis, *Fratres* ſuos, Gal. 1. verſ. 11. & cap. 3. verſ. 6. 15. nec non *Filios ſuos* appellat, Galat. cap. 4. verſ. 19. & alibi.

Quum præterea Doctor Gentium ad Philippenſes cap. 3. verſ. 15. dicit, *Hoc ſentiamus*, (nempe quòd jam modò de Jeſu Chriſti *Cognitione*, ejuſque virtute, docuerat, quibus noſtra Vivificatio, Juſtificatio, &c. perficiuntur) *& ſi quid aliter ſentitis, etiam hoc Deus revelabit vobis*; manifeſtiſſimè innuit, ſe eos velle tolerare, qui in articulo fundamentali de Juſtificatione aliter, ac ipſe, nec ità, ut oportebat, ſentiebant; ſed & eos pro Fratribus, ac Eccleſiæ membris velle agnoſcere.

Quandoquidem ii, qui ex impotentiâ, & ignorantiâ, non minùs, quàm alii inviti errent, & infans in Chriſto (eum puta, qui de fundamentalibus fidei articulis malè ſentit) æquè neceſſariò ſit infans, ac infans Naturalis, & inſuper ad Adoleſcentiam, & Virilem ætatem in Chriſto conſequendam & educatio, & longum tempus requirantur, & Sacra Scriptura Infantem, Adoleſcentem, & Virum in Chriſto reſpectu graduum cognitionis diſtin-

guat, patet eos, qui in fundamentalibus, imò quocunque errant modo, esse tolerandos.

Quòd ergo Christiani, quia fovent diversas opiniones, ab invicem discedant, se invicem pro Dei hostibus habeant, Hæreticos alii alios appellent, atro carbone notent, persequantur, & facinora patrent, à quibus veri Christiani abhorrent, nullatenus veritatem; sed necessariò falsam opinionem pro fundamento habet.

Negari nequit id, quod nunc de Christianâ Religione ostensum est ex Scripturâ, videri cum iis pugnare, quæ Philosophus in Tractatu Theologico-Politico demonstranda sumserat; nempe Religionem in solâ Obedientiâ consistere, & veritatis Indagationem, & Meditationem, ad purè intellectuales, atque adæquatas acquirendum ideas earum rerum, quas Scriptura docet, nullum obtinere locum. Quicunque verò hunc Tractatum benè evolverit, non erit ignarus rationum, quæ subtilissimum Virum moverunt ad hoc propugnandum, & simul comperiet nostrum Auctorem rationalem agnoscere Religionem.

Quem latet, nobiscum ità comparatum esse, & nos in eo statu esse constitutos, ut necessariò solà obedientiâ, non verò cognitione ducamur? quem fugit, multos in eodem statu ad vitæ extremum terminum permanere? Horum respectu concedi facilè potest, quod Vir acutus in dicto Tractatu demonstrat, quòd scilicet Deus in Sacro volûmine non aliam sui notitiam flagitat, quàm se justissimum, summéque misericordem, & unicum esse

Vitæ

Vitæ exemplar; ſeque duntaxat Obedientiæ, & Charitatis, Juſtitiæque exercitio colendum.

Indicat variis in locis Apoſtolus multos, ut per cognitionem ducantur, non æquè aptos eſſe, & plurimos, ſi cum toto genere humano conferantur, per Obedientiam ducendos eſſe. Scribit enim in 1 Epiſtolâ ad Cor. cap. 3. verſ. 1. 2. *Et ego, Fratres mei, non potui loqui vobiſcum, tanquam cum ſpiritualibus*, hoc eſt, qui ſpiritu, & intellectu ducuntur; *ſed tanquam cum carnalibus, & tanquam infantibus in Chriſto*, hoc eſt, qui per obedientiam ducendi ſunt: *Lac præbui bibendum vobis*, hoc eſt, monſtravi vobis viam Obedientiæ, eâque vos alui, & *non dedi vobis cibum*, hoc eſt, non dedi cognitionem: *Non enim adhuc poteratis, ſed nec etiam nunc poteſtis* edere ſolidiorem cibum.

Ait præterea idem Apoſtolus 1 Cor. 2. verſ. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, hoc eſt, loquimur de Viâ Sapientiæ inter Spirituales, (confer ejuſdem cap. verſ. 15.) qui Spiritu, vel intellectu aguntur.

Denique in Epiſtolâ 2 ad Timoth. cap. 3. verſ. 7. tales deſcribit, qui *omni tempore diſcunt, & nunquam ad cognitionem veritatis venire poſſunt*, ut ſcilicet ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, cognoſcant. Etenim per Legem, aut Scripturam ſcire Judæis, & Infantibus in Chriſto eſt proprium, & omnes, ſenes, & juvenes, docti, & indocti, ingenio pollentes, aut eo deſtituti, æquè ad illud idonei ſunt.

Qui modò dicta, & à noſtro Philoſopho in Tractatu memorato demonſtrata, Deum nimirum in Scripturâ ſolam

ſolam Obedientiam, &c. exigere, & Philoſophiam cum Theologiâ nihil habere commune, cum utraque proprio nitatur talo, pro noxiis & ſeditioſis opinionibus habuerunt, eaſque ſummo ſtudio falſas eſſe demonſtrare conati ſunt, aſſenſum iis præbebunt, quæ de Chriſtianâ Religione, quantum ejus ſpectatur cognitio, oſtendimus.

Hæc tam ad Ethicam, quàm ad ſententiam Auctoris noſtri defendendam, viſum fuit adducere, quæ præter opinionem prolixiùs tractata ſunt; reliqua igitur brevibus abſolventur, ne Lectori tædium creetur.

Tractatum Politicum Auctor noſter paulò ante obitum compoſuit. Sunt in eo & accuratæ cogitationes, & ſtylus clarus. Suam ſententiam, relictis multorum Politicorum opinionibus, ſolidiſſimè in eo proponit, & conſequentia ex antecedentibus paſſim elicit. Agit in quinque prioribus capitibus de *Politicâ* in genere, in ſexto, & ſeptimo de *Monarchiâ*, in octavo, nono, & decimo de *Ariſtocratia*, undecimum denique initium eſt Imperii Democratici. Mors autem intempeſtiva fuit in cauſâ, quòd hunc Tractatum non abſolverit, & quòd nec de *Legibus*, nec de variis *Quæſtionibus*, quæ Politicam ſpectant tractaverit, uti videre eſt ex Epiſtolâ Auctoris ad Amicum, Tractatui Politico præfixâ.

Tractatus de *Emendatione Intellectûs* eſt ex prioribus noſtri Philoſophi operibus, teſtibus & ſtylo, & conceptibus. Rei, quam in eo tractat, dignitas, & magna, quam in eo ſibi ſcopum præfixit, utilitas, nempe intellectui viam ſternere facillimam, atque planiſſimam ad ve-

ram

ram rerum cognitionem, calcar ipſi ſemper eum ad umbilicum perducendi fuere. At operis pondus, profundæque meditationes, & vaſta rerum Scientia, quæ ad ejus perfectionem requirebantur, lento gradu eum promoverunt, ut & in cauſâ fuerunt, quòd non fuerit abſolutus, quódque hîc illìc aliquid deſideretur: nam Auctor in Annotationibus, quos ipſe addidit, ſæpius monet id, quod tractat, accuratiùs demonſtrandum, vel latiùs explicandum, ſive in ſuâ Philoſophiâ, ſive alibi. Quia verò Res præſtantiſſimas, nec non utiliſſimas continet, in Veritatis ſtudioſo ſtudium excitabunt ſummum, nec parùm adjuvabunt in eâ indagandâ, ideo eum ſimul cum aliis edere viſum fuit, uti jam in Admonitione, huic Tractatui præfixâ, dictum fuit. Tractat in eo *primò* de Bono apparente, quod homines plerumque appetunt, nempe de Divitiis, Libidine, & Honore; & de Vero bono, & quomodò id ſit acquirendum. Præſcribit *ſecundò* quaſdam vivendi Regulas, indéque ad Intellectûs Emendationem tranſit. Ut autem hæc Emendatio meliùs procedat, quatuor diverſos percipiendi modos enumerat, quos deinceps prolixiùs paulò enucleat, & ex iis, qui optimè ſcopo inſerviunt, eligit. Porrò, ut horum uſum noſceremus, agit de Intellectûs inſtrumentis, videlicet de veris ideis, & eâdem operâ de rectâ ad ducendum Intellectum Viâ, & Methodo, ejuſque partibus. Prima pars tradit, quomodò veræ ideæ ab aliis diſcernantur, & proſpiciatur, ne falſæ, fictæ, & dubiæ ideæ cum veris confundantur: & hâc occaſione pro-

lixè

lixè de veris, falsis, fictis & dubiis ideis agit, quibus denique aliquid de Memoriâ, ac Oblivione annectit. Secunda pars Regulas dat, quibus ex notis ignotum rectè educatur, intelligaturque. Ut autem hoc ritè fiat, Perceptionem duobus modis fieri statuit, vel per solam Essentiam, vel per causam proximam. Quoniam verò utrumque non nisi ex verâ Rei definitione elicitur, Leges definitionis Rerum tum creatarum, tum increatarum proponit. Præterea ut nostri Conceptus concatenentur, media, quibus res particulares æternæ cognoscantur, præscribit. Et, ut hæc omnia meliùs perficiantur, agit de *Viribus Intellectûs*, ejusque enumerat proprietates. Et hîc finitur Tractatus de *Emendatione Intellectûs*.

Epistolæ nec secundùm materiam, nec secundùm eorum Authoritatem, à quibus, vel ad quos scriptæ sunt, in ordinem sunt redactæ, sed juxta tempora, in quibus exaratæ sunt: eâ tamen ratione ordinatæ sunt, ut omnes unius ejusdemque Viri Epistolæ, & ad eas Responsiones se invicem sequantur. Quia verò non quis scribat, sed quid scribatur attendendum est, quædam Scribentium Nomina omnibus literis, quædam tantùm initialibus, quædam nullis planè expressa sunt. Notet quoque Lector Benevolus, ei non mirum esse debere, si deprehendat in his Epistolis Ethicam, tum temporis ineditam, tam ab eo, qui literas scribit, quam ab eo, qui eis respondet, allegari; ea namque ante multos annos à diversis fuit descripta, & iis communicata. Hæc hîc loci monere visum fuit, ne quis suspicetur Ethicam antehac editam fuisse. Notandum

in

insuper est totum opus, paucis exemptis Epistolis, Latinè conscriptum esse.

Cùm verò omnia nostri Philosophi *Opera Posthuma* tibi, Benevole Lector, dare animus fuerit, Grammatices Hebrææ Compendium minimè erat omittendum. In hoc ipsam Grammaticam in duas videtur Auctor distribuisse partes, quarum prior agit de Etymologia, seu de Nominum, & Verborum flexione; hanc ferè absolvit: posteriorem, quæ de Syntaxi, seu de Nominum, & Verborum constructione tractaret, ne quidem inchoavit. In animo semper habuit Hebræam Grammaticam, more Geometrico demonstratam, luci exponere, in cujus Præfatione *primò* veram hujus Linguæ pronunciationem olim periisse monstrâsset; *deinde*, Vocales à recentioribus Judæis Bibliis appictas fuisse, inde quòd Nominibus inveteratis vocales usitatiores adscripsere, evicisset. *Fœmininum*, inquit Grammatices suæ pag. 41. אֶת *videtur etiam fuisse* אִתִּי, & הוּא *fuisse* הִוא *aliis vocalibus distinctum. Nam in Bibliis sæpe sic scripta reperiuntur, quæ Masorethæ ubique corrigunt, sine dubio, quia obsoleta erant.* *Tertiò* literam ו vau potestatem וּ *u* habuisse, eo quòd א in ו sæpe mutetur, ostendisset; *quarto* Dialectos in Scripturâ confundi probâsset; & *denique* ostendisset nobis licere syllabas ad libitum variare, licet enim אשמורה in regimine habeat אשמורת, nos tamen rectè scriberemus אשמורת, &c.

Ipsum Compendium quod attinet, rectè animadvertit Auctor pag. 24. *plures fuisse, qui Scripturæ; at nullum, qui*

Linguæ Hebrææ Grammaticam ſcripſerit. Multa tibi, Benevole Lector, hîc occurrent, quæ apud alios haud facilè reperias. Præcipuum, quodque Auctor accuratè meditandum ſuadet, eſt: *quòd omnes voces Linguæ Hebrææ, exceptis tantùm Interjectionibus, & Conjunctionibus, & unâ, aut alterâ particulâ, vim, & proprietates Nominis habent; quod quia Grammatici non animadverterunt, crediderunt multa eſſe irregularia, quæ ex uſu Linguæ maximè regularia ſunt, & plura ad ejus linguæ cognitionem, ejuſque Eloquentiam neceſſaria ignoraverunt.*

Quæ alii ſatis prolixè, & confuſè de Accentibus ſcripſerunt, Auctor, reſectis ſuperfluis, breviter complectitur, verumque eorum uſum oſtendit. Punctorum mutationes fortè nemo ſolidiùs & accuratiùs unquam docuit, & eâdem ἀκριβείᾳ tam Nominum, quàm Verborum flexiones, & ſignificationes tractat. Si quis his jactis fundamentis Hebræam Syntaxin ſuperſtruxerit, næ ille à Philo-Hebræis haud exiguam inibit gratiam, quò Linguæ Sanctæ genius, hactenus ſatis ignotus, meliùs innoteſcat.

Hæc de Scriptis, hoc libro contentis, tibi Lector Benevole, indicare viſum fuit. Omnes, qui Veritatem ſincerè amant, & ſolidam, ac indubitatam rerum Notitiam affectant, procul omni dubio ſummo afficientur dolore, quòd hæc Scripta noſtri Philoſophi magnâ ex parte imperfecta ſint. Profectò dolendum eſt, quòd ille, qui jam modò tantos in Veritatis cognitione progreſſûs fecerat, & tantum in eâ progrediendâ ſibi habitum comparaverat, tàm immaturè, tam intempeſtivè mortem oppetierit, eò magis,

magis, quòd non ſolùm horum Scriptorum perfectio; ſed etiam integra Philoſophia ſperanda fuiſſet, quemadmodum variis locis in Tractatu de Emendatione Intellectûs meminit; ubi abſque dubio *Veram Motûs Naturam*, atque *quâ ratione à priori tot varietates in Materiâ, &c. deducendæ eſſent*, demonſtrâſſet, de quibus Epiſtolis LXIII & LXIV mentio fit.

Propoſuerat quoque ſibi, Algebram breviori, & magis intelligibili Methodo, aliaque plura Opera conſcribere, quemadmodum varii amicorum pluries ab ipſo audiverunt. Verùm Mors in noſtro ſubtiliſſimo Philoſopho quoque oſtendit, quòd hominum propoſitum rarò perficiatur. Spes tamen non exigua affulget, Erudito Orbi non exiguum præſtitum fuiſſe officium in hiſce, licet imperfectis, Scriptis edendis, eumque hæc animo grato accepturum. Non alius in iis publicandus fuit Scopus, quàm ut homines iis illuminarentur, & Veritatis Cognitio magis ac magis innoteſceret.

Hoc Opere continentur

I. ETHICA, More Geometrico demonſtrata.
II. POLITICA.
III. DE EMENDATIONE INTELLECTÛS.
IV. EPISTOLÆ, &adeas RESPONSIONES.
V. COMPENDIUM GRAMMATICES LINGUÆ HEBRÆÆ.

N. B.

Rogantur Lectores, ut, antequam se ad hujus Operis Lectionem accingant, Errata, Typothetarum incuriâ admissa, & sub calcem libri annexa, corrigant; & quidem præcipuè ea, quæ in numeris, quibus Propositiones, Corollaria, & Scolia allegantur, in Ethicam irrepserunt; utpote quæ aliàs non levem ponerent obicem, quò minùs inoffenso pede progredi possent.

ETHICA

Ordine Geometrico demonstrata,

ET

In quinque Partes distincta,
in quibus agitur,

I. De Deo.
II. De Naturâ & Origine Mentis.
III. De Origine & Naturâ Affectuum.
IV. De Servitute Humanâ, seu de Affectuum Viribus.
V. De Potentia Intellectus, seu de Libertate Humanâ.

ETHICA

ETHICES

Pars Prima,

DE DEO.

DEFINITIONES.

I. PEr causam sui intelligo id, cujus essentia involvit existentiam; sive id, cujus natura non potest concipi, nisi existens.

II. Ea res dicitur in suo genere finita, quæ aliâ ejusdem naturæ terminari potest. Ex. gr. corpus dicitur finitum, quia aliud semper majus concipimus. Sic cogitatio aliâ cogitatione terminatur. At corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corporè.

III. Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat.

IV. Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantiâ percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens.

V. Per modum intelligo substantiæ affectiones, sive id, quod in alio est, per quod etiam concipitur.

VI. Per Deum intelligo ens absolutè infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam essentiam exprimit.

EXPLICATIO.

Dico abſolutè infinitum, non autem in ſuo genere; quicquid enim in ſuo genere tantùm infinitum eſt, infinita de eo attributa negare poſſumus; quod autem abſolutè infinitum eſt, ad ejus eſſentiam pertinet, quicquid eſſentiam exprimit, & negationem nullam involvit.

VII. Ea res libera dicetur, quæ ex ſolâ ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, & à ſe ſolâ ad agendum determinatur: Neceſſaria autem, vel potiùs coacta, quæ ab alio determinatur ad exiſtendum, & operandum certâ, ac determinatâ ratione.

VIII. Per æternitatem intelligo ipſam exiſtentiam, quatenus ex ſolâ rei æternæ definitione neceſſariò ſequi concipitur.

EXPLICATIO.

Talis enim exiſtentia, ut æterna veritas, ſicut rei eſſentia, concipitur, proptereáque per durationem, aut tempus explicari non poteſt, tametſi duratio principio, & fine carere concipiatur.

AXIOMATA.

I. Omnia, quæ ſunt, vel in ſe, vel in alio ſunt.

II. Id, quod per aliud non poteſt concipi, per ſe concipi debet.

III. Ex datâ cauſâ determinatâ neceſſariò ſequitur effectus, & contrà, ſi nulla detur determinata cauſa, impoſſibile eſt, ut effectus ſequatur.

IV. Effectûs cognitio à cognitione cauſæ dependet, & eandem involvit.

V. Quæ nihil commune cum ſe invicem habent, etiam per ſe invicem intelligi non poſſunt, ſive conceptus unius alterius conceptum non involvit.

VI. Idea

VI. Idea vera debet cum ſuo ideato convenire.

VII. Quicquid, ut non exiſtens, poteſt concipi, ejus eſſentia non involvit exiſtentiam.

PROPOSITIO I.

Subſtantia prior eſt naturâ ſuis affectionibus.

DEMONSTRATIO

Patet ex *Definitione* 3 & 5.

PROPOSITIO II.

Duæ ſubſtantiæ, diverſa attributa habentes, nihil inter ſe commune habent.

DEMONSTRATIO

Patet etiam ex *Defin.* 3. Unaquæque enim in ſe debet eſſe, & per ſe debet concipi, ſive conceptus unius conceptum alterius non involvit.

PROPOSITIO III.

Quæ res nihil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe non poteſt.

DEMONSTRATIO.

Si nihil commune cum ſe invicem habent, ergo *(per Axiom.* 5.) nec per ſe invicem poſſunt intelligi, adeóque *(per Axiom.* 4.) una alterius cauſa eſſe non poteſt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO IV.

Duæ, aut plures res diſtinctæ, vel inter ſe diſtinguuntur, ex diverſitate attributorum ſubſtantiarum, vel ex diverſitate earundem affectionum.

DEMONSTRATIO.

Omnia, quæ ſunt, vel in ſe, vel in alio ſunt, *(per Axiom.* 1.) hoc eſt *(per Defin.* 3. & 5.) extra intellectum nihil datur præter ſubſtantias, ejuſque affectiones. Nihil ergo extra intellectum datur, per quod plures res diſtingui inter ſe poſſunt præter ſubſtantias, ſive quod

idem eſt *(per Axiom.* 4.) earum attributa, earumque affectiones. *Q.E.D.*

PROPOSITIO V.

In rerum naturâ non poſſunt dari duæ, aut plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ, ſive attributi.

DEMONSTRATIO.

Si darentur plures diſtinctæ, deberent inter ſe diſtingui, vel ex diverſitate attributorum, vel ex diverſitate affectionum. *(per Prop. præced.)* Si tantùm ex diverſitate attributorum, concedetur ergo, non dari, niſi unam ejuſdem attributi. At ſi ex diverſitate affectionum, cùm ſubſtantia ſit prior naturâ ſuis affectionibus, (*per Prop.* 1.) depoſitis ergo affectionibus, & in ſe conſiderata, hoc eſt *(per Defin.* 3. *&* 6.) verè conſiderata, non poterit concipi ab aliâ diſtingui, hoc eſt *(per Prop. præced.)* non poterunt dari plures, ſed tantùm una. *Q.E.D.*

PROPOSITIO VI.

Una Subſtantia non poteſt produci ab aliâ ſubſtantiâ.

DEMONSTRATIO.

In rerum naturâ non poſſunt dari duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi, (*per Prop. præced.*) hoc eſt, (*per Prop.* 2.) quæ aliquid inter ſe commune habent. Adeóque (*per Prop.* 3.) una alterius cauſa eſſe nequit, ſive una ab aliâ non poteſt produci. *Q.E.D.*

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur ſubſtantiam ab alio produci non poſſe. Nam in rerum naturâ nihil datur præter ſubſtantias, earumque affectiones, ut patet ex *Axiom.* 1. *& Defin.* 3 *&* 5. Atqui à ſubſtantiâ produci non poteſt. *(per præced. Prop.)* Ergo ſubſtantia abſolutè ab alio produci non poteſt. *Q.E.D.*

Aliter.

Demonſtratur hoc etiam faciliùs ex abſurdo contradictorio. Nam ſi ſubſtantia ab alio poſſet produci, ejus cognitio à cognitione ſuæ cauſæ deberet pendêre; (*per Axiom.* 4.) adeòque (*per Defin.* 3.) non eſſet ſubſtantia.

PRO-

Propositio VII.

Ad naturam ſubſtantiæ pertinet exiſtere.

Demonstratio.

Subſtantia non poteſt produci ab alio; (*per Coroll. Prop. præced.*) erit itaque cauſa ſui, id eſt (*per Defin.* 1.) ipſius eſſentia involvit neceſſariò exiſtentiam, ſive ad ejus naturam pertinet exiſtere. *Q. E. D.*

Propositio VIII.

Omnis ſubſtantia eſt neceſſariò infinita.

Demonstratio.

Subſtantia unius attributi non, niſi unica, exiſtit, (*per Prop.* 5.) & ad ipſius naturam pertinet exiſtere. (*per Prop.* 7.) Erit ergo de ipſius naturâ, vel finita, vel infinita exiſtere. At non finita. Nam (*per Defin.* 2.) deberet terminari ab aliâ ejuſdem naturæ, quæ etiam neceſſariò deberet exiſtere; (*per Prop.* 7.) adeoque darentur duæ ſubſtantiæ ejuſdem attribut, quod eſt abſurdum. (*per Prop.* 5.) Exiſtit ergo infinita. *Q. E. D.*

Scholium I.

Cùm finitum eſſe reverâ ſit ex parte negatio, & infinitum abſoluta affirmatio exiſtentiæ alicujus naturæ, ſequitur ergo ex ſolâ 7 *Prop.* omnem ſubſtantiam debere eſſe infinitam.

Scholium II.

Non dubito, quin omnibus, qui de rebus confuſè judicant, nec res per primas ſuas cauſas noſcere conſueverunt, difficile ſit, demonſtrationem 7 *Prop.* concipere; nimirum quia non diſtinguunt inter modificationes ſubſtantiarum, & ipſas ſubſtantias, neque ſciunt, quomodò res producuntur. Unde fit, ut principium, quod res naturales habere vident, ſubſtantiis affingant; qui enim veras rerum cauſas ignorant, omnia confundunt, & ſine ullâ mentis repugnantiâ tam arbores, quàm homines, loquentes fingunt, & homines tam ex lapidibus, quàm ex ſemine, formari, &, quaſcunque formas in alias quascunque mutari, imaginantur. Sic etiam, qui naturam divinam cum humanâ confundunt, facile Deo affectus humanos tribuunt, præſertim quamdiu etiam ignorant, quomodò affectus

fectus in mente producuntur. Si autem homines ad naturam ſubſtantiæ attenderent, minimè de veritate *7 Prop.* dubitarent; imò hæc Prop. omnibus axioma eſſet, & inter notiones communes numeraretur. Nam per ſubſtantiam intelligerent id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, hoc eſt, id, cujus cognitio non indiget cognitione alterius rei. Per modificationes autem id, quod in alio eſt, & quarum conceptus à conceptu rei, in quâ ſunt, formatur: quocirca modificationum non exiſtentium veras ideas poſſumus habere; quandoquidem, quamvis non exiſtant actu extra intellectum, earum tamen eſſentia ità in alio comprehenditur, ut per idem concipi poſſint. Verùm ſubſtantiarum veritas extra intellectum non eſt, niſi in ſe ipſis, quia per ſe concipiuntur. Si quis ergo diceret, ſe claram, & diſtinctam, hoc eſt, veram ideam ſubſtantiæ habere, & nihilominus dubitare, num talis ſubſtantia exiſtat, idem hercle eſſet, ac ſi diceret, ſe veram habere ideam, & nihilominus dubitare, num falſa ſit, (ut ſatis attendenti fit manifeſtum); vel, ſi quis ſtatuat, ſubſtantiam creari, ſimul ſtatuit, ideam falſam factam eſſe veram, quo ſanè nihil abſurdius concipi poteſt; adeóque fatendum neceſſariò eſt, ſubſtantiæ exiſtentiam, ſicut ejus eſſentiam, æternam eſſe veritatem. Atque hinc alio modo concludere poſſumus, non dari, niſi unicam, ejuſdem naturæ, quod hic oſtendere, operæ pretium eſſe duxi. Ut autem hoc ordine faciam, notandum eſt, I. veram uniuscujuſque rei definitionem nihil involvere, neque exprimere præter rei definitæ naturam. Ex quo ſequitur hoc II. nempe nullam definitionem certum aliquem numerum individuorum involvere, neque exprimere, quandoquidem nihil aliud exprimit, quàm naturam rei definitæ. Ex. gr. definitio tranguli nihil aliud exprimit, quàm ſimplicem naturam trianguli; at non certum aliquem triangulorum numerum. III. Notandum, dari neceſſariò uniuscujuſque rei exiſtentis certam aliquam cauſam, propter quam exiſtit. IV. Denique notandum, hanc cauſam, propter quam aliqua res exiſtit, vel debere contineri in ipſâ naturâ, & definitione rei exiſtentis, (*nimirum quòd ad ipſius naturam pertinet exiſtere*) vel debere extra ipſam dari. His poſitis ſequitur, quòd, ſi in naturâ certus aliquis numerus individuorum exiſtat, debeat neceſſariò dari cauſa, cur illa individua, & cur non plura, nec

pau-

pauciora exiſtunt. Si ex. gr. in rerum naturâ 20. homines exiſtant (*quos, majoris perſpicuitatis cauſâ, ſuppono ſimul exiſtere, nec alios antea in naturâ exſtitiſſe*) non ſatis erit, (*ut ſcilicet rationem reddamus, cur 20. homines exiſtant*) cauſam naturæ humanæ in genere oſtendere, ſed inſuper neceeſſe erit, cauſam oſtendere, cur non plures, nec pauciores, quam 20. exiſtant; quandoquidem (*per* III. *Notam*) uniuscujuſque debet neceſſariò dari cauſa, cur exiſtat. At hæc cauſa (*per Notam* II. *&* III.) non poteſt in ipſâ naturâ humanâ contineri, quandoquidem vera hominis definitio numerum vicenarium non involvit; adeóque (*per Notam* IV.) cauſa, cur hi viginti homines exiſtunt, & conſequenter cur unusquiſque exiſtit, debet neceſſariò extra unumquemque dari, & propterea abſolutè concludendum, omne id, cujus naturæ plura individua exiſtere poſſunt, debere neceſſariò, ut exiſtant, cauſam externam habere. Jam quoniam ad naturam ſubſtantiæ (*per jam oſtenſa in hoc Schol.*) pertinet exiſtere, debet ejus definitio neceſſariam exiſtentiam involvere, & conſequenter ex ſolâ ejus definitione debet ipſius exiſtentia concludi. At ex ipſius definitione (*ut jam ex Notâ* II *&* III. *oſtendimus*) non poteſt ſequi plurium ſubſtantiarum exiſtentia, ſequitur ergo ex eâ neceſſariò, unicam tantùm ejuſdem naturæ exiſtere, ut proponebatur.

PROPOSITIO IX.

Quò plus realitatis, aut eſſe unaquæque res habet, eò plura attributa ipſi competunt.

DEMONSTRATIO

Patet ex Defin. 4.

PROPOSITIO X.

Unumquodque unius ſubſtantiæ attributum per ſe concipi debet.

DEMONSTRATIO.

Attributum enim eſt id, quod intellectus de ſubſtantiâ percipit, tanquam ejus eſſentiam conſtituens, (*per Defin.* 4.) adeóque (*per Defin.* 3.) per ſe concipi debet. *Q. E. D.*

SCHO-

SCHOLIUM.

Ex his apparet, quòd, quamvis duo attributa realiter distincta concipiantur, hoc est, unum sine ope alteriùs, non possumus tamen inde concludere, ipsa duo entia, sive duas diversas substantias constituere; id enim est de naturâ substantiæ, ut unumquodque ejus attributorum per se concipiatur; quandoquidem omnia, quæ habet, attributa simul in ipsâ semper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit; sed unumquodque realitatem, sive esse substantiæ exprimit. Longè ergo abest, ut absurdum sit, uni substantiæ plura attributa tribuere; quin nihil in naturâ clarius, quàm quòd unumquodque ens sub aliquo attributo debeat concipi, &, quò plus realitatis, aut esse habeat, eò plura attributa, quæ & necessitatem, sive æternitatem, & infinitatem exprimunt, habeat; & consequenter nihil etiam clarius, quàm quòd ens absolutè infinitum necessariò sit definiendum (*ut Defin.* 6. *tradidimus*) ens, quod constat infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam certam essentiam exprimit. Si quis autem jam quærit, ex quo ergo signo diversitatem substantiarum poterimus dignoscere, legat sequentes Propositiones, quæ ostendunt in rerum naturâ non, nisi unicam substantiam, existere, eamque absolutè infinitam esse, quapropter id signum frustrà quæreretur.

PROPOSITIO XI.

Deus, sive substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam essentiam exprimit, necessariò existit.

DEMONSTRATIO.

Si negas, concipe, si fieri potest, Deum non existere. Ergo (*per Axiom.* 7.) ejus essentia non involvit existentiam. Atqui hoc (*per Propos.* 7.) est absurdum: Ergo Deus necessariò existit. *Q. E. D.*

Aliter.

Cujuscunque rei assignari debet causa, seu ratio, tam cur existit, quàm cur non existit. Ex. gr. si triangulus existit, ratio, seu causa dari debet, cur existit; si autem non existit, ratio etiam, seu causa dari

dari debet, quæ impedit, quò minùs exiſtat, ſive quæ ejus exiſtentiam tollat. Hæc verò ratio, ſeu cauſa, vel in naturâ rei contineri debet, vel extra ipſam. Ex. gr. rationem, cur circulus quadratus non exiſtat, ipſa ejus natura indicat; nimirùm, quia contradictionem involvit. Cur autem contrà ſubſtantia exiſtat, ex ſolâ etiam ejus naturâ ſequitur, quæ ſcilicet exiſtentiam involvit. (*vide Prop.* 7.) At ratio, cur circulus, vel triangulum exiſtit, vel cur non exiſtit, ex eorum naturâ non ſequitur, ſed ex ordine univerſæ naturæ corporeæ; ex eo enim ſequi debet, vel jam triangulum neceſſariò exiſtere, vel impoſſibile eſſe, ut jam exiſtat. Atque hæc per ſe manifeſta ſunt. Ex quibus ſequitur, id neceſſariò exiſtere, cujus nulla ratio, nec cauſa datur, quæ impedit, quò minùs exiſtat. Si itaque nulla ratio, nec cauſa dari poſſit, quæ impedit, quò minùs Deus exiſtat, vel quæ ejus exiſtentiam tollat, omnino concludendum eſt, eundem neceſſariò exiſtere. At ſi talis ratio, ſeu cauſa daretur, ea, vel in ipſâ Dei naturâ, vel extra ipſam dari deberet, hoc eſt, in aliâ ſubſtantiâ alterius naturæ. Nam ſi ejusdem naturæ eſſet, eo ipſo concederetur dari Deum. At ſubſtantia, quæ alterius eſſet naturæ, nihil cum Deo commune habere, (*per* 2. *Prop.*) adeóque neque ejus exiſtentiam ponere, neque tollere poſſet. Cùm igitur ratio, ſeu cauſa, quæ divinam exiſtentiam tollat, extra divinam naturam dari non poſſit, debebit neceſſariò dari, ſiquidem non exiſtit, in ipſâ ejus naturâ, quæ propterea contradictionem involveret. Atque hoc de Ente abſolutè infinito, & ſummè perfecto affirmare, abſurdum eſt; ergo nec in Deo, nec extra Deum ulla cauſa, ſeu ratio datur, quæ ejus exiſtentiam tollat, ac proinde Deus neceſſariò exiſtit. *Q.E.D.*

Aliter.

Poſſe non exiſtere impotentia eſt, & contrà poſſe exiſtere potentia eſt. (*ut per ſe notum*) Si itaque id, quod jam neceſſariò exiſtit, non niſi entia finita ſunt; ſunt ergo entia finita potentiora Ente abſolutè infinito: atque hoc (*ut per ſe notum*) abſurdum eſt; ergo vel nihil exiſtit, vel Ens abſolutè infinitum neceſſariò etiam exiſtit. Atqui nos, vel in nobis, vel in alio, quod neceſſariò exiſtit, exiſtimus. (*vid. Axiom.* 1. *& Prop.* 7.) Ergo Ens abſolutè infinitum, hoc eſt *(per Defin.* 6.) Deus neceſſariò exiſtit. *Q.E.D.*

SCHOLIUM.

In hâc ultimâ demonſtratione Dei exiſtentiam à poſteriori oſtendere volui, ut demonſtratio faciliùs perciperetur; Non autem propterea, quòd ex hoc eodem fundamento Dei exiſtentia à priori non ſequatur. Nam, cùm poſſe exiſtere potentia ſit, ſequitur, quò plus realitatis alicujus rei naturæ competit, eò plus virium à ſe habere, ut exiſtat; adeóque Ens abſolutè infinitum, ſive Deum infinitam abſolutè potentiam exiſtendi à ſe habere, qui propterea abſolutè exiſtit. Multi tamen forſan non facilè hujus demonſtrationis evidentiam videre poterunt, quia aſſueti ſunt, eas ſolummodò res contemplari, quæ à cauſis externis fluunt; & ex his, quæ citò fiunt, hoc eſt, quæ facilè exiſtunt, eas etiam facilè perire vident, & contrà eas res factu difficiliores judicant, hoc eſt, ad exiſtendum non adeò faciles, ad quas plura pertinere concipiunt. Verùm, ut ab his præjudiciis liberentur, non opus habeo hîc oſtendere, quâ ratione hoc enunciatum, *quod citò fit, citò perit*, verum ſit, nec etiam, an reſpectu totius naturæ omnia æquè facilia ſint, an ſecus. Sed hoc tantùm notare ſufficit, me hîc non loqui de rebus, quæ à cauſis externis fiunt, ſed de ſolis ſubſtantiis, quæ (*per Prop.* 6.) à nullâ cauſâ externâ produci poſſunt. Res enim, quæ à cauſis externis fiunt, ſive eæ multis partibus conſtent, ſive paucis, quicquid perfectionis, ſive realitatis habent, id omne virtuti cauſæ externæ debetur, adeóque earum exiſtentia ex ſolâ perfectione cauſæ externæ, non autem ſuæ oritur. Contrà, quicquid ſubſtantia perfectionis habet, nulli cauſæ externæ debetur; quare ejus etiam exiſtentia ex ſolâ ejus naturâ ſequi debet, quæ proinde nihil aliud eſt, quàm ejus eſſentia. Perfectio igitur rei exiſtentiam non tollit, ſed contrà ponit; imperfectio autem contrà eandem tollit, adeóque de nullius rei exiſtentiâ certiores eſſe poſſumus, quàm de exiſtentiâ Entis abſolutè infiniti, ſeu perfecti, hoc eſt, Dei. Nam quandoquidem ejus eſſentia omnem imperfectionem ſecludit, abſolutamque perfectionem involvit, eo ipſo omnem cauſam dubitandi de ipſius exiſtentiâ tollit, ſummamque de eâdem certitudinem dat, quod mediocriter attendenti perſpicuum fore credo.

PRO-

PROPOSITIO XII.

Nullum ſubſtantiæ attributum poteſt verè concipi, ex quo ſequatur, ſubſtantiam poſſe dividi.

DEMONSTRATIO.

Partes enim in quas ſubſtantia, ſic concepta, divideretur, vel naturam ſubſtantiæ retinebunt, vel non. Si primum, tum (*per* 8. *Prop.*) unaquæque pars debebit eſſe infinita, & (*per Prop.* 6.) cauſa ſui, & (*per Propoſitio* 5.) conſtare debebit ex diverſo attributo, adeóque ex unâ ſubſtantiâ plures conſtitui poterunt, quod (*per Prop.* 6.) eſt abſurdum. Adde, quòd partes (*per Prop.* 2.) nihil commune cum ſuo toto haberent, & totum (*per Defin.* 4. *& Prop.* 10.) abſque ſuis partibus, & eſſe, & concipi poſſet, quod abſurdum eſſe, nemo dubitare poterit. Si autem ſecundum ponatur, quòd ſcilicet partes naturam ſubſtantiæ non retinebunt; ergo, cùm tota ſubſtantia in æquales partes eſſet diviſa, naturam ſubſtantiæ amitteret, & eſſe deſineret, quod (*per Propoſitio* 7.) eſt abſurdum.

PROPOSITIO XIII.

Subſtantia abſolutè infinita eſt indiviſibilis.

DEMONSTRATIO.

Si enim diviſibilis eſſet, partes, in quas divideretur, vel naturam ſubſtantiæ abſolutè infinitæ retinebunt, vel non. Si primum, dabuntur ergo plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ, quod (*per Prop.* 5.) eſt abſurdum. Si ſecundum ponatur, ergo (*ut ſupra*) poterit ſubſtantia abſolutè infinita deſinere eſſe, quod (*per Prop.* 11.) eſt etiam abſurdum.

COROLLARIUM.

Ex his ſequitur, nullam ſubſtantiam, & conſequenter nullam ſubſtantiam corpoream, quatenus ſubſtantia eſt, eſſe diviſibilem.

SCHOLIUM.

Quòd ſubſtantia ſit indiviſibilis, ſimpliciùs ex hoc ſolo intelligitur, quòd natura ſubſtantiæ non poteſt concipi, niſi infinita, & quòd per partem ſubſtantiæ nihil aliud intelligi poteſt, quàm ſub-

ſtantia finita, quod (*per Prop.* 8.) manifeſtam contradictionem implicat.

PROPOSITIO XIV.

Præter Deum nulla dari, neque concipi poteſt ſubſtantia.

DEMONSTRATIO.

Cùm Deus ſit ens abſolutè infinitum, de quo nullum attributum, quod eſſentiam ſubſtantiæ exprimit, negari poteſt, (*per Defin.* 6.) iſque neceſſariò exiſtat. (*per Prop.* 11.) Si aliqua ſubſtantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, ſicque duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi exiſterent, quod (*per Prop.* 5.) eſt abſurdum; adeóque nulla ſubſtantia extra Deum dari poteſt, & conſequente non etiam concipi. Nam ſi poſſet concipi, deberet neceſſariò concipi, ut exiſtens; atqui hoc (*per primam partem hujus Demonſt.*) eſt abſurdum. Ergo extra Deum nulla dari, neque concipi poteſt ſubſtantia. *Q. E. D.*

COROLLARIUM I.

Hinc clariſſimè ſequitur I°. Deum eſſe unicum, hoc eſt (*per Defin.* 6.) in rerum naturâ non, niſi unam ſubſtantiam, dari, eamque abſonullutè infinitam eſſe, ut in *Scholio Prop.* 10. jam innuimus.

COROLLARIUM II.

Sequitur II°. rem extenſam, & rem cogitantem, vel Dei attributa eſſe, vel (*per Axiom.* 1.) affectiones attributorum Dei.

PROPOSITIO XV.

Quicquid eſt, in Deo eſt, & nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poteſt.

DEMONSTRATIO.


Præter Deum nulla datur, neque concipi poteſt ſubſtantia, (*per* 14. *Prop.*) hoc eſt (*per Defin.* 3.) res, quæ in ſe eſt, & per ſe concipitur. Modi autem (*per Defin.* 5.) ſine ſubſtantiâ nec eſſe, nec concipi poſſunt; quare hi in ſolâ divinâ naturâ eſſe, & per ipſam ſolam concipi poſſunt. Atqui præter ſubſtantias, & modos nil datur.

(*per*

(*per Axiom.* 1.) Ergo nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poteſt. *Q.E.D.*

SCHOLIUM.

Sunt, qui Deum inſtar hominis corpore, & mente conſtantem, atque paſſionibus obnoxium fingunt; ſed, quàm longè hi à verâ Dei cognitione aberrent, ſatis ex jam demonſtratis conſtat. Sed hos mitto: nam omnes, qui naturam divinam aliquo modo contemplati ſunt, Deum eſſe corporeum, negant. Quod etiam optimè probant ex eo, quod per corpus intelligimus quamcunque quantitatem, longam, latam, & profundam, certâ aliqua figura terminatam, quo nihil abſurdius de Deo, ente ſcilicet abſolutè infinito, dici poteſt. Attamen interim aliis rationibus, quibus hoc idem demonſtrare conantur, clarè oſtendunt, ſe ſubſtantiam ipſam corpoream, ſive extenſam à naturâ divinâ omninò removere, atque ipſam à Deo creatam ſtatuunt. Ex quâ autem divinâ potentiâ creari potuerit, prorſùs ignorant; quod clarè oſtendit, illos id, quod ipſimet dicunt, non intelligere. Ego ſaltem ſatis clarè, meo quidem judicio, demonſtravi, (*vide Coroll. Prop.* 6. *& Schol.* 2. *Prop.* 8.) nullam ſubſtantiam ab alio poſſe produci, vel creari. Porrò *Prop.* 14. oſtendimus, præter Deum nullam dari, neque concipi poſſe ſubſtantiam; atque hinc concluſimus, ſubſtantiam extenſam unum ex infinitis Dei attributis eſſe. Verùm, ad pleniorem explicationem, adverſariorum argumenta refutabo, quæ omnia huc redeunt. *Primò*, quòd ſubſtantia corporea, quatenus ſubſtantia, conſtat, ut putant, partibus; & ideò eandem infinitam poſſe eſſe, & conſequenter, ad Deum pertinere poſſe, negant. Atque hoc multis exemplis explicant, ex quibus unum, aut alterum afferam. Si ſubſtantia corporea, ajunt, eſt infinita, concipiatur in duas partes dividi; erit unaquæque pars, vel finita, vel infinita. Si illud, componitur ergo infinitum ex duabus partibus finitis, quod eſt abſurdum. Si hoc, datur ergo infinitum duplo majus alio infinito, quod etiam eſt abſurdum. *Porrò*, ſi quantitas infinita menſuratur partibus pedes æquantibus, infinitis talibus partibus conſtare debebit, ut &, ſi partibus menſuretur digitos æquantibus; ac propterea unus numerus infinitus erit duodecies major alio infinito. *Denique*, ſi ex uno puncto infinitæ cujuſ-



dam quantitatis concipiatur, duas lineas, ut AB, AC, certâ, ac determinatâ in initio distantiâ in infinitum protendi; certum est, distantiam inter B & C continuò augeri, & tandem ex determinatâ indeterminabilem fore. Cùm igitur hæc absurda sequantur, ut putant, ex eo, quòd quantitas infinita supponitur: inde concludunt, substantiam corpoream debere esse finitam, & consequenter ad Dei essentiam non pertinere. Secundum argumentum petitur etiam à summâ Dei perfectione. Deus enim, inquiunt, cùm sit ens summè perfectum, pati non potest: atqui substantia corporea, quandoquidem divisibilis est, pati potest; sequitur ergo, ipsam ad Dei essentiam non pertinere. Hæc sunt, quæ apud scriptores invenio argumenta, quibus ostendere conantur, substantiam corpoream divinâ naturâ indignam esse, nec ad eandem posse pertinere. Verùm enim verò, si quis rectè attendat, me ad hæc jam respondisse comperiet; quandoquidem hæc argumenta in eo tantùm fundantur, quòd substantiam corpoream ex partibus componi supponunt, quod jam (*Prop.* 12. *cum Corall. Prop.* 13.) absurdum esse ostendi. Deinde si quis rem rectè perpendere velit, videbit, omnia illa absurda, (*siquidem omnia absurda sunt, de quo jam non disputo*) ex quibus concludere volunt, substantiam extensam finitam esse, minimè ex eo sequi, quòd quantitas infinita supponatur: sed quòd quantitatem infinitam mensurabilem, & ex partibus finitis conflari supponunt; quare ex absurdis, quæ inde sequuntur, nihil aliud concludere possunt, quàm quòd quantitas infinita non sit mensurabilis, & quòd ex partibus finitis conflari non possit. Atque hoc idem est, quod nos suprà (*Propos.* 12, *&c.*) jam demonstravimus. Quare telum, quod in nos intendunt, in se ipsos reverâ conjiciunt. Si igitur ipsi ex suo hoc absurdo concludere tamen volunt, substantiam extensam debere esse finitam, nihil aliud herclè faciunt, quàm si quis ex eo, quòd finxit circulum quadrati proprietates habere, concludit, circulum non habere centrum, ex quo omnes ad circumferentiam ductæ lineæ sunt æquales. Nam substantiam corpoream, quæ non nisi infinita, non nisi unica, &

non

non niſi indiviſibilis poteſt concipi, (*vid. Prop.* 8. 5. & 12.) eam ipſi ad concludendum, eandem eſſe finitam, ex partibus finitis conflari, & multiplicem eſſe, & diviſibilem, concipiunt. Sic etiam alii, poſtquam fingunt, lineam ex punctis componi, multa ſciunt invenire argumenta, quibus oſtendant, lineam non poſſe in infinitum dividi. Et profectò, non minùs abſurdum eſt ponere, quòd ſubſtantia corporea ex corporibus, ſive partibus componatur, quàm quòd corpus ex ſuperficiebus, ſuperficies ex lineis, lineæ denique ex punctis componantur. Atque hoc omnes, qui claram rationem infallibilem eſſe ſciunt, fateri debent, & imprimis ii, qui negant, dari vacuum. Nam ſi ſubſtantia corporea ità poſſet dividi, ut ejus partes realiter diſtinctæ eſſent; cur ergo una pars non poſſet annihilari, manentibus reliquis, ut antè, inter ſe connexis? & cur omnes ità aptari debent, ne detur vacuum? Sanè rerum, quæ realiter ab invicem diſtinctæ ſunt, una ſine aliâ eſſe, & in ſuo ſtatu manere poteſt. Cùm igitur vacuum in naturâ non detur, (de quo aliàs) ſed omnes partes ità concurrere debent, ne detur vacuum; ſequitur hinc etiam, eaſdem non poſſe realiter diſtingui, hoc eſt, ſubſtantiam corpoream, quatenus ſubſtantia eſt, non poſſe dividi. Si quis tamen jam quærat, cur nos ex naturâ ità propenſi ſimus ad dividendam quantitatem? Ei reſpondeo, quòd quantitas duobus modis à nobis concipitur, abſtractè ſcilicet, ſive ſuperficialiter, prout nempe ipſam imaginamur, vel ut ſubſtantia, quòd à ſolo intellectu fit. Si itaque ad quantitatem attendimus, prout in imaginatione eſt, quod ſæpe, & faciliùs à nobis fit, reperietur finita, diviſibilis, & ex partibus conflata; ſi autem ad ipſam, prout in intellectu eſt, attendimus, & eam, quatenus ſubſtantia eſt, concipimus, quod difficillimè fit, tum, ut jam ſatis demonſtravimus, infinita, unica, & indiviſibilis reperietur. Quod omnibus, qui inter imaginationem, & intellectum diſtinguere ſciverint, ſatis manifeſtum erit: Præcipuè ſi ad hoc etiam attendatur, quòd materia ubique eadem eſt, nec partes in eâdem diſtinguuntur, niſi quatenus materiam diverſimodè affectam eſſe concipimus, unde ejus partes modaliter tantùm diſtinguuntur, non autem realiter. Ex. gr. aquam, quatenus aqua eſt, dividi concipimus, ejuſque partes ab invicem ſeparari,

rari; at non, quatenus ſubſtantia eſt corporea; eatenus enim neque ſeparatur, neque dividitur. Porrò aqua, quatenus aqua, generatur, & corrumpitur; at, quatenus ſubſtantia, nec generatur, nec corrumpitur. Atque his me ad ſecundum argumentum etiam reſpondiſſe puto: quandoquidem id in eo etiam fundatur, quòd materia, quatenus ſubſtantia, diviſibilis ſit, & ex partibus conſletur. Et quamvis hoc non eſſet, neſcio, cur divinâ naturâ indigna eſſet: quandoquidem (*per Prop.* 14.) extra Deum nulla ſubſtantia dari poteſt, à quâ ipſa pateretur. Omnia, inquam, in Deo ſunt, & omnia, quæ fiunt, per ſolas leges infinitæ Dei naturæ fiunt, & ex neceſſitate ejus eſſentiæ (ut mox oſtendam) ſequuntur; quare nullâ ratione dici poteſt, Deum ab alio pati, aut ſubſtantiam extenſam divinâ naturâ indignam eſſe; tametſi diviſibilis ſupponatur, dummodò æterna, & infinita concedatur. Sed de his impræſentiarum ſatis.

PROPOSITIO XVI.

Ex neceſſitate divinæ naturæ, infinita infinitis modis (hoc eſt, omnia, quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt) ſequi debent.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propoſitio unicuique manifeſta eſſe debet, ſi modò ad hoc attendat, quòd ex datâ cujuſcunque rei definitione plures proprietates intellectus concludit, quæ reverâ ex eâdem (hoc eſt, ipſâ rei eſſentiâ) neceſſariò ſequuntur, & eò plures, quò plus realitatis rei definitio exprimit, hoc eſt, quò plus realitatis rei definitæ eſſentia involvit. Cùm autem natura divina infinita abſolutè attributa habeat, (*per Defin.* 6.) quorum etiam unumquodque infinitam eſſentiam in ſuo genere exprimit, ex ejuſdem ergò neceſſitate infinita infinitis modis (hoc eſt, omnia, quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt) neceſſariò ſequi debent. *Q. E. D.*

COROLLARIUM I.

Hinc ſequitur, Deum omnium rerum, quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt, eſſe cauſam efficientem.

Co-

COROLLARIUM II.

Sequitur II°. Deum causam esse per se, non verò per accidens.

COROLLARIUM III.

Sequitur III°. Deum esse absolutè causam primam.

PROPOSITIO XVII.

Deus ex solis suæ naturæ legibus, & à nemine coactus agit.

DEMONSTRATIO.

Ex solâ divinæ naturæ necessitate, vel (quod idem est) ex solis ejusdem naturæ legibus, infinita absolutè sequi, modò *Prop.* 16. ostendimus; & *Prop.* 15. demonstravimus, nihil sine Deo esse, nec concipi posse; sed omnia in Deo esse; quare nihil extra ipsum esse potest, à quo ad agendum determinetur, vel cogatur, atque adeò Deus ex solis suæ naturæ legibus, & à nemine coactus agit. *Q.E.D.*

COROLLARIUM I.

Hinc sequitur I°. nullam dari causam, quæ Deum extrinsecè, vel intrinsecè, præter ipsius naturæ perfectionem, incitet ad agendum.

COROLLARIUM II.

Sequitur II°. solum Deum esse causam liberam. Deus enim solus ex solâ suæ naturæ necessitate existit, (*per Prop.* 11. *& Coroll. Prop.* 14.) & ex solâ suæ naturæ necessitate agit. (*per Prop. præced.*) Adeóque (*per Defin.* 7.) solus est causa libera. *Q.E.D.*

SCHOLIUM.

Alii putant, Deum esse causam liberam, propterea quòd potest, ut putant, efficere, ut ea, quæ ex ejus naturâ sequi diximus, hoc est, quæ in ejus potestate sunt, non fiant, sive ut ab ipso non producantur. Sed hoc idem est, ac si dicerent, quòd Deus potest efficere, ut ex naturâ trianguli non sequatur, ejus tres angulos æquales esse duobus rectis; sive ut ex datâ causâ non se-

quatur effectus, quod eſt abſurdum. Porrò infrà abſque ope hujus Propoſitionis oſtendam, ad Dei naturam neque intellectum, neque voluntatem pertinere. Scio equidem plures eſſe, qui putant, ſe poſſe demonſtrare, ad Dei naturam ſummum intellectum, & liberam voluntatem pertinere; nihil enim perfectius cognoſcere ſeſe ajunt, quod Deo tribuere poſſunt, quàm id, quod in nobis ſumma eſt perfectio. Porrò, tametſi Deum actu ſummè intelligentem concipiant, non tamen credunt, eum poſſe omnia, quæ actu intelligit, efficere, ut exiſtant; nam ſe eo modo Dei potentiam deſtruere putant. Si omnia, inquiunt, quæ in ejus intellectu ſunt, creaviſſet, nihil tum ampliùs creare potuiſſet, quod credunt Dei omnipotentiæ repugnare; ideóque maluerunt Deum ad omnia indifferentem ſtatuere, nec aliud creantem præter id, quod abſolutâ quâdam voluntate decrevit creare. Verùm ego me ſatis clarè oſtendiſſe puto, (*vid. Prop.* 16.) à ſummâ Dei potentiâ, ſive infinitâ naturâ infinita infinitis modis, hoc eſt, omnia neceſſariò efluxiſſe, vel ſemper eâdem neceſſitate ſequi; eodem modo, ac ex naturâ trianguli ab æterno, & in æternum ſequitur, ejus tres angulos æquari duobus rectis. Quare Dei omnipotentia actu ab æterno fuit, & in æternum in eâdem actualitate manebit. Et hoc modo Dei omnipotentia longè, meo quidem judicio, perfectior ſtatuitur. Imò adverſarii Dei omnipotentiam (liceat apertè loqui) negare videntur. Coguntur enim fateri, Deum infinita creabilia intelligere, quæ tamen nunquam creare poterit. Nam aliàs, ſi ſcilicet omnia, quæ intelligit, crearet, ſuam, juxta ipſos, exhauriret omnipotentiam, & ſe imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfectum ſtatuant, eò rediguntur, ut ſimul ſtatuere debeant, ipſum non poſſe omnia efficere, ad quæ ejus potentia ſe extendit, quo abſurdius, aut Dei omnipotentiæ magis repugnans, non video, quid fingi poſſit. Porrò, ut de intellectu, & voluntate, quos Deo communiter tribuimus, hîc etiam aliquid dicam; ſi ad æternam Dei eſſentiam, intellectus ſcilicet, & voluntas pertinent, aliud ſanè per utrumque hoc attributum intelligendum eſt, quàm quod vulgò ſolent homines. Nam intellectus, & voluntas, qui Dei eſſentiam conſtituerent, à noſtro intellectu, & voluntate,

te, toto cœlo differre deberent, nec in ullâ re, præterquam in nomine, convenire poſſent; non aliter ſcilicet, quàm inter ſe conveniunt canis, ſignum cœleſte, & canis, animal latrans. Quod ſic demonſtrabo. Si intellectus ad divinam naturam pertinet, non poterit, uti noſter intellectus, poſterior, (ut pleriſque placet,) vel ſimul naturâ eſſe cum rebus intellectis, quandoquidem Deus omnibus rebus prior eſt cauſalitate; (*per Coroll.* 1. *Prop.* 16.) ſed contrà veritas, & formalis rerum eſſentia ideò talis eſt, quia talis in Dei intellectu exiſtit objectivè. Quare Dei intellectus, quatenus Dei eſſentiam conſtituere concipitur, eſt reverâ cauſa rerum, tam earum eſſentiæ, quàm earum exiſtentiæ; quod ab iis videtur etiam fuiſſe animadverſum, qui Dei intellectum, voluntatem, & potentiam unum & idem eſſe aſſeruerunt. Cùm itaque Dei intellectus ſit unica rerum cauſa, videlicet (ut oſtendimus) tam earum eſſentiæ, quàm earum exiſtentiæ, debet ipſe neceſſariò ab iiſdem differre, tam ratione eſſentiæ, quàm ratione exiſtentiæ. Nam cauſatum differt à ſuâ cauſâ præciſè in eò, quòd à cauſâ habet. Ex. gr. homo eſt cauſa exiſtentiæ, non verò eſſentiæ alterius hominis; eſt enim hæc æterna veritas: & ideò ſecundùm eſſentiam prorſùs convenire poſſunt; in exiſtendo autem differre debent; & propterea, ſi unius exiſtentia pereat, non ideò alterius peribit; ſed, ſi unius eſſentia deſtrui poſſet, & fieri falſa, deſtrueretur etiam alterius eſſentia. Quapropter res, quæ & eſſentiæ, & exiſtentiæ alicujus effectûs eſt cauſa, à tali effectu differre debet, tam ratione eſſentiæ, quàm ratione exiſtentiæ. Atqui Dei intellectus eſt & eſſentiæ, & exiſtentiæ noſtri intellectûs cauſa: ergo Dei intellectus, quatenus divinam eſſentiam conſtituere concipitur, à noſtro intellectu, tam ratione eſſentiæ, quàm ratione exiſtentiæ differt, nec in ullâ re, præterquam in nomine, cum eo convenire poteſt, ut volebamus. Circa voluntatem eodem modo proceditur, ut facilè unuſquiſque videre poteſt.

PROPOSITIO XVIII.

Deus eſt omnium rerum cauſa immanens; non verò tranſiens.

DEMONSTRATIO.

Omnia, quæ ſunt, in Deo ſunt, & per Deum concipi debent, (*per Prop.* 15.) quod eſt primum. Deinde extra Deum nulla poteſt dari ſubſtantia, (*per Prop.* 14.) hoc eſt, (*per Defin.* 3.) res, quæ extra Deum in ſe ſit, quod erat ſecundum. Deus ergo eſt omnium rerum cauſa immanens; non verò tranſiens. *Q. E. D.*

atque ideo Deus est causa rerum, quae in ipso sunt,

PROPOSITIO XIX.

Deus, ſive omnia Dei attributa ſunt æterna.

DEMONSTRATIO.

Deus enim (*per Defin.* 6.) eſt ſubſtantia, quæ (*per Prop.* 11.) neceſſariò exiſtit, hoc eſt, (*per Prop.* 7.) ad cujus naturam pertinet exiſtere, ſive (quod idem eſt) ex cujus definitione ſequitur ipſum exiſtere, adeóque (*per Defin.* 8.) eſt æternus. Deinde per Dei attributa intelligendum eſt id, quod (*per Defin.* 4.) Divinæ ſubſtantiæ eſſentiam exprimit, hoc eſt, id, quod ad ſubſtantiam pertinet: id ipſum, inquam, ipſa attributa involvere debent. Atqui ad naturam ſubſtantiæ (*ut jam ex Prop.* 7. *demonſtravi*) pertinet æternitas, ergo unumquodque attributorum æternitatem involvere debet, adeóque omnia ſunt æterna. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Propoſitio quàm clariſſimè etiam patet ex modo, quo (*Prop.* 11.) Dei exiſtentiam demonſtravi; ex eâ, inquam, demonſtratione conſtat, Dei exiſtentiam, ſicut ejus eſſentiam, æternam eſſe veritatem. Deinde (*Prop.* 19. *Principiorum Carteſii*) alio etiam modo Dei æternitatem demonſtravi, nec opus eſt eum hîc repetere.

PROPOSITIO XX.

Dei exiſtentia, ejuſque eſſentia unum & idem ſunt.

DEMONSTRATIO.

Deus, (*per anteced. Prop.*) ejuſque omnia attributa ſunt æterna, hoc eſt, (*per Defin.* 8.) unumquodque ejus attributorum exiſtentiam exprimit. Eadem ergo Dei attributa, quæ (*per Defin.* 4.) Dei æternam eſſentiam explicant, ejus ſimul æternam exiſtentiam explicant, hoc eſt, illud ipſum, quod eſſentiam Dei conſtituit, conſti-

tuit

tuit ſimul ipſius exiſtentiam, adeóque hæc, & ipſius eſſentia unum & idem ſunt. *Q. E. D.*

COROLLARIUM I.

Hinc ſequitur I°. Dei exiſtentiam, ſicut ejus eſſentiam, æternam eſſe veritatem.

COROLLARIUM II.

Sequitur II°. Deum, ſive omnia Dei attributa eſſe immutabilia. Nam, ſi ratione exiſtentiæ mutarentur, deberent etiam, (*per Prop. præced.*) ratione eſſentiæ mutari, hoc eſt (ut per ſe notum) ex veris falſa fieri, quod eſt abſurdum.

PROPOSITIO XXI.

Omnia, quæ ex abſolutâ naturâ alicujus attributi Dei ſequuntur, ſemper, & infinita exiſtere debuerunt, ſive per idem attributum æterna, & infinita ſunt.

DEMONSTRATIO.

Concipe, ſi fieri poteſt, (ſiquidem neges) aliquid in aliquo Dei attributo ex ipſius abſolutâ naturâ ſequi, quod finitum ſit, & determinatam habeat exiſtentiam, ſive durationem, ex. gr. ideam Dei in cogitatione. At cogitatio, quandoquidem Dei attributum ſupponitur, eſt neceſſariò (*per Prop.* 11.) ſuâ naturâ infinita. Verùm, quatenus ipſa ideam Dei habet, finita ſupponitur. At (*per Defin.* 2.) finita concipi non poteſt, niſi per ipſam cogitationem determinetur. Sed non per ipſam cogitationem, quatenus ideam Dei conſtituit, eatenus enim finita ſupponitur eſſe: Ergo per cogitationem, quatenus ideam Dei non conſtituit, quæ tamen (*per Prop.* 11.) neceſſariò exiſtere debet: Datur igitur cogitatio non conſtituens ideam Dei, ac propterea ex ejus naturâ, quatenus eſt abſoluta cogitatio, non ſequitur neceſſariò idea Dei. (Concipitur enim ideam Dei conſtituens, & non conſtituens.) Quod eſt contra hypotheſin. Quare ſi idea Dei in cogitatione, aut aliquid (perinde eſt, quicquid ſumatur, quandoquidem demonſtratio univerſalis eſt) in aliquo Dei attributo ex neceſſitate abſolutæ naturæ ipſius attributi ſequatur, id debet neceſſariò eſſe infinitum; quod erat primum.

Deinde id, quod ex neceſſitate naturæ alicujus attributi ità ſequitur,

tur, non potest determinatam habere durationem. Nam, si neges, supponatur res, quæ ex necessitate naturæ alicujus attributi sequitur, dari in aliquo Dei attributo, ex. gr. idea Dei in cogitatione, eaque supponatur aliquando non exstitisse, vel non exstitura. Cùm autem cogitatio Dei attributum supponatur, debet & necessariò, & immutabilis existere. (*per Prop.* 11. *& Coroll.* 2. *Prop.* 20.) Quare ultra limites durationis ideæ Dei (supponitur enim aliquando non extitisse, aut non exstitura) cogitatio sine ideâ Dei existere debebit; atqui hoc est contra hypothesin; supponitur enim, ex datâ cogitatione necessariò sequi ideam Dei. Ergo idea Dei in cogitatione, aut aliquid, quod necessariò ex absolutâ naturâ alicujus attributi Dei sequitur, non potest determinatam habere durationem; sed per idem attributum æternum est, quod erat secundum. Nota, hoc idem esse affirmandum de quâcunque re, quæ in aliquo Dei attributo ex Dei absolutâ naturâ necessariò sequitur.

PROPOSITIO XXII.

Quicquid ex aliquo Dei attributo, quatenus modificatum est tali modificatione, quæ & necessariò, & infinita per idem existit, sequitur, debet quoque & necessariò, & infinitum existere.

DEMONSTRATIO.

Hujus Propositionis demonstratio procedit eodem modo, ac demonstratio præcedentis.

PROPOSITIO XXIII.

Omnis modus, qui & necessariò, & infinitus existit, necessariò sequi debuit, vel ex absolutâ naturâ alicujus attributi Dei, vel ex aliquo attributo modificato modificatione, quæ & necessariò, & infinita existit.

DEMONSTRATIO.

Modus enim in alio est, per quod concipi debet, (*per Defin.* 5.) hoc est (*per Prop.* 15.) in solo Deo est, & per solum Deum concipi potest.

poteſt. Si ergo modus concipitur neceſſariò exiſtere, & infinitus eſſe, utrumque hoc debet neceſſariò concludi, ſive percipi per aliquod Dei attributum, quatenus idem concipitur infinitatem, & neceſſitatem exiſtentiæ, ſive (*quod per Defin.* 8. *idem eſt*) æternitatem exprimere, hoc eſt, (*per Defin.* 6. *& Prop.* 19.) quatenus abſolutè conſideratur. Modus ergo, qui & neceſſariò, & infinitus exiſtit, ex abſolutâ naturâ alicujus Dei attributi ſequi debuit; hocque vel immediatè, (*de quo Prop.* 21.) vel mediante aliquâ modificatione, quæ ex ejus abſolutâ naturâ ſequitur, hoc eſt, (*per Prop. præced.*) quæ & neceſſariò, & infinita exiſtit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXIV.

Rerum à Deo productarum eſſentia non involvit exiſtentiam.

DEMONSTRATIO

Patet ex Definitione I. Id enim, cujus natura (in ſe ſcilicet conſiderata) involvit exiſtentiam, cauſa eſt ſui, & ex ſolâ ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit.

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, Deum non tantùm eſſe cauſam, ut res incipiant exiſtere; ſed etiam, ut in exiſtendo perſeverent, ſive, (ut termino Scholaſtico utar) Deum eſſe cauſam eſſendi rerum. Nam, ſive res exiſtant, ſive non exiſtant, quotiescunque ad earum eſſentiam attendimus, eandem nec exiſtentiam, nec durationem involvere comperimus; adeóque earum eſſentia neque ſuæ exiſtentiæ, neque ſuæ durationis poteſt eſſe cauſa; ſed tantùm Deus, ad cujus ſolam naturam pertinet exiſtere. (*per Coroll.* 1. *Prop.* 14.)

PROPOSITIO XXV.

Deus non tantùm eſt cauſa efficiens rerum exiſtentiæ; ſed etiam eſſentiæ.

DEMONSTRATIO.

Si negas, ergo rerum eſſentiæ Deus non eſt cauſa; adeóque (*per Axiom.* 4.) poteſt rerum eſſentia ſine Deo concipi: atqui hoc

(*per*

(*per Prop.* 15.) eſt abſurdum. Ergo rerum etiam eſſentiæ Deus eſt cauſa. *Q.E.D.*

SCHOLIUM.

Hæc Propoſitio clariùs ſequitur ex Propoſitione 16. Ex eâ enim ſequitur, quòd ex datâ naturâ divinâ, tam rerum eſſentia, quàm exiſtentia debeat neceſſariò concludi; &, ut verbo dicam, eo ſenſu, quo Deus dicitur cauſa ſui, etiam omnium rerum cauſa dicendus eſt, quod adhuc clariùs ex ſequenti Corollario conſtabit.

COROLLARIUM.

Res particulares nihil ſunt, niſi Dei attributorum affectiones, ſive modi, quibus Dei attributa certo, & determinato modo exprimuntur. Demonſtratio patet ex Propoſitione 15, & Definitione 5.

PROPOSITIO XXVI.

Res, quæ ad aliquid operandum determinata eſt, à Deo neceſſariò ſic fuit determinata; &, quæ à Deo non eſt determinata, non poteſt ſe ipſam ad operandum determinare.

DEMONSTRATIO.

Id, per quod res determinatæ ad aliquid operandum dicuntur, neceſſariò quid poſitivum eſt; (ut per ſe notum) Adeóque, tam ejus eſſentiæ, quàm exiſtentiæ, Deus ex neceſſitate ſuæ naturæ eſt cauſa efficiens; (*per Prop.* 25. *&* 16.) quod erat primum. Ex quo etiam, quod ſecundò proponitur clariſſimè ſequitur. Nam ſi res, quæ à Deo determinata non eſt, ſe ipſam determinare poſſet, prima pars hujus falſa eſſet, quod eſt abſurdum, ut oſtendimus.

PROPOSITIO XXVII.

Res, quæ à Deo ad aliquid operandum determinata eſt, ſe ipſam indeterminatam reddere non poteſt.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propoſitio patet ex Axiomate tertio.

PRO-

PROPOSITIO XXVIII.

Quodcunque ſingulare, ſive quævis res, quæ finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam, non poteſt exiſtere, nec ad operandum determinari, niſi ad exiſtendum, & operandum determinetur ab aliâ cauſâ, quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam: & rurſùs hæc cauſa non poteſt etiam exiſtere, neque ad operandum determinari, niſi ab aliâ, quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam, determinetur ad exiſtendum, & operandum, & ſic in infinitum.

DEMONSTRATIO.

Quicquid determinatum eſt ad exiſtendum, & operandum, à Deo ſic determinatum eſt: (*per Prop.* 26. *& Coroll. Prop.* 24.) At id, quod finitum eſt, & determinatam habet exiſtentiam, ab abſolutâ naturâ alicujus Dei attributi produci non potuit; quicquid enim ex abſolutâ naturâ alicujus Dei attributi ſequitur, id infinitum, & æternum eſt. (*per Prop.* 21.) Debuit ergo ex Deo, vel aliquo ejus attributo ſequi, quatenus aliquo modo affectum conſideratur; præter enim ſubſtantiam, & modos nil datur, (*per Axiom.* 1. *& Defin.* 3. *&* 5.) & modi (*per Coroll. Prop.* 25.) nihil ſunt, niſi Dei attributorum affectiones. At ex Deo, vel aliquo ejus attributo, quatenus affectum eſt modificatione, quæ æterna, & infinita eſt, ſequi etiam non potuit. (*per Prop.* 22.) Debuit ergo ſequi, vel ad exiſtendum, & operandum determinari à Deo, vel aliquo ejus attributo, quatenus modificatum eſt modificatione, quæ finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam. Quod erat primum. Deinde hæc rurſùs cauſa, ſive hic modus (*per eandem rationem, quâ primam partem hujus jam jam demonſtravimus*) debuit etiam determinari ab aliâ, quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam, & rurſùs hæc ultima (*per eandem rationem*) ab aliâ, & ſic ſemper (*per eandem rationem*) in infinitum. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cùm quædam à Deo immediatè produci debuerunt, videlicet ea, quæ ex abſolutâ ejus naturâ neceſſariò ſequuntur, mediantibus his primis, quæ tamen ſine Deo nec eſſe, nec concipi poſſunt; hinc ſequitur I°. quòd Deus ſit rerum immediatè ab ipſo productarum cauſa abſolutè proxima; non verò in ſuo genere, ut ajunt. Nam Dei effectus, ſine ſuâ cauſâ, nec eſſe, nec concipi poſſunt. (*per Prop.* 15. *& Coroll. Prop.* 24.) Sequitur II°. quòd Deus non poteſt propriè dici cauſa eſſe remota rerum ſingularium, niſi fortè eâ de cauſâ, ut ſcilicet has ab iis, quas immediatè produxit, vel potiùs, quæ ex abſolutâ ejus naturâ ſequuntur, diſtinguamus. Nam per cauſam remotam talem intelligimus, quæ cum effectu nullo modo conjuncta eſt. At omnia, quæ ſunt, in Deo ſunt, & à Deo ità dependent, ut ſine ipſo nec eſſe, non concipi poſſint.

PROPOSITIO XXIX.

In rerum naturâ nullum datur contingens; ſed omnia ex neceſſitate divinæ naturæ determinata ſunt ad certo modo exiſtendum, & operandum.

DEMONSTRATIO.

Quicquid eſt, in Deo eſt: (*per Prop.* 15.) Deus autem non poteſt dici res contingens. Nam (*per Prop.* 11.) neceſſariò, non verò contingenter exiſtit. Modi deinde divinæ naturæ ex eâdem etiam neceſſariò; non verò contingenter ſecuti ſunt, (*per Prop.* 16.) idque, vel quatenus divina natura abſolutè, (*per Prop.* 21.) vel quatenus certo modo ad agendum determinata conſideratur. (*per Prop.* 27.) Porrò horum modorum Deus non tantùm eſt cauſa, quatenus ſimpliciter exiſtunt; (*per Coroll. Prop.* 24.) ſed etiam, (*per Prop.* 26.) quatenus ad aliquid operandum determinati conſiderantur. Quod ſi à Deo (*per eand. Prop.*) determinati non ſint, impoſſibile; non verò contingens eſt, ut ſe ipſos determinent; & contrà (*per Prop.* 27.) ſi à Deo determinati ſint, impoſſibile; non verò contingens eſt, ut ſe ipſos indeterminatos reddant. Quare

omnia

omnia ex neceſſitate divinæ naturæ determinata ſunt, non tantùm ad exiſtendum; ſed etiam ad certo modo exiſtendum, & operandum, nullumque datur contingens. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Antequam ulteriùs pergam, hîc, quid nobis per Naturam naturantem, & quid per Naturam naturatam intelligendum ſit, explicare volo, vel potiùs monere. Nam ex antecedentibus jam conſtare exiſtimo, nempe, quòd per Naturam naturantem nobis intelligendum eſt id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, ſive talia ſubſtantiæ attributa, quæ æternam, & infinitam eſſentiam exprimunt, hoc eſt, (*per Coroll.* 1. *Prop.* 14. *& Coroll.* 2. *Prop.* 17.) Deus, quatenus, ut cauſa libera, conſideratur. Per Naturatam autem intelligo id omne, quod ex neceſſitate Dei naturæ, ſivè uniuscujuſque Dei attributorum ſequitur, hoc eſt, omnes Dei attributorum modos, quatenus conſiderantur, ut res, quæ in Deo ſunt, & quæ ſine Deo nec eſſe, nec concipi poſſunt.

PROPOSITIO XXX.

Intellectus actu finitus, aut actu infinitus Dei attributa, Deique affectiones comprehendere debet, & nihil aliud.

DEMONSTRATIO.

Idea vera debet convenire cum ſuo ideato, (*per Axiom.* 6.) hoc eſt (ut per ſe notum) id, quod in intellectu objectivè continetur, debet neceſſariò in naturâ dari: atqui in naturâ (*per Coroll.* 1. *Prop.* 14.) non niſi una ſubſtantia datur, nempe Deus; nec ullæ aliæ affectiones, (*per Prop.* 15.) quàm quæ in Deo ſunt, & quæ (*per eandem Prop.*) ſine Deo nec eſſe, nec concipi poſſunt; ergo intellectus actu finitus, aut actu infinitus Dei attributa, Deique affectiones comprehendere debet, & nihil aliud. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXI.

Intellectus actu, ſive is finitus ſit, ſive infinitus, ut & voluntas, cupiditas, amor &c. ad Naturam naturatam; non verò ad naturantem referri debent.

DEMONSTRATIO.

Per intellectum enim (*ut per ſe notum*) non intelligimus abſolutam cogitationem; ſed certum tantùm modum cogitandi, qui modus ab aliis, ſcilicet cupiditate, amore, &c. differt, adeóque (*per Defin.* 5.) per abſolutam cogitationem concipi debet, nempe (*per Prop.* 15. *& Defin.* 6.) per aliquod Dei attributum, quod æternam, & infinitam cogitationis eſſentiam exprimit, ità concipi debet, ut ſine ipſo nec eſſe, nec concipi poſſit; ac propterea (*per Schol. Prop.* 29.) ad Naturam naturatam; non verò naturantem referri debet, ut etiam reliqui modi cogitandi. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Ratio, cur hîc loquar de intellectu actu, non eſt, quia concedo, ullum dari intellectum potentiâ; ſed, quia omnem confuſionem vitare cupio, nolui loqui, niſi de re nobis quàm clariſſimè perceptâ, de ipſâ ſcilicet intellectione, quâ nihil nobis clariùs percipitur. Nihil enim intelligere poſſumus, quod ad perfectiorem intellectionis cognitionem non conducat.

PROPOSITIO XXXII.

Voluntas non poteſt vocari cauſa libera; ſed tantùm neceſſaria.

DEMONSTRATIO.

Voluntas certus tantùm cogitandi modus eſt, ſicuti intellectus; adeóque (*per Prop.* 28.) unaquæque volitio non poteſt exiſtere, neque ad operandum determinari, niſi ab aliâ cauſâ determinetur, & hæc rurſus ab aliâ, & ſic porrò in infinitum. Quòd ſi voluntas infinita ſupponatur, debet etiam ad exiſtendum, & operandum determinari à Deo, non quàtenus ſubſtantia abſolutè infinita eſt; ſed quatenus attributum habet, quod infinitam, & æternam cogitationis eſſentiam exprimit. (*per Prop.* 23.) Quocumque igitur modo, ſive finita, ſive infinita concipiatur, cauſam requirit, à quâ ad exiſtendum, & operandum determinetur; adeóque (*per Defin.* 7.) non poteſt dici cauſa libera; ſed tantùm neceſſaria, vel coacta. *Q. E. D.*

COROL-

COROLLARIUM I.

Hinc sequitur I°. Deum non operari ex libertate voluntatis.

COROLLARIUM II.

Sequitur II°. voluntatem, & intellectum ad Dei naturam ità sese habere, ut motus, & quies; & absolutè, ut omnia naturalia, quæ (*per Prop.* 29.) à Deo ad existendum, & operandum certo modo determinari debent. Nam voluntas, ut reliqua omnia, causâ indiget, à quâ ad existendum, & operandum certo modo determinetur. Et, quamvis ex datâ voluntate, sive intellectu infinita sequantur; non tamen propterea Deus magis dici potest ex libertate voluntatis agere, quàm propter ea, quæ ex motu, & quiete sequuntur, (infinita enim ex his etiam sequuntur) dici potest ex libertate motus, & quietis agere. Quare voluntas ad Dei naturam non magis pertinet, quàm reliqua naturalia; sed ad ipsam eodem modo sese habet, ut motus, & quies, & omnia reliqua, quæ ostendimus ex necessitate divinæ naturæ sequi, & ab eadem ad existendum, & operandum certo modo determinari.

PROPOSITIO XXXIII.

Res nullo alio modo, neque alio ordine à Deo produci potuerunt, quàm productæ sunt.

DEMONSTRATIO.

Res enim omnes ex datâ Dei naturâ necessariò sequutæ sunt, (*per Prop.* 16.) & ex necessitate naturæ Dei determinatæ sunt ad certo modo existendum, & operandum. (*per Prop.* 29.) Si itaque res alterius naturæ potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ ordo alius esset; ergo Dei etiam natura alia posset esse, quàm jam est; ac proinde (*per Prop.* 11.) illa etiam deberet existere, & consequenter duo, vel plures possent dari Dii, quod (*per Coroll.* 1. *Prop.* 14.) est absurdum. Quapropter res nullo alio modo, neque alio ordine, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM I.

Quoniam his luce meridianâ clariùs oſtendi, nihil abſolutè in rebus dari, propter quod contingentes dicantur, explicare jam paucis volo, quid nobis per contingens erit intelligendum; ſed priùs, quid per neceſſarium, & impoſſibile. Res aliqua neceſſaria dicitur, vel ratione ſuæ eſſentiæ, vel ratione cauſæ. Rei enim alicujus exiſtentia vel ex ipſius eſſentiâ, & definitione, vel ex datâ cauſâ efficiente neceſſariò ſequitur. Deinde his etiam de cauſis res aliqua impoſſibilis dicitur; nimirùm quia vel ipſius eſſentia, ſeu definitio contradictionem involvit, vel quia nulla cauſa externa datur, ad talem rem producendam determinata. At res aliqua nullâ aliâ de cauſâ contingens dicitur, niſi reſpectu defectus noſtræ cognitionis. Res enim, cujus eſſentiam contradictionem involvere ignoramus, vel de quâ probè ſcimus, eandem nullam contradictionem involvere; & tamen de ipſius exiſtentiâ nihil certò affirmare poſſumus, propterea quòd ordo cauſarum nos latet, ea nunquam, nec ut neceſſaria, nec ut impoſſibilis videri nobis poteſt, ideóque eandem vel contingentem, vel poſſibilem vocamus.

SCHOLIUM II.

Ex præcedentibus clarè ſequitur, res ſummâ perfectione à Deo fuiſſe productas: quandoquidem ex datâ perfectiſſimâ naturâ neceſſariò ſecutæ ſunt. Neque hoc Deum ullius arguit imperfectionis; ipſius enim perfectio hoc nos affirmare coëgit. Imò ex hujus contrario clarè ſequeretur, (ut modo oſtendi.) Deum non eſſe ſummè perfectum; nimirùm quia, ſi res alio modo fuiſſent productæ, Deo alia natura eſſet tribuenda, diverſa ab eâ, quam ex conſideratione Entis perfectiſſimi coacti ſumus ei tribuere. Verùm non dubito, quin multi hanc ſententiam, ut abſurdam, explodant, nec animum ad eandem perpendendam inſtituere velint; idque nullâ aliâ de cauſâ, quàm quia Deo aliam libertatem aſſueti ſunt tribuere, longè diverſam ab illâ, quæ à nobis (*Defin.* 6.) tradita eſt; videlicet, abſolutam voluntatem. Verùm neque etiam dubito, ſi rem meditari vellent, noſtrarumque demonſtrationum ſeriem rectè ſecum perpendere, quin tandem talem libertatem,

qualem

qualem jam Deo tribuunt, non tantùm, ut nugatoriam; ſed, ut magnum ſcientiæ obſtaculum, planè rejiciant. Nec opus eſt, ut ea, quæ in Scholio Propoſitionis 17. dicta ſunt, hîc repetam. Attamen in eorum gratiam adhuc oſtendam, quòd, quamvis concedatur, voluntatem ad Dei eſſentiam pertinere, ex ejus perfectione nihilominus ſequatur, res nullo alio potuiſſe modo, neque ordine à Deo creari; quod facile erit oſtendere, ſi priùs conſideremus id, quod ipſimet concedunt, videlicet ex ſolo Dei decreto, & voluntate pendêre, ut unaquæque res id, quod eſt, ſit. Nam aliàs Deus omnium rerum cauſa non eſſet. Deinde quòd omnia Dei decreta ab æterno ab ipſo Deo ſancita fuerunt. Nam aliàs imperfectionis, & inconſtantiæ argueretur. At cùm in æterno non detur *quando*, *ante*, nec *poſt*: hinc, ex ſolâ ſcilicet Dei perfectione, ſequitur, Deum aliud decernere nunquam poſſe, nec unquam potuiſſe; ſive Deum ante ſua decreta non fuiſſe, nec ſine ipſis eſſe poſſe. At dicunt, quòd, quamvis ſupponeretur, quòd Deus aliam rerum naturam feciſſet, vel quòd ab æterno aliud de naturâ, ejuſque ordine decreviſſet, nulla inde in Deo ſequeretur imperfectio. Verùm ſi hoc dicant, concedent ſimul, Deum poſſe ſua mutare decreta. Nam ſi Deus de naturâ, ejuſque ordine aliud, quàm decrevit, decreviſſet, hoc eſt, ut aliud de naturâ voluiſſet, & concepiſſet, alium neceſſariò, quàm jam habet intellectum, & aliam, quàm jam habet, voluntatem habuiſſet. Et ſi Deo alium intellectum, aliamque voluntatem tribuere licet, abſque ullâ ejus eſſentiæ, ejuſque perfectionis mutatione; quid cauſæ eſt, cur jam non poſſit ſua de rebus creatis decreta mutare; & nihilominùs æquè perfectus manere? Ejus enim intellectus, & voluntas circa res creatas, & earum ordinem in reſpectu ſuæ eſſentiæ, & perfectionis, perinde eſt quomodocunque concipiatur. Deinde omnes, quos vidi, Philoſophi concedunt, nullum in Deo dari intellectum potentiâ, ſed tantùm actu; cùm autem & ejus intellectus, & ejus voluntas ab ejuſdem eſſentiâ non diſtinguantur, ut etiam omnes concedunt; ſequitur ergo hinc etiam, quòd, ſi Deus alium intellectum actu habuiſſet, & aliam voluntatem; ejus etiam eſſentia alia neceſſariò eſſet; ac proinde, (ut à principio con-

concluſi) ſi aliter res, quàm jam ſunt, à Deo productæ eſſent, Dei intellectus, ejuſque voluntas, hoc eſt (ut conceditur) ejus eſſentia alia eſſe deberet, quod eſt abſurdum.

Cùm itaque res nullo alio modo, nec ordine à Deo produci potuerint; &, hoc verum eſſe, ex ſummâ Dei perfectione ſequatur; nulla profectò ſana ratio perſuadere nobis poteſt, ut credamus, quòd Deus noluerit omnia, quæ in ſuo intellectu ſunt, eâdem illâ perfectione, quâ ipſa intelligit, creare. At dicent, in rebus nullam eſſe perfectionem, neque imperfectionem; ſed id, quod in ipſis eſt, propter quod perfectæ ſunt, aut imperfectæ; & bonæ, aut malæ dicuntur, à Dei tantùm voluntate pendêre; atque adeò, ſi Deus voluiſſet, potuiſſet efficere, ut id, quod jam perfectio eſt, ſumma eſſet imperfectio, & contrà. Verùm quid hoc aliud eſſet, quàm apertè affirmare, quòd Deus, qui id, quod vult, neceſſariò intelligit, ſuâ voluntate efficere poteſt, ut res, alio modo, quàm intelligit, intelligat, quod (ut modo oſtendi) magnum eſt abſurdum. Quare argumentum in ipſos retorquere poſſum, hoc modo. Omnia à Dei poteſtate pendent. Ut res itaque aliter ſe habere poſſint, Dei neceſſariò voluntas aliter ſe habere etiam deberet; atqui Dei voluntas aliter ſe habere nequit, (ut modo ex Dei perfectione evidentiſſimè oſtendimus.) Ergo neque res aliter ſe habere poſſunt. Fateor, hanc opinionem, quæ omnia indifferenti cuidam Dei voluntati ſubjicit, & ab ipſius beneplacito omnia pendêre ſtatuit, minùs à vero aberrare, quàm illorum, qui ſtatuunt, Deum omnia ſub ratione boni agere. Nam hi aliquid extra Deum videntur ponere, quod à Deo non dependet, ad quod Deus, tanquam ad exemplar, in operando attendit, vel ad quod, tanquam ad certum ſcopum, collimat. Quod profectò nihil aliud eſt, quàm Deum fato ſubjicere, quo nihil de Deo abſurdius ſtatui poteſt, quem oſtendimus tam omnium rerum eſſentiæ, quàm earum exiſtentiæ primam, & unicam liberam cauſam eſſe. Quare non eſt, ut in hoc abſurdo refutando tempus conſumam.

PROPOSITIO XXXIV.

Dei potentia eſt ipſa ipſius eſſentia.

DE-

Demonstratio.

Ex solâ enim necessitate Dei essentiæ sequitur, Deum esse causam sui, *(per Prop.* 11.) & (*per Prop.* 16. *ejusque Coroll.*) omnium rerum. Ergo potentia Dei, quâ ipse, & omnia sunt, & agunt, est ipsa ipsius essentia. *Q. E. D.*

Propositio XXXV.

Quicquid concipimus in Dei potestate esse, id necessariò est.

Demonstratio.

Quicquid enim in Dei potestate est, id *(per Prop. præced.)* in ejus essentiâ ità debet comprehendi, ut ex eâ necessariò sequatur, adeoque necessariò est. *Q. E. D.*

Propositio XXXVI.

Nihil existit, ex cujus naturâ aliquis effectus non sequatur.

Demonstratio.

Quicquid existit, Dei naturam, sive essentiam certo, & determinato modo exprimit, (*per Prop.* 25.) hoc est, *(per Prop.* 34.) quicquid existit, Dei potentiam, quæ omnium rerum causa est, certo, & determinato modo exprimit, adeóque (*per Prop.* 16.) ex eo aliquis effectus sequi debet. *Q. E. D.*

Appendix.

His Dei naturam, ejusque proprietates explicui, ut, quòd necessariò existit; quòd sit unicus; quòd ex solâ suæ naturæ necessitate sit, & agat; quòd sit omnium rerum causa libera, & quomodò; quòd omnia in Deo sint, & ab ipso ità pendeant, ut sine ipso nec esse, nec concipi possint; & denique quòd omnia à Deo fuerint prædeterminata, non quidem ex libertate voluntatis, sive absoluto beneplacito; sed ex absolutâ Dei naturâ, sive infinitâ potentiâ. Porrò ubicunque data fuit occasio, præjudicia, quæ impedire poterant, quò minùs meæ demonstrationes perciperentur, amovere curavi; sed quia non pauca adhuc restant præjudicia, quæ etiam, imò maximè impedire poterant, & possunt, quò minùs homines rerum concatenationem eo, quo ipsam explicui, modo amplecti possint, eadem hîc ad examen rationis vocare ope-

ræ pretium duxi. Et quoniam omnia, quæ hîc indicare ſuſcipio, præjudicia pendent ab hoc uno, quòd ſcilicet communiter ſupponant homines, omnes res naturales, ut ipſos, propter finem agere; imò, ipſum Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere, pro certo ſtatuant: dicunt enim, Deum omnia propter hominem feciſſe, hominem autem, ut ipſum coleret. Hoc igitur unum priùs conſiderabo, quærendo ſcilicet, *primò* cauſam, cur plerique hoc in præjudicio acquieſcant, & omnes naturâ adeò propenſi ſint ad idem amplectendum. *Deinde* ejuſdem falſitatem oſtendam, & *tandem*, quomodò ex hoc orta ſint præjudicia de *bono* & *malo*, *merito* & *peccato*, *laude* & *vituperio*, *ordine* & *confuſione*, *pulchritudine* & *deformitate*, & de aliis hujus generis. Verùm, hæc ab humanæ mentis naturâ deducere, non eſt hujus loci: Satis hîc erit, ſi pro fundamento id capiam, quod apud omnes debet eſſe in confeſſo; nempe hoc, quòd omnes homines rerum cauſarum ignari naſcuntur, & quòd omnes appetitum habent ſuum utile quærendi, cujus rei ſunt conſcii. Ex his enim ſequitur, *primò*, quòd homines, ſe liberos eſſe, opinentur, quandoquidem ſuarum volitionum, ſuique appetitûs ſunt conſcii, & de cauſis, à quibus diſponuntur ad appetendum, & volendum, quia earum ſunt ignari, ne per ſomnium cogitant. Sequitur *ſecundò*, homines omnia propter finem agere; videlicet propter utile, quod appetunt; unde fit, ut ſemper rerum peractarum cauſas finales tantùm ſcire expetant, &, ubi ipſas audiverint, quieſcant; nimirùm, quia nullam habent cauſam ulteriùs dubitandi. Sin autem eaſdem ex alio audire nequeant, nihil iis reſtat, niſi ut ad ſemet ſe convertant, & ad fines, à quibus ipſi ad ſimilia determinari ſolent, reflectant, & ſic ex ſuo ingenio ingenium alterius neceſſariò judicant. Porrò cùm in ſe, & extra ſe non pauca reperiant media, quæ, ad ſuum utile aſſequendum, non parùm conducant, ut ex. gr. oculos ad videndum, dentes ad maſticandum, herbas, & animantia ad alimentum, ſolem ad illuminandum, mare ad alendum piſces, &c. hinc factum, ut omnia naturalia, tanquam ad ſuum utile media, conſiderent; & quia illa media ab ipſis inventa, non autem parata eſſe ſciunt; hinc cauſam credendi habuerunt, aliquem alium eſſe, qui illa media in eorum uſum paraverit. Nam poſtquam res,

ut

ut media, consideraverunt, credere non potuerunt, easdem se ipsas fecisse; sed ex mediis, quæ sibi ipsi parare solent, concludere debuerunt, dari aliquem, vel aliquos naturæ rectores, humanâ prædítos libertate, qui ipsis omnia curaverint, & in eorum usum omnia fecerint. Atque horum etiam ingenium, quandoquidem de eo nunquam quid audiverant, ex suo judicare debuerunt, atque hinc statuerunt, Deos omnia in hominum usum dirigere, ut homines sibi devinciant, & in summo ab iisdem honore habeantur; unde factum, ut unusquisque diversos Deum colendi modos ex suo ingenio excogitaverit, ut Deus eos supra reliquos diligeret, & totam naturam in usum cœcæ illorum cupiditatis, & insatiabilis avaritiæ dirigeret. Atque ità hoc præjudicium in superstitionem versum, & altas in mentibus egit radices; quod in causâ fuit, ut unusquisque maximo conatu omnium rerum causas finales intelligere, easque explicare studeret. Sed dum quæsiverunt ostendere, naturam nihil frustrà (hoc est, quod in usum hominum non sit) agere, nihil aliud videntur ostendisse, quàm naturam, Deosque æquè, ac homines, delirare. Vide quæso, quò res tandem evasit! Inter tot naturæ commoda non pauca reperire debuerunt incommoda, tempestates scilicet, terræ motus, morbos &c. atque hæc statuerunt propterea evenire, quòd Dii irati essent ob injurias, sibi ab hominibus factas, sive ob peccata in suo cultu commissa; & quamvis experientia indies reclamaret, ac infinitis exemplis ostenderet, commoda, atque incommoda piis æquè, ac impiis promiscuè evenire, non ideò ab inveterato præjudicio destiterunt: facilius enim iis fuit, hoc inter alia incognita, quorum usum ignorabant, ponere, & sic præsentem suum & innatum statum ignorantiæ retinere, quàm totam illam fabricam destruere, & novam excogitare. Unde pro certo statuerunt, Deorum judicia humanum captum longissimè superare: quæ sanè unica fuisset causa, ut veritas humanum genus in æternum lateret; nisi Mathesis, quæ non circa fines; sed tantùm circa figurarum essentias, & proprietates versatur, aliam veritatis normam hominibus ostendisset, & præter Mathesin aliæ etiam adsignari possunt causæ, (quas hic enumerare supervacaneum est) à quibus fieri potuit, ut homines communia hæc præjudi-

cia animadverterent, & in veram rerum cognitionem ducerentur.

His ſatis explicui id, quod primo loco promiſi. Ut jam autem oſtendam, naturam finem nullum ſibi præfixum habere, & omnes cauſas finales nihil, niſi humana eſſe figmenta, non opus eſt multis. Credo enim id jam ſatis conſtare, tam ex fundamentis, & cauſis, unde hoc præjudicium originem ſuam traxiſſe oſtendi, quàm ex *Propoſitione* 16. & *Corollario Propoſitionis* 32. & præterea ex iis omnibus, quibus oſtendi, omnia naturæ æternâ quâdam neceſſitate, ſummâque perfectione procedere. Hoc tamen adhuc addam, nempe, hanc de fine doctrinam naturam omninò evertere. Nam id, quod reverâ cauſa eſt, ut effectum conſiderat, & contrà. Deinde id, quod naturâ prius eſt, facit poſterius. Et denique id, quod ſupremum, & perfectiſſimum eſt, reddit imperfectiſſimum. Nam, (duobus prioribus omiſſis, quia per ſe manifeſta ſunt) ut ex *Propoſitionibus* 21. 22. & 23. conſtat, ille effectus perfectiſſimus eſt, qui à Deo immediatè producitur, & quò aliquid pluribus cauſis intermediis indiget, ut producatur, eò imperfectius eſt. At ſi res, quæ immediatè à Deo productæ ſunt, eâ de cauſâ factæ eſſent, ut Deus finem aſſequeretur ſuum, tum neceſſariò ultimæ, quarum de cauſâ priores factæ ſunt, omnium præſtantiſſimæ eſſent. Deinde hæc doctrina Dei perfectionem tollit: Nam, ſi Deus propter finem agit, aliquid neceſſariò appetit, quo caret. Et, quamvis Theologi, & Metaphyſici diſtinguant inter finem indigentiæ, & finem aſſimilationis, fatentur tamen Deum omnia propter ſe; non verò propter res creandas egiſſe; quia nihil ante creationem præter Deum aſſignare poſſunt, propter quod Deus ageret; adeóque neceſſariò fateri coguntur, Deum iis, propter quæ media parare voluit, caruiſſe, eaque cupiviſſe, ut per ſe clarum. Nec hîc prætereundum eſt, quòd hujus doctrinæ Sectatores, qui in aſſignandis rerum finibus ſuum ingenium oſtentare voluerunt, ad hanc ſuam doctrinam probandam, novum attulerunt modum argumentandi, reducendo ſcilicet, non ad impoſſibile; ſed ad ignorantiam; quod oſtendit nullum aliud fuiſſe huic doctrinæ argumentandi medium. Nam ſi ex. gr. ex culmine aliquo lapis in alicujus caput ceciderit, eumque interfecerit, hoc modo demonſtrabunt, lapidem ad hominem interficiendum cecidiſſe. Ni enim eum in finem,

Deo,

Deo id volente, ceciderit, quomodò tot circumſtantiæ (ſæpe enim multæ ſimul concurrunt) caſu concurrere potuerunt? Reſpondebis fortaſſe, id ex eo, quòd ventus flavit, & quòd homo illàc iter habebat, eveniſſe. At inſtabunt, cur ventus illo tempore flavit? cur homo illo eodemque tempore illàc iter habebat? Si iterùm reſpondeas, ventum tum ortum, quia mare præcedenti die, tempore adhuc tranquillo, agitari inceperat; & quòd homo ab amico invitatus fuerat; inſtabunt iterùm, quia nullus rogandi finis, cur autem mare agitabatur? cur homo in illud tempus invitatus fuit? & ſic porrò cauſarum cauſas rógare non ceſſabunt, donec ad Dei voluntatem, hoc eſt, ignorantiæ aſylum confugeris. Sic etiam, ubi corporis humani fabricam vident, ſtupeſcunt, & ex eo, quòd tantæ artis cauſas ignorant, concludent, eandem non mechanicâ; ſed divinâ, vel ſupernaturali arte fabricari, talique modo conſtitui, ut una pars alteram non lædat. Atque hinc fit, ut qui miraculorum cauſas veras quærit, quique res naturales, ut doctus, intelligere; non autem, ut ſtultus, admirari ſtudet, paſſim pro hæretico, & impio habeatur, & proclametur ab iis, quos vulgus, tanquam naturæ, Deorumque interpretes, adorat. Nam ſciunt, quòd, ſublatâ ignorantiâ, ſtupor, hoc eſt, unicum argumentandi, tuendæque ſuæ auctoritatis medium, quod habent, tollitur. Sed hæc relinquo, & ad id, quod *tertiò* loco hic agere conſtitui, pergo.

Poſtquam homines ſibi perſuaſerunt, omnia, quæ fiunt, propter ipſos fieri; id in unaquâque re præcipuum judicare debuerunt, quod ipſis utiliſſimum, & illa omnia præſtantiſſima æſtimare, à quibus optimè afficiebantur. Unde has formare debuerunt notiones, quibus rerum naturas explicarent, ſcilicet, *Bonum*, *Malum*, *Ordinem*, *Confuſionem*, *Calidum*, *Frigidum*, *Pulchritudinem*, & *Deformitatem*: & quia ſe liberos exiſtimant, inde hæ notiones ortæ ſunt, ſcilicet, *Laus* & *Vituperium*, *Peccatum*, & *Meritum*; ſed has infrà, poſtquam de naturâ humanâ egero, illas autem hîc breviter explicabo. Nempe id omne, quod ad valetudinem, & Dei cultum conducit, *Bonum*; quod autem iis contrarium eſt, *Malum* vocaverunt. Et quia ii, qui rerum naturam non intelligunt, nihil de rebus affirmant; ſed res tantummodò imaginantur, & imaginationem

nem pro intellectu capiunt, ideò ordinem in rebus esse firmiter credunt, rerum, suæque naturæ ignari. Nam cùm ità sint dispositæ, ut, cùm nobis per sensus repræsentantur, eas facilè imaginari, & consequenter earum facilè recordari possimus, easdem benè ordinatas; si verò contrà, ipsas malè ordinatas, sive confusas esse dicimus. Et quoniam ea nobis præ cæteris grata sunt, quæ facilè imaginari possumus, ideò homines ordinem confusioni præferunt; quasi ordo aliquid in naturâ præter respectum ad nostram imaginationem esset; dicuntque Deum omnia ordine creâsse, & hoc modo ipsi nescientes Deo imaginationem tribuunt; nisi velint fortè, Deum, humanæ imaginationi providentem, res omnes eo disposuisse modo, quo ipsas facillimè imaginari possent; nec moram forsan iis injiciet, quòd infinita reperiantur, quæ nostram imaginationem longè superant, & plurima, quæ ipsam, propter ejus imbecillitatem, confundunt. Sed de hâc re satis. Cæteræ deinde notiones etiam præter imaginandi modos, quibus imaginatio diversimodè afficitur, nihil sunt, & tamen ab ignaris, tanquam præcipua rerum attributa, considerantur; quia, ut jam diximus, res omnes propter ipsos factas esse, credunt; & rei alicujus naturam bonam, vel malam, sanam, vel putridam, & corruptam dicunt, prout ab eâdem afficiuntur. Ex. gr. si motus, quem nervi ab objectis, per oculos repræsentatis, accipiunt, valetudini conducat, objecta, à quibus causatur, pulchra dicuntur, quæ autem contrarium motum cient, deformia. Quæ deinde per nares sensum movent, odorifera, vel fætida vocant, quæ per linguam, dulcia, aut amara; sapida aut insipida, &c. Quæ autem per tactum, dura, aut mollia; aspera, aut lævia, &c. Et quæ denique aures movent, strepitum, sonum, vel harmoniam edere dicuntur, quorum postremum homines adeò dementavit, ut Deum etiam harmoniâ delectari crederent. Nec desunt Philosophi, qui sibi persuaserint, motus cœlestes harmoniam componere. Quæ omnia satis ostendunt, unumquemque pro dispositione cerebri de rebus judicâsse, vel potiùs imaginationis affectiones pro rebus accepisse. Quare non mirum est, (ut hoc etiam obiter notemus) quòd inter homines tot, quot experimur, controversiæ ortæ sint, ex quibus tandem Scepticismus. Nam, quamvis humana corpora in multis conveniant; in plurimis tamen discrepant,

crepant, & ideò id, quod uni bonum, alteri malum videtur; quod uni ordinatum, alteri confuſum; quod uni gratum, alteri ingratum eſt, & ſic de cæteris, quibus hic ſuperſedeo, cùm quia hujus loci non eſt de his ex profeſſo agere, tum quia hoc omnes ſatis experti ſunt; Omnibus enim in ore eſt, quot capita, tot ſenſus, ſuo quemque ſenſu abundare, non minora cerebrorum, quàm palatorum eſſe diſcrimina: quæ ſententiæ ſatis oſtendunt, homines pro diſpoſitione cerebri de rebus judicare, resque potiùs imaginari, quàm intelligere. Res enim ſi intellexiſſent, illæ omnes, teſte Matheſi, ſi non allicerent, ad minimum convincerent.

Videmus itaque omnes rationes, quibus vulgus ſolet naturam explicare, modos eſſe tantummodò imaginandi, nec ullius rei naturam; ſed tantùm imaginationis conſtitutionem indicare; & quia nomina habent, quaſi eſſent entium, extra imaginationem exiſtentium, eadem entia, non rationis, ſed imaginationis voco, atque adeò omnia argumenta, quæ contra nos ex ſimilibus notionibus petuntur, facilè propulſari poſſunt. Solent enim multi ſic argumentari. Si omnia ex neceſſitate perfectiſſimæ Dei naturæ ſunt conſecuta, unde ergo tot imperfectiones in naturâ? Videlicet, rerum corruptio ad fætorem uſque, rerum deformitas, quæ nauſeam moveat, confuſio, malum, peccatum &c. Sed, ut modo dixi, facilè confutantur. Nam rerum perfectio ex ſola earum naturâ, & potentiâ eſt æſtimanda, nec ideò res magis, aut minùs perfectæ ſunt, propterea quòd hominum ſenſum delectant, vel offendunt; quòd humanæ naturæ conducunt, vel quòd eidem repugnant. Iis autem, qui quærunt, cur Deus omnes homines non ità creavit, ut ſolo rationis ductu gubernarentur? nihil aliud reſpondeo, quàm quia ei non defuit materia ad omnia, ex ſummo nimirùm ad infimum perfectionis gradum, creanda; vel magis propriè loquendo, quia ipſius naturæ leges adeò amplæ fuerunt, ut ſufficerent ad omnia, quæ ab aliquo infinito intellectu concipi poſſunt, producenda, ut Propoſitione 16. demonſtravi. Hæc ſunt, quæ hic notare ſuſcepi, præjudicia. Si quædam hujus farinæ adhuc reſtant, poterunt eadem ab unoquoque mediocri meditatione emendari.

Finis Partis Primæ.

ETHI-

ETHICES

Pars Secunda,

DE

Naturâ, & Origine

MENTIS.

TRanſeo jam ad ea explicanda, quæ ex Dei, ſive Entis æterni, & infiniti eſſentiâ neceſſariò debuerunt ſequi. Non quidem omnia; infinita enim infinitis modis ex ipſâ debere ſequi Prop. 16. *Part.* 1. *demonſtravimus: ſed ea ſolummodò, quæ nos ad Mentis humanæ, ejuſque ſummæ beatitudinis cognitionem, quaſi manu, ducere poſſunt.*

DEFINITIONES.

I. Per corpus intelligo modum, qui Dei eſſentiam, quatenus, ut res extenſa, conſideratur, certo, & determinato modo exprimit; *vid. Coroll. Prop.* 25. *p.* 1.

II. Ad eſſentiam alicujus rei id pertinere dico, quo dato res neceſſariò ponitur, & quo ſublato res neceſſariò tollitur; vel id, ſine quo res, & vice verſâ quod ſine re nec eſſe, nec concipi poteſt.

III. Per ideam intelligo Mentis conceptum, quem Mens format, propterea quòd res eſt cogitans.

EXPLICATIO.

Dico potiùs conceptum, quàm perceptionem, quia perceptionis nomen

nomen indicare videtur, Mentem ab objecto pati. At conceptus actionem Mentis exprimere videtur.

IV. Per ideam adæquatam intelligo ideam, quæ, quatenus in se sine relatione ad objectum consideratur, omnes veræ ideæ proprietates, sive denominationes intrinsecas habet.

EXPLICATIO.

Dico intrinsecas, ut illam secludam, quæ extrinseca est, nempe convenientiam ideæ cum suo ideato.

V. Duratio est indefinita existendi continuatio.

EXPLICATIO.

Dico indefinitam, quia per ipsam rei existentis naturam determinari nequaquam potest, neque etiam à causâ efficiente, quæ scilicet rei existentiam necessariò ponit, non autem tollit.

VI. Per realitatem, & perfectionem idem intelligo.

VII. Per res singulares intelligo res, quæ finitæ sunt, & determinatam habent existentiam. Quòd si plura Individua in una actione ità concurrant, ut omnia simul unius effectûs sint causa, eadem omnia eatenus, ut unam rem singularem, considero.

AXIOMATA.

I. Hominis essentia non involvit necessariam existentiam, hoc est, ex naturæ ordine, tam fieri potest, ut hic, & ille homo existat, quàm ut non existat.

II. Homo cogitat.

III. Modi cogitandi, ut amor, cupiditas, vel quicunque nomine affectûs animi insigniuntur, non dantur,

nisi in eodem Individuo detur idea rei amatæ, desideratæ, &c. At idea dari potest, quamvis nullus alius detur cogitandi modus.

IV. Nos corpus quoddam multis modis affici sentimus.

V. Nullas res singulares præter corpora, & cogitandi modos, sentimus, nec percipimus.

Postulata vide post 13 *Propositionem.*

PROPOSITIO I.

Cogitatio attributum Dei est, sive Deus est res cogitans.

DEMONSTRATIO.

Singulares cogitationes, sive hæc, & illa cogitatio modi sunt, qui Dei naturam certo, & determinato modo exprimunt. (*per Coroll. Prop.* 25. *p.* 1.) Competit ergo Deo (*per Defin.* 5. *p.* 1.) attributum, cujus conceptum singulares omnes cogitationes involvunt, per quod etiam concipiuntur. Est igitur Cogitatio unum ex infinitis Dei attributis, quod Dei æternam, & infinitam essentiam exprimit. (*vid. Defi.* 6. *p.* 1.) sive Deus est res cogitans. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Patet etiam hæc Propositio ex hoc, quòd nos possumus ens cogitans infinitum concipere. Nam quò plura ens cogitans potest cogitare, eò plus realitatis, sive perfectionis idem continere concipimus; ergo ens, quod infinita infinitis modis cogitare potest, est necessariò virtute cogitandi infinitum. Cùm itaque, ad solam cogitationem attendendo, Ens infinitum concipiamus, est necessariò (*per Defin.* 4. *&* 6. *p.* 1.) Cogitatio unum ex infinitis Dei attributis, ut volebamus.

PROPOSITIO II.

Extensio attributum Dei est, sive Deus est res extensa.

DE-

DEMONSTRATIO

Hujus eodem modo procedit, ac demonſtratio præcedentis Propoſitionis.

PROPOSITIO III.

In Deo datur neceſſariò idea, tam ejus eſſentiæ, quàm omnium, quæ ex ipſius eſſentia neceſſariò ſequuntur.

DEMONSTRATIO.

Deus enim *(per Prop.* 1. *hujus)* infinita infinitis modis cogitare, ſive (*quod idem eſt*, *per Prop.* 16. *p.* 1.) ideam ſuæ eſſentiæ, & omnium, quæ neceſſariò ex eâ ſequuntur, formare poteſt. Atqui omne id, quod in Dei poteſtate eſt, neceſſariò eſt; (*per Prop.* 35. *p.* 1.) ergo datur neceſſariò talis idea, & (*per Prop.* 15. *p.* 1.) non niſi in Deo. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Vulgus per Dei potentiam intelligit Dei liberam voluntatem, & jus in omnia, quæ ſunt, quæque propterea communiter, ut contingentia, conſiderantur. Deum enim poteſtatem omnia deſtruendi habere dicunt, & in nihilum redigendi. Dei porrò potentiam cum potentia Regum ſæpiſſime comparant. Sed hoc in Corollario 1. & 2. Propoſitionis 32. partis 1. refutavimus, & Propoſitione 16. partis 1. oſtendimus, Deum eâdem neceſſitate agere, quâ ſeipſum intelligit, hoc eſt, ſicuti ex neceſſitate divinæ naturæ ſequitur, (ſicut omnes uno ore ſtatuunt) ut Deus ſeipſum intelligat, eâdem etiam neceſſitate ſequitur, ut Deus infinita infinitis modis agat. Deinde Propoſitione 34. partis 1. oſtendimus, Dei potentiam nihil eſſe, præterquam Dei actuoſam eſſentiam; adeóque tam nobis impoſſibile eſt concipere, Deum non agere, quàm Deum non eſſe. Porrò ſi hæc ulteriùs perſequi liberet, poſſem hîc ulteriùs oſtendere potentiam illam, quam vulgus Deo affingit, non tantùm humanam eſſe; (quod oſtendit Deum hominem, vel inſtar hominis à vulgo concipi) ſed etiam impotentiam involvere. Sed nolo de eâdem re toties ſermonem inſtituere. Lectorem ſolummodò

modò iterùm atque iterùm rogo, ut, quæ in primâ parte, ex Propoſitione 16. uſque ad finem de hâc re dicta ſunt, ſemel, atque iterùm perpendat. Nam nemo ea, quæ volo, percipere rectè poterit, niſi magnopere caveat, ne Dei potentiam cum humanâ Regum potentiâ, vel jure confundat.

PROPOSITIO IV.

Idea Dei, ex quâ infinita infinitis modis ſequuntur, unica tantùm eſſe poteſt.

DEMONSTRATIO.

Intellectus infinitus nihil, præter Dei attributa, ejuſque affectiones, comprehendit. (*per Prop.* 30. *p.* 1.) Atqui Deus eſt unicus. (*per Coroll.* 1. *Prop.* 14. *p.* 1.) Ergo idea Dei, ex quâ infinita infinitis modis ſequuntur, unica tantùm eſſe poteſt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO V.

Eſſe formale idearum Deum, quatenus tantùm, ut res cogitans, conſideratur, pro cauſâ agnoſcit, & non, quatenus alio attributo explicatur. Hoc eſt, tam Dei attributorum, quàm rerum ſingularium ideæ non ipſa ideata, ſive res perceptas pro cauſâ efficiente agnoſcunt; ſed ipſum Deum, quatenus eſt res cogitans.

DEMONSTRATIO.

Patet quidem ex Propoſitione 3. hujus. Ibi enim concludebamus, Deum ideam ſuæ eſſentiæ, & omnium, quæ ex eâ neceſſariò ſequuntur, formare poſſe ex hoc ſolo, nempe, quòd Deus eſt res cogitans, & non ex eo, quòd ſit ſuæ ideæ objectum. Quare eſſe formale idearum Deum, quatenus eſt res cogitans, pro cauſâ agnoſcit. Sed aliter hoc modo demonſtratur. Eſſe formale idearum modus eſt cogitandi, (*ut per ſe notum*) hoc eſt (*per Coroll. Prop.* 25. *p.* 1.) modus, qui Dei naturam, quatenus eſt res cogitans certo modo exprimit, adeóque (*per Prop.* 10. *p.* 1.) nullius alterius attributi Dei conceptum involvit, & conſequenter (*per Ax.* 4. *p.* 1.) nullius alterius attributi, niſi cogitationis, eſt effectus: adeóque eſſe for-

formale idearum Deum, quatenus tantùm, ut res cogitans, consideratur, &c. *Q.E.D.*

PROPOSITIO VI.

Cujuscunque attributi modi Deum, quatenus tantùm sub illo attributo, cujus modi sunt; & non, quatenus sub ullo alio consideratur, pro causâ habent.

DEMONSTRATIO.

Unumquodque enim attributum per se absque alio concipitur. (*per Prop.* 10. *p.* 1.) Quare uniuscujusque attributi modi conceptum sui attributi; non autem alterius involvunt; adeóque (*per Axiom.* 4. *p.* 1.) Deum, quatenus tantùm sub illo attributo, cujus modi sunt; & non, quatenus sub ullo alio consideratur, pro causâ habent. *Q.E.D.*

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, quòd esse formale rerum, quæ modi non sunt cogitandi, non sequitur ideò ex divinâ naturâ, quia res priùs cognovit; sed eodem modo, eâdemque necessitate res ideatæ ex suis attributis consequuntur, & concluduntur, ac ideas ex attributo Cogitationis consequi ostendimus.

PROPOSITIO VII.

Ordo, & connexio idearum idem est, ac ordo, & connexio rerum.

DEMONSTRATIO

Patet ex Ax. 4. p. 1. Nam cujuscunque causati idea à cognitione causæ, cujus est effectus, dependet.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, quòd Dei cogitandi potentia æqualis est ipsius actuali agendi potentiæ. Hoc est, Quicquid ex infinitâ Dei naturâ sequitur formaliter, id omne ex Dei ideâ eodem ordine, eâdemque connexione sequitur in Deo objectivè.

SCHOLIUM.

Hîc, antequam ulteriùs pergamus, revocandum nobis in memoriam eſt id, quod ſuprà oſtendimus; nempe, quòd quicquid ab infinito intellectu percipi poteſt, tanquam ſubſtantiæ eſſentiam conſtituens, id omne ad unicam tantùm ſubſtantiam pertinet, & conſequenter quòd ſubſtantia cogitans, & ſubſtantia extenſa una, eademque eſt ſubſtantia, quæ jam ſub hoc, jam ſub illo attributo comprehenditur. Sic etiam modus extenſionis, & idea illius modi una, eademque eſt res; ſed duobus modis expreſſa; quod quidam Hebræorum quaſi per nebulam vidiſſe videntur, qui ſcilicet ſtatuunt, Deum, Dei intellectum, resque ab ipſo intellectas unum, & idem eſſe. Ex. gr. circulus in naturâ exiſtens, & idea circuli exiſtentis, quæ etiam in Deo eſt, una, eademque eſt res, quæ per diverſa attributa explicatur; & ideò ſive naturam ſub attributo Extenſionis, ſive ſub attributo Cogitationis, ſive ſub alio quocunque concipiamus, unum, eundemque ordinem, ſive unam, eandemque cauſarum connexionem, hoc eſt, eaſdem res invicem ſequi reperiemus. Nec ullâ aliâ de cauſâ dixi, quòd Deus ſit cauſa ideæ ex. gr. circuli quatenus tantùm eſt res cogitans, & circuli, quatenus tantùm eſt res extenſa; niſi quia eſſe formale ideæ circuli non, niſi per alium cogitandi modum, tanquam cauſam proximam, & ille iterum per alium, & ſic in infinitum, poteſt percipi, ità ut, quamdiu res, ut cogitandi modi conſiderantur, ordinem totius naturæ, ſive cauſarum connexionem, per ſolum Cogitationis attributum explicare debemus, & quatenus, ut modi Extenſionis, conſiderantur, ordo etiam totius naturæ per ſolum Extenſionis attributum explicari debet, & idem de aliis attributis intelligo. Quare rerum, ut in ſe ſunt, Deus reverâ eſt cauſa, quatenus infinitis conſtat attributis; nec impræſentiarum hæc clariùs poſſum explicare.

PROPOSITIO VIII.

Ideæ rerum ſingularium, ſive modorum non exiſtentium ità debent comprehendi in Dei infinitâ ideâ, ac rerum ſingularium, ſive modorum eſſentiæ formales in Dei attributis continentur.

DE-

DEMONSTRATIO.


Hæc Propoſitio patet ex præcedenti; ſed intelligitur clariùs ex præcedenti Scholio.

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, quod, quamdiu res ſingulares non exiſtunt, niſi quatenus in Dei attributis comprehenduntur, earum eſſe objectivum, ſive ideæ non exiſtunt, niſi quatenus infinita Dei idea exiſtit; & ubi res ſingulares dicuntur exiſtere, non tantùm quatenus in Dei attributis comprehenduntur; ſed quatenus etiam durare dicuntur, earum ideæ etiam exiſtentiam, per quam durare dicuntur, involvent.

SCHOLIUM.

Si quis ad uberiorem hujus rei explicationem exemplum deſideret, nullum ſane dare potero, quod rem, de quâ hic loquor, utpote unicam, adæquatè explicet; conabor tamen rem, ut fieri poteſt, illuſtrare. Nempe circulus talis eſt naturæ, ut omnium linearum rectarum, in eodem ſeſe invicem ſecantium, rectangula ſub ſegmentis ſint inter ſe æqualia; quare in circulo infinita inter ſe æqualia rectangula continentur: attamen nullum eorum poteſt dici exiſtere, niſi quatenus circulus exiſtit, nec etiam alicujus horum rectangulorum idea poteſt dici exiſtere, niſi quatenus in circuli ideâ comprehenditur. Concipiantur jam ex infinitis illis duo tantùm, nempe E & D exiſtere. Sanè eorum etiam ideæ jam non tantùm exiſtunt, quatenus ſolummodò in circuli idea comprehenduntur; ſed etiam, quatenus illorum rectangulorum exiſtentiam involvunt, quo fit, ut à reliquis reliquorum rectangulorum ideis diſtinguantur.



PROPOSITIO IX.

Idea rei ſingularis, actu exiſtentis, Deum pro cauſâ habet, non quatenus infinitus eſt; ſed quatenus aliâ rei ſingularis actu exiſtentis

ſtentis ideâ affectus conſideratur, cujus etiam Deus eſt cauſa, quatenus aliâ tertiâ affectus eſt, & ſic in infinitum.

DEMONSTRATIO.

Idea rei ſingularis, actu exiſtentis, modus ſingularis cogitandi eſt, & à reliquis diſtinctus; (*per Coroll. & Schol. Prop.* 8. *hujus*) adeóque (*per Prop.* 6. *hujus*) Deum, quatenus eſt tantùm res cogitans, pro cauſâ habet. At non, (*per Prop.* 28. *p.* 1.) quatenus eſt res abſolutè cogitans; ſed quatenus alio cogitandi modo affectus conſideratur, & hujus etiam, quatenus alio affectus eſt, & ſic in infinitum. Atqui ordo, & connexio idearum (*per Prop.* 7. *hujus*) idem eſt, ac ordo, & connexio cauſarum; ergo unius ſingularis ideæ alia idea, ſive Deus, quatenus aliâ ideâ affectus conſideratur, eſt cauſa, & hujus etiam, quatenus aliâ affectus eſt, & ſic in infinitum. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Quicquid in ſingulari cujuscunque ideæ objecto contingit, ejus datur in Deo cognitio, quatenus tantùm ejuſdem objecti ideam habet.

DEMONSTRATIO.

Quicquid in objecto cujuscunque ideæ contingit, ejus datur in Deo idea, (*per Prop.* 3. *hujus*) non, quatenus infinitus eſt; ſed quatenus aliâ rei ſingularis ideâ affectus conſideratur; (*per præced. Prop.*) ſed (*per Prop.* 7. *hujus*) ordo, & connexio idearum idem eſt, ac ordo, & connexio rerum; erit ergo cognitio ejus, quod in ſingulari aliquo objecto contingit, in Deo, quatenus tantùm ejuſdem objecti habet ideam. *Q. E. D.*

PROPOSITIO X.

Ad eſſentiam hominis non pertinet eſſe ſubſtantiæ, ſive ſubſtantia formam hominis non conſtituit.

DEMONSTRATIO.

Eſſe enim ſubſtantiæ involvit neceſſariam exiſtentiam. (*per Prop.* 7. *p.* 1.) Si igitur ad hominis eſſentiam pertinet eſſe ſubſtantiæ, datâ ergo ſubſtantiâ, daretur neceſſariò homo, (*per Defin.* 2. *hujus*) &

conſe-

conſequenter homo neceſſariò exiſteret, quod (*per Ax.* 1. *hujus*) eſt abſurdum. Ergo &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Demonſtratur etiam hæc Propoſitio ex Propoſitione 5. p. 1. nempe, quòd duæ ejuſdem naturæ ſubſtantiæ non dentur. Cùm autem plures homines exiſtere poſſint; ergo id, quod hominis formam conſtituit, non eſt eſſe ſubſtantiæ. Patet præterea hæc Propoſitio ex reliquis ſubſtantiæ proprietatibus, videlicet, quòd ſubſtantia ſit ſuâ naturâ infinita, immutabilis, indiviſibilis &c. ut facilè unusquiſque videre poteſt.

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur eſſentiam hominis conſtitui à certis Dei attributorum modificationibus. Nam eſſe ſubſtantiæ (*per Prop. præced.*) ad eſſentiam hominis non pertinet. Eſt ergo (*per Prop.* 15. *p.* 1.) aliquid, quod in Deo eſt, & quod ſine Deo nec eſſe, nec concipi poteſt, ſive (*per Coroll. Prop.* 25. *p.* 1.) affectio, ſive modus, qui Dei naturam certo, & determinato modo exprimit.

SCHOLIUM.

Omnes ſanè concedere debent, nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poſſe. Nam apud omnes in confeſſo eſt, quòd Deus omnium rerum, tam earum eſſentiæ, quàm earum exiſtentiæ, unica eſt cauſa, hoc eſt, Deus non tantùm eſt cauſa rerum ſecundùm fieri, ut ajunt; ſed etiam ſecundùm eſſe. At interim plerique id ad eſſentiam alicujus rei pertinere dicunt, ſine quo res nec eſſe, nec concipi poteſt; adeóque vel Naturam Dei ad eſſentiam rerum creatarum pertinere, vel res creatas ſine Deo vel eſſe, vel concipi poſſe credunt, vel, quod certius eſt, ſibi non ſatis conſtant. Cujus rei cauſam fuiſſe credo, quòd ordinem Philoſophandi non tenuerint. Nam naturam divinam, quam ante omnia contemplari debebant, quia tam cognitione, quàm naturâ prior eſt ordine cognitionis, ultimam, & res, quæ ſenſuum objecta vocantur, omnibus priores eſſe crediderunt; unde factum eſt, ut, dum res naturales contemplati ſunt, de nullâ re minùs cogitaverint, quàm de divina naturâ, &, cùm poſtea animum ad divinam naturam con-

contemplandum appulerint, de nullâ re minùs cogitâre potuerint, quàm de primis ſuis figmentis, quibus rerum naturalium cognitionem ſuperſtruxerant; utpote quæ ad cognitionem divinæ naturæ nihil juvare poterant; adeóque nihil mirum, ſi ſibi paſſim contradixerint. Sed hoc mitto. Nam meum intentum hîc tantùm fuit, cauſam reddere, cur non dixerim, id ad eſſentiam alicujus rei pertinere, ſine quo res nec eſſe, nec concipi poteſt; nimirùm, quia res ſingulares non poſſunt ſine Deo eſſe, nec concipi; & tamen Deus ad earum eſſentiam non pertinet; ſed id neceſſariò eſſentiam alicujus rei conſtituere dixi, quo dato res ponitur, & quo ſublato res tollitur: vel id, ſine quo res, & vice verſa id, quod ſine re nec eſſe, nec concipi poteſt.

PROPOSITIO XI.

Primum, quod actuale Mentis humanæ eſſe conſtituit, nihil aliud eſt, quàm idea rei alicujus ſingularis actu exiſtentis.

DEMONSTRATIO.

Eſſentia hominis (*per Coroll. præced. Prop.*) à certis Dei attributorum modis conſtituitur; nempe (*per Axioma 2. hujus*) à modis cogitandi, quorum omnium (*per Axiom. 3. hujus*) idea naturâ prior eſt, &, eâ datâ, reliqui modi (quibus ſcilicet idea naturâ prior eſt) in eodem debent eſſe individuo; (*per Axiom. 4. hujus*) Atqùe adeò idea primum eſt, quod humanæ Mentis eſſe conſtituit. At non idea rei non exiſtentis. Nam tum (*per Coroll. Prop. 8. hujus*) ipſa idea non poſſet dici exiſtere; erit ergo idea rei actu exiſtentis. At non rei infinitæ. Res namque infinita (*per Prop. 21. & 23. p. 1.*) debet ſemper neceſſariò exiſtere; atqui hoc (*per Axiom. 1. hujus*) eſt abſurdum; ergo primum, quod eſſe humanæ Mentis actuale conſtituit, eſt idea rei ſingularis actu exiſtentis. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur Mentem humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei; ac proinde cùm dicimus, Mentem humanam hoc, vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quàm quòd Deus, non quatenus infinitus eſt, ſed quatenus per naturam humanæ Mentis explica-

plicatur, ſive quatenus humanæ Mentis eſſentiam conſtituit, hanc, vel illam habet ideam; & cùm dicimus Deum hanc, vel illam ideam habere, non tantùm, quatenus naturam humanæ Mentis conſtituit; ſed quatenus ſimul cum Mente humanâ alterius rei etiam habet ideam, tum dicimus Mentem humanam rem ex parte, ſive inadæquatè percipere.

SCHOLIUM.

Hîc ſine dubio Lectores hærebunt, multaque comminiſcentur, quæ moram injiciant, & hâc de cauſâ ipſos rogo, ut lento gradu mecum pergant, nec de his judicium ferant, donec omnia perlegerint.

PROPOSITIO XII.

Quicquid in objecto ideæ, humanam Mentem conſtituentis, contingit, id ab humanâ Mente debet percipi, ſive ejus rei dabitur in Mente neceſſariò idea: Hoc eſt, ſi objectum ideæ, humanam Mentem conſtituentis, ſit corpus, nihil in eo corpore poterit contingere, quod à Mente non percipiatur.

DEMONSTRATIO.

Quicquid enim in objecto cujuscunque ideæ contingit, ejus rei datur neceſſariò in Deo cognitio, (*per Coroll. prop.* 9. *hujus*) quatenus ejuſdem objecti ideâ affectus conſideratur, hoc eſt, (*per Prop.* 11. *hujus*) quatenus mentem alicujus rei conſtituit. Quicquid igitur in objecto ideæ, humanam Mentem conſtituentis, contingit, ejus datur neceſſariò in Deo cognitio, quatenus naturam humanæ Mentis conſtituit, hoc eſt, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) ejus rei cognitio erit neceſſariò in Mente, ſive Mens id percipit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Propoſitio patet etiam, & clariùs intelligitur ex Schol. Prop. 7. hujus, quod vide.

PROPOSITIO XIII.

Objectum ideæ, humanam Mentem constituentis, est Corpus, sive certus Extensionis modus actu existens, & nihil aliud.

DEMONSTRATIO.

Si enim Corpus non esset humanæ Mentis objectum, ideæ affectionum Corporis non essent in Deo, (*per Coroll. Prop.* 9. *hujus*) quatenus Mentem nostram; sed quatenus alterius rei mentem constitueret, hoc est, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) ideæ affectionum Corporis non essent in nostrâ Mente; atqui (*per Axiom.* 4. *hujus*) ideas affectionum corporis habemus. Ergo objectum ideæ, humanam Mentem constituentis, est Corpus, idque (*per Prop.* 11. *hujus*) actu existens. Deinde, si præter Corpus etiam aliud esset Mentis objectum, cùm nihil (*per Prop.* 36. *p.* 1.) existat, ex quo aliquis effectus non sequatur, deberet (*per Prop.* 11. *hujus*) necessariò alicujus ejus effectus idea in Mente nostrâ dari; atqui (*per Axiom.* 5. *hujus*) nulla ejus idea datur. Ergo objectum nostræ Mentis est Corpus existens, & nihil aliud. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc sequitur hominem Mente & Corpore constare, & Corpus humanum, prout ipsum sentimus, existere.

SCHOLIUM.

Ex his non tantùm intelligimus, Mentem humanam unitam esse Corpori; sed etiam, quid per Mentis, & Corporis unionem intelligendum sit. Verùm ipsam adæquatè, sive distinctè intelligere nemo poterit, nisi priùs nostri Corporis naturam adæquatè cognoscat. Nam ea, quæ hucusque ostendimus, admodùm communia sunt, nec magis ad homines, quàm ad reliqua Individua pertinent, quæ omnia, quamvis diversis gradibus, animata tamen sunt. Nam cujuscunque rei datur necessariò in Deo idea, cujus Deus est causa, eodem modo, ac humani Corporis idea: atque adeò, quicquid de ideâ humani Corporis diximus, id de cujuscunque rei ideâ necessariò dicendum est. Attamen nec etiam negare possumus, ideas

inter

inter ſe, ut ipſa objecta, differre, unamque aliâ præſtantiorem eſſe, pluſque realitatis continere, prout objectum unius objecto alterius præſtantius eſt, pluſque realitatis continet; ac propterea ad determinandum, quid Mens humana reliquis interſit, quidque reliquis præſtet, neceſſe nobis eſt, ejus objecti, ut diximus, hoc eſt, Corporis humani naturam cognoſcere. Eam autem hîc explicare nec poſſum, nec id ad ea, quæ demonſtrare volo, neceſſe eſt. Hoc tamen in genere dico, quò Corpus aliquod reliquis aptius eſt ad plura ſimul agendum, vel patiendum, eò ejus Mens reliquis aptior eſt ad plura ſimul percipiendum; & quò unius corporis actiones magis ab ipſo ſolo pendent, & quò minùs alia corpora cum eodem in agendo concurrunt, eò ejus mens aptior eſt ad diſtinctè intelligendum. Atque ex his præſtantiam unius mentis præ aliis cognoſcere poſſumus: deinde cauſam etiam videre, cur noſtri Corporis non, niſi admodùm confuſam, habeamus cognitionem, & alia plura, quæ in ſequentibus ex his deducam. Quâ de cauſâ operæ pretium eſſe duxi, hæc ipſa accuratiùs explicare, & demonſtrare, ad quod neceſſe eſt, pauca de naturâ corporum præmittere.

AXIOMA I.

Omnia corpora vel moventur, vel quieſcunt.

AXIOMA II.

Unumquodque corpus jam tardiùs, jam celeriùs movetur.

LEMMA I.

Corpora ratione motùs, & quietis; celeritatis, & tarditatis, & non ratione ſubſtantiæ ab invicem diſtinguuntur.

DEMONSTRATIO.

Primam partem hujus per ſe notam ſuppono. At, quòd ratione ſubſtantiæ non diſtinguantur corpora, patet, tam ex *Prop.* 5. quàm 8. *p.* 1. Sed clariùs ex iis, quæ in *Schol. Prop.* 15. *p.* 1. dicta ſunt.

LEMMA II.

Omnia corpora in quibuſdam conveniunt.

DEMONSTRATIO.

In his enim omnia corpora conveniunt, quòd unius, ejuſdemque attributi conceptum involvunt. (*per Defin.* 1. *hujus*) Deinde, quòd jam tardiùs, jam celeriùs, & abſolutè jam moveri, jam quiſcere poſſunt.

LEMMA III.

Hoc primum esse Spinosae falsum ut Christ. Thomasius in Progr. ad Coroll. de Spirit. de Eruditis §. 28. p. m. 32.

Corpus motum, vel quieſcens ad motum, vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum, vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterùm ab alio, & ſic in infinitum.

DEMONSTRATIO.

Corpora (*per Defin.* 1. *hujus*) res ſingulares ſunt, quæ (*per Lemma* 1.) ratione motûs, & quietis ab invicem diſtinguuntur; adeóque (*per Prop.* 28. *p.* 1.) unumquodque ad motum, vel quietem neceſſariò determinari debuit ab aliâ re ſingulari, nempe (*per Prop.* 6. *hujus*) ab alio corpore, quod (*per Axiom.* 1.) etiam vel movetur, vel quieſcit. At hoc etiam (*per eandem rationem*) moveri, vel quieſcere non potuit, niſi ab alio ad motum, vel quietem determinatum fuiſſet, & hoc iterùm (*per eandem rationem*) ab alio, & ſic in infinitum. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur corpus motum tamdiu moveri, donec ab alio corpore ad quieſcendum determinetur; & corpus quieſcens tamdiu etiam quieſcere; donec ab alio ad motum determinetur. Quod etiam per ſe notum eſt. Nam, cùm ſuppono, corpus ex. gr. A quieſcere, nec ad alia corpora mota attendo, nihil de corpore A dicere potero, niſi quòd quieſcat. Quòd ſi poſtea contingat, ut corpus A moveatur, id ſanè evenire non potuit ex eo, quòd quieſcebat; ex eo enim nil aliud ſequi poterat, quàm ut corpus A quieſceret.


ret. Si contrà ſupponatur A moveri, quotiescunque ad A tantùm attendimus, nihil de eodem affirmare poterimus, niſi quòd moveatur. Quòd ſi poſtea contingat, ut A quieſcat, id ſanè evenire etiam non potuit ex motu, quem habebat; ex motu enim nihil aliud ſequi poterat, quàm ut A moveretur: contingit itaque à re, quæ non erat in A, nempe à cauſâ externâ, à quâ ad quieſcendum determinatum fuit.

AXIOMA I.

Omnes modi, quibus corpus aliquod ab alio afficitur corpore, ex naturâ corporis affecti, & ſimul ex naturâ corporis afficientis ſequuntur; ità ut unum, idemque corpus diverſimodè moveatur pro diverſitate naturæ corporum moventium, & contrà ut diverſa corpora ab uno, eodemque corpore diverſimodè moveantur.

AXIOMA II.

Cùm corpus motum alteri quieſcenti, quod dimovere nequit, impingit, reflectitur, ut moveri pergat, & angulus lineæ motûs reflectionis cum plano corporis quieſcentis, cui impegit, æqualis erit angulo, quem linea motûs incidentiæ cum eodem plano efficit.



Atque hæc de corporibus ſimpliciſſimis, quæ ſcilicet ſolo motu, & quiete, celeritate, & tarditate ab invicem diſtinguuntur: jam ad compoſita aſcendamus.

DEFINITIO.

Cùm corpora aliquot ejusdem, aut diverſæ magnitudinis à reliquis ità coërcentur, ut invicem incumbant, vel ſi eodem, aut diver-

diverſis celeritatis gradibus moventur, ut motus ſuos invicem certâ quâdam ratione communicent, illa corpora invicem unita dicemus, & omnia ſimul unum corpus, ſive Individuum componere, quod à reliquis per hanc corporum unionem diſtinguitur.

AXIOMA III.

Quò partes Individui, vel corporis compoſiti ſecundùm majores, vel minores ſuperficies ſibi invicem incumbunt, eò difficiliùs, vel faciliùs cogi poſſunt, ut ſitum ſuum mutent, & conſequenter eò faciliùs, vel difficiliùs effici poteſt, ut ipſum Individuum aliam figuram induat. Atque hinc corpora, quorum partes ſecundùm magnas ſuperficies invicem incumbunt, *dura*; quorum autem partes ſecundùm parvas, *mollia*; & quorum denique partes inter ſe moventur, *fluida* vocabo.

LEMMA IV.

Si corporis, ſive Individui, quod ex pluribus corporibus componitur, quædam corpora ſegregentur, & ſimul totidem alia ejusdem naturæ eorum loco ſuccedant, retinebit Individuum ſuam naturam, uti antea, abſque ullâ ejus formæ mutatione.

DEMONSTRATIO.

Corpora enim (*per Lem.* 1.) ratione ſubſtantiæ non diſtinguuntur; id autem, quod formam Individui conſtituit, in corporum unione *(per Defin. præc.)* conſiſtit; atqui hæc, (*per hypotheſin*) tametſi corporum continua fiat mutatio, retinetur: retinebit ergo Individuum, tam ratione ſubſtantiæ, quàm modi, ſuam naturam, uti ante. *Q. E. D.*

LEMMA V.

Si partes, Individuum componentes, majores, minoresve evadant,

dant, eâ tamen proportione, ut omnes eandem, ut antea, ad invicem motûs, & quietis rationem ſervent, retinebit itidem Individuum ſuam naturam, ut antea, abſque ullâ formæ mutatione.

DEMONSTRATIO

Hujus eadem eſt, ac præcedentis Lemmatis.

LEMMA VI.

Si corpora quædam, Individuum componentia, motum, quem verſùs unam partem habent, aliam verſùs flectere cogantur; at ità, ut motus ſuos continuare poſſint, atque invicem eâdem, quâ antea, ratione communicare; retinebit itidem Individuum ſuam naturam, abſque ullâ formæ mutatione.

DEMONSTRATIO

Per ſe patet. Id enim omne retinere ſupponitur, quod in ejuſdem definitione formam ipſius conſtituere diximus.

LEMMA VII.

Retinet præterea Individuum, ſic compoſitum, ſuam naturam, ſive id ſecundùm totum moveatur, ſive quieſcat, ſive verſùs hanc, ſive verſùs illam partem moveatur, dummodò unaquæque pars motum ſuum retineat, eumque, uti antea, reliquis communicet.

DEMONSTRATIO

Patet ex ipſius definitione, quam vide ante Lem. 4.

SCHOLIUM.

His itaque videmus, quâ ratione Individuum compoſitum poſſit multis modis affici, ejus nihilominùs naturâ ſervatâ. Atque hucuſque Individuum concepimus, quod non, niſi ex corporibus, quæ ſolo motu, & quiete, celeritate, & tarditate inter ſe diſtinguuntur, hoc eſt, quod ex corporibus ſimpliciſſimis com-

componitur. Quòd ſi jam aliud concipiamus, ex pluribus diverſæ naturæ Individuis compoſitum, idem pluribus aliis modis poſſe affici, reperiemus, ipſius nihilominùs naturâ ſervatâ. Nam quandoquidem ejus unaquæque pars ex pluribus corporibus eſt compoſita; poterit ergo *(per Lem. præced.)* unaquæque pars, abſque ullâ ipſius naturæ mutatione jam tardiùs, jam celeriùs moveri, & conſequenter motus ſuos citiùs, vel tardiùs reliquis communicare. Quòd ſi præterea tertium Individuorum genus, ex his ſecundis compoſitum, concipiamus, idem multis aliis modis affici poſſe, reperiemus, abſque ullâ ejus formæ mutatione. Et ſi ſic porrò in infinitum pergamus, facilè concipiemus, totam naturam unum eſſe Individuum, cujus partes, hoc eſt, omnia corpora infinitis modis variant, abſque ullâ totius Individui mutatione. Atque hæc, ſi animus fuiſſet, de corpore ex profeſſo agere, prolixiùs explicare, & demonſtrare debuiſſem. Sed jam dixi me aliud velle, nec aliâ de cauſâ hæc adferre, quàm quia ex ipſis ea, quæ demonſtrare conſtitui, facilè poſſum deducere.

POSTULATA.

I. Corpus humanum componitur ex plurimis (diverſæ naturæ) individuis, quorum unumquodque valdè compoſitum eſt.

II. Individuorum, ex quibus Corpus humanum componitur, quædam fluida, quædam mollia, & quædam denique dura ſunt.

III. Individua, Corpus humanum componentia, & conſequenter ipſum humanum Corpus à corporibus externis plurimis modis afficitur.

IV. Corpus humanum indiget, ut conſervetur, plurimis aliis corporibus, à quibus continuò quaſi regeneratur.

V. Cùm Corporis humani pars fluida à corpore externo

terno determinatur, ut in aliam mollem sæpe impingat, ejus planum mutat, & veluti quædam corporis externi impellentis vestigia eidem imprimit.

VI. Corpus humanum potest corpora externa plurimis modis movere, plurimisque modis disponere.

PROPOSITIO XIV.

Mens humana apta est ad plurima percipiendum, & eò aptior, quò ejus Corpus pluribus modis disponi potest.

DEMONSTRATIO.

Corpus enim humanum (*per Post.* 3. *&* 6.) plurimis modis à corporibus externis afficitur, dispositurque ad corpora externa plurimis modis afficiendum. At omnia, quæ in Corpore humano contingunt, (*per Prop.* 12. *hujus*) Mens humana percipere debet; est ergo Mens humana apta ad plurima percipiendum, & eò aptior, &c. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XV.

Idea, quæ esse formale humanæ Mentis constituit, non est simplex; sed ex plurimis ideis composita.

DEMONSTRATIO.

Idea, quæ esse formale humanæ Mentis constituit, est idea corporis, (*per Prop.* 13. *hujus*) quod (*per Post.* 1.) ex plurimis valdè compositis Individuis componitur. At cujuscunque Individui, corpus componentis, datur necessariò (*per Coroll. Prop.* 8. *hujus*) in Deo idea; ergo (*per Prop.* 7. *hujus*) idea Corporis humanis ex plurimis hisce partium componentium ideis est composita. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XVI.

Idea cujuscunque modi, quo Corpus humanum à corporibus externis afficitur, involvere debet naturam Corporis humani, & simul naturam corporis externi.

DEMONSTRATIO.

Omnes enim modi, quibus corpus aliquod afficitur, ex naturâ corporis affecti, & ſimul ex naturâ corporis afficientis ſequuntur: (*per Axiom.* 1. *poſt Coroll. Lem.* 3.) quare eorum idea (*per Axiom.* 4. *p.* 1.) utriuſque corporis naturam neceſſariò involvet; adeoque idea cujuscunque modi, quo Corpus humanum à corpore externo afficitur, Corporis humani, & corporis externi naturam involvit. *Q. E. D.*

COROLLARIUM I.

Hinc ſequitur primò Mentem humanam plurimorum corporum naturam unà cum ſui corporis naturâ percipere.

COROLLARIUM II.

Sequitur ſecundò, quòd ideæ, quas corporum externorum habemus, magis noſtri corporis conſtitutionem, quàm corporum externorum naturam indicant; quod in Appendice partis primæ multis exemplis explicui.

PROPOSITIO XVII.

Si humanum Corpus affectum eſt modo, qui naturam Corporis alicujus externi involvit, Mens humana idem corpus externum, ut actu exiſtens, vel ut ſibi præſens, contemplabitur, donec Corpus afficiatur affectu, qui ejuſdem corporis exiſtentiam, vel præſentiam ſecludat.

DEMONSTRATIO.

Patet. Nam quamdiu Corpus humanum ſic affectum eſt, tamdiu Mens humana (*per Prop.* 12. *hujus*) hanc corporis affectionem contemplabitur, hoc eſt, (*per Prop. præced.*) ideam habebit modi, actu exiſtentis, quæ naturam corporis externi involvit, hoc eſt, ideam, quæ exiſtentiam, vel præſentiam naturæ corporis externi non ſecludit; ſed ponit, adeoque Mens (*per Coroll.* 1. *præced.*) corpus externum, ut actu exiſtens, vel ut præſens, contemplabitur, donec afficiatur, &c. *Q. E. D.*

Co-

Corollarium.

Mens corpora externa, à quibus Corpus humanum ſemel affectum fuit, quamvis non exiſtant, nec præſentia ſint, contemplari tamen poterit, velut præſentia eſſent.

Demonstratio.

Dum corpora externa Corporis humani partes fluidas ità determinant, ut in molliores ſæpe impingant, earum plana (*per Poſt.* 5.) mutant, unde fit (*vide Axiom.* 2. *poſt Coroll. Lem.* 3.) ut inde alio modo reflectantur, quàm antea ſolebant, & ut etiam poſtea, iiſdem novis planis ſpontaneo ſuo motu occurrendo, eodem modo reflectantur, ac cùm à corporibus externis verſùs illa plana impulſæ ſunt, & conſequenter, ut Corpus humanum, dum ſic reflexæ moveri pergunt, eodem modo afficiant, de quo Mens (*per Prop.* 12. *hujus*) iterùm cogitabit, hoc eſt, (*per Prop.* 17. *hujus*) Mens iterum corpus externum, ut præſens, contemplabitur; & hoc toties, quoties Corporis humäni partes fluidæ ſpontaneo ſuo motu iiſdem planis occurrent. Quare, quamvis corpora externa, à quibus Corpus humanum affectum ſemel fuit, non exiſtant, Mens tamen eadem toties, ut præſentia, contemplabitur, quoties hæc corporis actio repetetur. *Q. E. D.*

Scholium.

Videmus itaque, quî fieri poteſt, ut ea, quæ non ſunt, veluti præſentia contemplemur, ut ſæpe fit. Et fieri poteſt, ut hoc aliis de cauſis contingat; ſed mihi hîc ſufficit oſtendiſſe unam, per quam rem ſic poſſem explicare, ac ſi ipſam per veram cauſam oſtendiſſem; nec tamen credo, me à verâ longè aberrare, quandoquidem omnia illa, quæ ſumpſi poſtulata vix quicquam continent, quod non conſtet experientiâ, de quâ nobis non licet dubitare, poſtquam oſtendimus Corpus humanum, prout ipſum ſentimus, exiſtere. (*vide Coroll. poſt Prop.* 13. *hujus*) Præterea (*ex Coroll. præced. & Coroll.* 2. *Prop.* 16. *hujus*) clarè intelligimus, quænam ſit differentia inter ideam ex. gr. Petri, quæ eſſentiam Mentis ipſius Petri conſtituit, & inter ideam ipſius Petri, quæ in alio homine, putà in Paulo, eſt. Illa enim eſſentiam Corporis ipſius Petri directè explicat, nec

existentiam involvit, nisi quamdiu Petrus existit; hæc autem magis constitutionem corporis Pauli, quàm Petri naturam indicat, & ideò, durante illâ corporis Pauli constitutione, Mens Pauli, quamvis Petrus non existat, ipsum tamen, ut sibi præsentem contemplabitur. Porrò, ut verba usitata retineamus, Corporis humani affectiones, quarum ideæ Corpora externa, velut nobis præsentia repræsentant, rerum imagines vocabimùs, tametsi rerum figuras non referunt. Et cùm Mens hac ratione contemplatur corpora, eandem imaginari dicemus. Atque hîc, ut, quid sit error, indicare incipiam, notetis velim, Mentis imaginationes in se spectatas, nihil erroris continere, sive Mentem ex eo, quòd imaginatur, non errare; sed tantùm, quatenus consideratur, carere ideâ, quæ existentiam illarum rerum, quas sibi præsentes imaginatur, secludat. Nam si Mens, dum res non existentes, ut sibi præsentes, imaginatur, simul sciret, res illas reverâ non existere, hanc sanè imaginandi potentiam virtuti suæ naturæ, non vitio tribueret; præsertim si hæc imaginandi facultas à solâ suâ naturâ penderet, hoc est (*per Defin. 7. p. 1.*) si hæc Mentis imaginandi facultas libera esset.

PROPOSITIO XVIII.

Si Corpus humanum à duobus, vel pluribus corporibus simul affectum fuerit semel, ubi Mens postea eorum aliquod imaginabitur, statim & aliorum recordabitur.

DEMONSTRATIO.

Mens (*per Coroll. præced.*) corpus aliquod eâ de causâ imaginatur, quia scilicet humanum Corpus à corporis externi vestigiis eodem modo afficitur, disponiturque, ac affectum est, cùm quædam ejus partes ab ipso corpore externo fuerunt impulsæ: sed (*per hypothesin*) Corpus tum ità fuit dispositum, ut Mens duo simul corpora imaginaretur; ergo jam etiam duo simul imaginabitur, atque Mens ubi alterutrum imaginabitur, statim & alterius recordabitur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hinc clarè intelligimus, quid sit Memoria. Est enim nihil aliud, quàm

quàm quædam concatenatio idearum, naturam rerum, quæ extra Corpus humanum ſunt, involventium, quæ in Mente fit ſecundùm ordinem, & concatenationem affectionum Corporis humani. Dico *primò* concatenationem eſſe illarum tantùm idearum, quæ naturam rerum, quæ extra Corpus humanum ſunt, involvunt; non autem idearum, quæ earundem rerum naturam explicant; Sunt enim reverâ (*per Prop.* 16. *hujus*) ideæ affectionum Corporis humani, quæ tam hujus, quàm corporum externorum naturam involvunt. Dico *ſecundò* hanc concatenationem fieri ſecundùm ordinem, & concatenationem affectionum Corporis humani, ut ipſam diſtinguerem à concatenatione idearum, quæ fit ſecundùm ordinem intellectûs, quo res per primas ſuas cauſas Mens percipit, & qui in omnibus hominibus idem eſt. Atque hinc porrò clarè intelligimus, cur Mens ex cogitatione unius rei ſtatim in alteriùs rei cogitationem incidat, quæ nullam cum priore habet ſimilitudinem; ut, ex. gr. ex cogitatione vocis *pomi* homo Romanus ſtatim in cogitationem fructûs incidit, qui nullam cum articulato illo ſono habet ſimilitudinem, nec aliquid commune, niſi quòd ejuſdem hominis Corpus ab his duobus affectum ſæpe fuit, hoc eſt, quòd ipſe homo ſæpe vocem *pomum* audivit, dum ipſum fructum videret, & ſic unusquiſque ex unâ in aliam cogitationem incidet, prout rerum imagines uniuscujuſque conſuetudo in corpore ordinavit. Nam miles ex. gr. viſis in arenâ equi veſtigiis ſtatim ex cogitatione equi in cogitationem equitis, & inde in cogitationem belli, &c. incidet. At Ruſticus ex cogitatione equi in cogitationem aratri, agri, &c. incidet, & ſic unusquiſque, prout rerum imagines conſuevit hoc, vel alio modo jungere, & concatenare, ex unâ in hanc, vel in aliam incidet cogitationem.

PROPOSITIO XIX.

Mens humana ipſum humanum Corpus non cognoſcit, nec ipſum exiſtere ſcit, niſi per ideas affectionum, quibus Corpus afficitur.

DE-

DEMONSTRATIO.

Mens enim humana eſt ipſa idea, ſive cognitio Corporis humani, *(per Prop.* 13. *hujus)* quæ *(per Prop.* 9. *hujus)* in Deo quidem eſt, quatenus aliâ rei ſingularis ideâ affectus conſideratur; vel quia (*per Poſt.* 4.) Corpus humanum plurimis corporibus indiget, à quibus continuò quaſi regeneratur; & ordo, & connexio idearum idem eſt, *(per Prop.* 7. *hujus)* ac ordo, & connexio cauſarum; erit hæc idea in Deo, quatenus plurimarum rerum ſingularium ideis affectus conſideratur. Deus itaque ideam Corporis humani habet, ſive Corpus humanum cognoſcit, quatenus plurimis aliis ideis affectus eſt, & non quatenus naturam humanæ Mentis conſtituit, hoc eſt, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus)* Mens humana Corpus humanum non cognoſcit. At ideæ affectionum Corporis in Deo ſunt, quatenus humanæ Mentis naturam conſtituit, ſive Mens humana eaſdem affectiones percipit, (*per Prop.* 12. *hujus*) & conſequenter (*per Prop.* 16. *hujus*) ipſum Corpus humanum, idque, (*per Prop.* 17. *hujus*) ut actu exiſtens; percipit ergo eatenus tantùm Mens humana ipſum humanum Corpus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XX.

Mentis humanæ datur etiam in Deo idea, ſive cognitio, quæ in Deo eodem modo ſequitur, & ad Deum eodem modo refertur, ac idea ſive cognitio Corporis humani.

DEMONSTRATIO.

Cogitatio attributum Dei eſt, (*per Prop.* 1. *hujus*) adeóque (*per Prop.* 3. *hujus*) tam ejus, quàm omnium ejus affectionum, & conſequenter (*per Prop.* 11. *hujus*) Mentis etiam humanæ debet neceſſariò in Deo dari idea. Deinde hæc Mentis idea, ſive cognitio non ſequitur in Deo dari, quatenus infinitus; ſed quatenus alia rei ſingularis idea affectus eſt. *(per Prop.* 9. *hujus)* Sed ordo, & connexio idearum idem eſt, ac ordo, & connexio cauſarum; (*per Prop.* 7. *hujus*) ſequitur ergo hæc Mentis idea, ſive cognitio in Deo, & ad Deum eodem modo refertur, ac idea, ſive cognitio Corporis. *Q. E. D.*

PRO-

PROPOSITIO XXI.

Hæc Mentis idea eodem modo unita eſt Menti, ac ipſa Mens unita eſt Corpori.

DEMONSTRATIO.

Mentem unitam eſſe Corpori ex eo oſtendimus, quòd ſcilicet Corpus Mentis ſit objectum: (*vide Prop.* 12. *&* 13. *hujus*) adeóque per eandem illam rationem idea Mentis cum ſuo objecto, hoc eſt, cum ipſâ Mente eodem modo unita eſſe debet, ac ipſa Mens unita eſt Corpori. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Propoſitio longè clariùs intelligitur ex dictis in Schol. Prop. 7. hujus; ibi enim oſtendimus Corporis ideam, & Corpus, hoc eſt (*per Prop.* 13. *hujus*) Mentem, & Corpus unum, & idem eſſe Individuum, quod jam ſub Cogitationis, jam ſub Extenſionis attributo concipitur; quare Mentis idea, & ipſa Mens una, eademque eſt res, quæ ſub uno, eodemque attributo, nempe Cogitationis, concipitur. Mentis, inquam, idea, & ipſa Mens in Deo eâdem neceſſitate ex eâdem cogitandi potentiâ ſequuntur dari. Nam reverâ idea Mentis, hoc eſt, idea ideæ nihil aliud eſt, quàm forma ideæ, quatenus hæc, ut modus cogitandi, abſque relatione ad objectum conſideratur; ſimulac enim quis aliquid ſcit, eo ipſo ſcit, ſe id ſcire, & ſimul ſcit, ſe ſcire, quod ſcit, & ſic in infinitum. Sed de his poſtea.

PROPOSITIO XXII.

Mens humana non tantùm Corporis affectiones; ſed etiam harum affectionum ideas percipit.

DEMONSTRATIO.

Affectionum idearum ideæ in Deo eodem modo ſequuntur, & ad Deum eodem modo referuntur, ac ipſæ affectionum ideæ; quod eodem modo demonſtratur, ac Propoſitio 20. hujus. At ideæ affectionum Corporis in Mente humanâ ſunt (*per Prop.* 12. *hujus*)

hujus) hoc eſt, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) in Deo, quatenus humanæ Mentis eſſentiam conſtituit; ergo harum idearum ideæ in Deo erunt, quatenus humanæ Mentis cognitionem, ſive ideam habet, hoc eſt (*per Prop.* 21. *hujus*) in ipſâ Mente humanâ, quæ propterea non tantùm Corporis affectiones, ſed earum etiam ideas percipit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXIII.

Mens ſe ipſam non cognoſcit, niſi quatenus Corporis affectionum ideas percipit.

DEMONSTRATIO.

Mentis idea, ſive cognitio (*per Prop.* 20. *hujus*) in Deo eodem modo ſequitur, & ad Deum eodem modo refertur, ac corporis idea, ſive cognitio. At quoniam (*per Prop.* 19. *hujus*) Mens humana ipſum humanum Corpus non cognoſcit, hoc eſt, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) quoniam cognitio Corporis humani ad Deum non refertur, quatenus humanæ Mentis naturam conſtituit; ergo nec cognitio Mentis ad Deum refertur, quatenus eſſentiam Mentis humanæ conſtituit; atque adeò (*per idem Coroll. Prop.* 11. *hujus*) Mens humana eatenus ſe ipſam non cognoſcit. Deinde affectionum, quibus Corpus afficitur, ideæ naturam ipſius Corporis humani involvunt, (*per Coroll. Prop.* 16. *hujus*) hoc eſt (*per Prop.* 13. *hujus*) cum naturâ Mentis conveniunt; quare harum idearum cognitio cognitionem Mentis neceſſariò involvet: at (*per Prop. præced.*) harum idearum cognitio in ipſâ humanâ Mente eſt; ergo Mens humana eatenus tantùm ſe ipſam novit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXIV.

Mens humana partium, Corpus humanum componentium, adæquatam cognitionem non involvit.

DEMONSTRATIO.

Partes, Corpus humanum componentes, ad eſſentiam ipſius Corporis non pertinent, niſi quatenus motus ſuos certâ quâdam ratione invicem communicant: (*vide Defin. poſt Coroll. Lemmat.* 3.)

& non

& non quatenus, ut Individua, absque relatione ad humanum Corpus considerari possunt. Sunt enim partes humani Corporis (*per Post* 1.) valdè composita Individua, quorum partes (*per Lem.* 4.) à Corpore humano, servatâ omninò ejusdem naturâ, & formâ, segregari possunt, motusque suos (*vide Axiom.* 2. *post Lem.* 3.) aliis corporibus aliâ ratione communicare; adeoque (*per Prop.* 3. *hujus*) cujuscunque partis idea, sive cognitio in Deo erit, & quidem, (*per Prop.* 9. *hujus*) quatenus affectus consideratur aliâ ideâ rei singularis, quæ res singularis ipsâ parte, ordine naturæ, prior est. (*per Prop.* 7. *hujus*) Quod idem præterea etiam de quâcunque parte ipsius Individui, Corpus humanum componentis, est dicendum; adeóque cujuscunque partis, Corpus humanum componentis, cognitio in Deo est, quatenus plurimis rerum ideis affectus est, & non quatenus Corporis humani tantùm habet ideam, hoc est (*per Prop.* 13. *hujus*) ideam, quæ humanæ Mentis naturam constituit; atque adeò (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) humana Mens partium, Corpus humanum componentium, adæquatam cognitionem non involvit. *Q. E. D.*

Propositio XXV.

Idea cujuscunque affectionis Corporis humani adæquatam corporis externi cognitionem non involvit.

Demonstratio.

Ideam affectionis Corporis humani eatenus corporis externi naturam involvere ostendimus, (*vide Prop.* 16. *hujus*) quatenus externum ipsum humanum Corpus certo quodam modo determinat. At quatenus externum corpus Individuum est, quod ad Corpus humanum non refertur, ejus idea, sive cognitio in Deo est, (*per Prop.* 9. *hujus*) quatenus Deus affectus consideratur alterius rei ideâ, quæ (*per Prop.* 7. *hujus*) ipso corpore externo prior est naturâ. Quare corporis externi adæquata cognitio in Deo non est, quatenus ideam affectionis humani Corporis habet, sive idea affectionis Corporis humani adæquatam corporis externi cognitionem non involvit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXVI.

Mens humana nullum corpus externum, ut actu existens, percipit, nisi per ideas affectionum sui Corporis.

DEMONSTRATIO.

Si à corpore aliquo externo Corpus humanum nullo modo affectum est; ergo (*per Prop. 7. hujus*) nec idea Corporis humani, hoc est, (*per Prop. 13. hujus*) nec Mens humana ideâ existentiæ illius corporis ullo etiam modo affecta est, sive existentiam illius corporis externi ullo modo percipit. At quatenus Corpus humanum à corpore aliquo externo aliquo modo afficitur, eatenus (*per Prop. 16. hujus cum Coroll. ejusdem*) corpus externum percipit. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Quatenus Mens humana corpus externum imaginatur, eatenus adæquatam ejus cognitionem non habet.

DEMONSTRATIO.

Cùm Mens humana per ideas affectionum sui Corporis corpora externa contemplatur, eandem tum imaginari dicimus; (*vide Schol. Prop. 17. hujus*) nec Mens aliâ ratione (*per Prop. præced.*) corpora externa, ut actu existentia, imaginari potest. Atque adeò (*per Prop. 25. hujus*) quatenus Mens corpora externa imaginatur, eorum adæquatam cognitionem non habet. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXVII.

Idea cujuscunque affectionis Corporis humani adæquatam ipsius humani Corporis cognitionem non involvit.

DEMONSTRATIO.

Quælibet idea cujuscunque affectionis humani Corporis eatenus naturam Corporis humani involvit, quatenus ipsum humanum Corpus certo quodam modo affici consideratur. (*vide Prop. 16. hujus*) At quatenus Corpus humanum Individuum est, quod multis

tis aliis modis affici poteſt, ejus idea, &c. *Vid. Demonſt. Prop.* 25. *hujus.*

PROPOSITIO XXVIII.

Ideæ affectionum Corporis humani, quatenus ad humanam Mentem tantùm referuntur, non ſunt claræ, & diſtinctæ; ſed confuſæ.

DEMONSTRATIO.

Ideæ enim affectionum Corporis humani, tam corporum externorum, quàm ipſius humani Corporis naturam involvunt, (*per Prop.* 16. *hujus*) nec tantùm Corporis humani; ſed ejus etiam partium naturam involvere debent; affectiones namque modi ſunt, (*per Poſt.* 3.) quibus partes Corporis humani, & conſequenter totum Corpus afficitur. At (*per Prop.* 24. *&* 25. *hujus*) corporum externorum adæquata cognitio, ut & partium, Corpus humanum componentium, in Deo non eſt, quatenus humanâ Mente; ſed quatenus aliis ideis affectus conſideratur. Sunt ergo hæ affectionum ideæ, quatenus ad ſolam humanam Mentem referuntur, veluti conſequentiæ abſque præmiſſis, hoc eſt, (*ut per ſe notum*) ideæ confuſæ. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Idea, quæ naturam Mentis humanæ conſtituit, demonſtratur eodem modo non eſſe, in ſe ſolâ conſiderata, clara, & diſtincta; ut etiam idea Mentis humanæ, & ideæ idearum affectionum Corporis humani, quatenus ad ſolam Mentem referuntur, quod unuſquiſque videre poteſt.

PROPOSITIO XIX.

Idea ideæ cujuscunque affectionis Corporis humani adæquatam humanæ Mentis cognitionem non involvit.

DEMONSTRATIO.

Idea enim affectionis Corporis humani (*per Prop.* 27. *hujus*) adæquatam ipſius Corporis cognitionem non involvit, ſive ejus naturam

turam adæquatè non exprimit, hoc eſt, (*per Prop.* 13. *hujus*) cum naturâ Mentis non convenit adæquatè; adeóque (*per Axiom.* 6. *p.* 1.) hujus ideæ idea adæquatè humanæ Mentis naturam non exprimit, ſive adæquatam ejus cognitionem non involvit. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, Mentem humanam, quoties ex communi naturæ ordine res percipit, nec ſui ipſius, nec ſui Corporis, nec corporum externorum adæquatam; ſed confuſam tantùm, & mutilatam habere cognitionem. Nam Mens ſe ipſam non cognoſcit, niſi quatenus ideas affectionum corporis percipit. (*per Prop.* 23. *hujus*) Corpus autem ſuum (*per Prop.* 19. *hujus*) non percipit, niſi per ipſas affectionum ideas, per quas etiam tantùm (*per Prop.* 26. *hujus*) corpora externa percipit; atque adeò, quatenus eas habet, nec ſui ipſius, (*per Prop.* 29. *hujus*) nec ſui Corporis, (*per Prop.* 27. *hujus*) nec corporum externorum (*per Prop.* 25. *hujus*) habet adæquatam cognitionem; ſed tantùm (*per Prop.* 28. *hujus cum ejus Schol.*) mutilatam, & confuſam. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Dico expreſſè, quòd Mens nec ſui ipſius, nec ſui Corporis, nec corporum externorum adæquatam; ſed confuſam tantùm cognitionem habeat, quoties ex communi naturæ ordine res percipit, hoc eſt, quoties externè, ex rerum nempe fortuito occurſu, determinatur ad hoc, vel illud contemplandum, & non quoties internè, ex eo ſcilicet, quòd res plures ſimul contemplatur, determinatur ad earundem convenientias, differentias, & oppugnantias intelligendum; quoties enim hoc, vel alio modo internè diſponitur, tum res clarè, & diſtinctè contemplatur, ut infrà oſtendam.

PROPOSITIO XXX.

Nos de duratione noſtri Corporis nullam, niſi admodùm inadæquatam cognitionem habere poſſumus.

DEMONSTRATIO.

Noſtri corporis duratio ab ejus eſſentiâ non dependet, (*per Ax.*

Ax. 1. *hujus*) nec etiam ab absolutâ Dei naturâ. (*per Prop.* 21. *p.* 1.) Sed (*per Prop.* 28. *p.* 1.) ad existendum, & operandum determinatur à talibus causis, quæ etiam ab aliis determinatæ sunt ad existendum, & operandum certâ, ac determinatâ ratione, & hæ iterùm ab aliis, & sic in infinitum. Nostri igitur Corporis duratio à communi naturæ ordine, & rerum constitutione pendet. Quâ autem ratione res constitutæ sint, ejus rei adæquata cognitio datur in Deo, quatenus earum omnium ideas, & non quatenus tantùm humani Corporis ideam habet, (*per Coroll. Prop.* 9. *hujus*) quare cognitio durationis nostri Corporis est in Deo admodùm inadæquata, quatenus tantùm naturam Mentis humanæ constituere consideratur, hoc est, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) hæc cognitio est in nostrâ Mente admodùm inadæquata. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXI.

Nos de duratione rerum singularium, quæ extra nos sunt, nullam, nisi admodùm inadæquatam cognitionem habere possumus.

DEMONSTRATIO.

Unaquæque enim res singularis, sicuti humanum Corpus, ab aliâ re singulari determinari debet ad existendum, & operandum certâ, ac determinatâ ratione; & hæc iterùm ab aliâ, & sic in infinitum. (*per Prop.* 28. *p.* 1.) Cùm autem ex hâc communi rerum singularium proprietate in præcedenti Prop. demonstraverimus, nos de duratione nostri Corporis non, nisi admodùm inadæquatam cognitionem habere; ergo hoc idem de rerum singularium duratione erit concludendum, quòd scilicet ejus non, nisi admodùm inadæquatam cognitionem habere possumus. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, omnes res particulares contingentes, & corruptibiles esse. Nam de earum duratione nullam adæquatam cognitionem habere possumus, (*per Prop. præced.*) & hoc est id, quòd per rerum contingentiam, & corruptionis possibilitatem

nobis

nobis est intelligendum. (*vide Schol.* 1. *Prop.* 33. *p.* 1.) Nam (*per Prop.* 29. *p.* 1.) præter hoc nullum datur contingens.

PROPOSITIO XXXII.

Omnes ideæ, quatenus ad Deum referuntur veræ sunt.

DEMONSTRATIO.

Omnes enim ideæ, quæ in Deo sunt, cum suis ideatis omninò conveniunt, (*per Coroll. Prop.* 7. *hujus*) adeóque (*per Ax.* 6. *p.* 1.) omnes veræ sunt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXIII.

Nihil in ideis positivum est, propter quod falsæ dicuntur.

DEMONSTRATIO.

Si negas, concipe, si fieri potest, modum positivum cogitandi, qui formam erroris, sive falsitatis constituat. Hic cogitandi modus non potest esse in Deo; (*per Prop. præced.*) extra Deum autem etiam nec esse, nec concipi potest. (*per Prop.* 15. *p.* 1.) Atque adeò nihil potest dari positivum in ideis, propter quod falsæ dicuntur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXIV.

Omnis idea, quæ in nobis est absoluta, sive adæquata, & perfecta, vera est.

DEMONSTRATIO.

Cùm dicimus, dari in nobis ideam adæquatam, & perfectam, nihil aliud dicimus, (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) quàm quòd in Deo, quatenus nostræ Mentis essentiam constituit, detur idea adæquata, & perfecta, & consequenter, (*per Prop.* 32. *hujus*) nihil aliud dicimus, quàm quòd talis idea sit vera. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXV.

Falsitas consistit in cognitionis privatione, quam ideæ inadæquatæ, sive mutilatæ, & confusæ involvunt.

DE-

DEMONSTRATIO.

Nihil in ideis positivum datur, quod falsitatis formam constituat; *(per Prop. 33. hujus)* at falsitas in absolutâ privatione consistere nequit, (Mentes enim, non Corpora errare, nec falli dicuntur) neque etiam in absolutâ ignorantiâ; diversa enim sunt, ignorare, & errare; quare in cognitionis privatione, quam rerum inadæquata cognitio, sive ideæ inadæquatæ, & confusæ involvunt, consistit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

In Scholio Prop. 17. hujus Partis explicui, quâ ratione error in cognitionis privatione consistit; sed ad uberiorem hujus rei explicationem exemplum dabo; nempe. Falluntur homines, quòd se liberos esse putant, quæ opinio in hoc solo consistit, quòd suarum actionum sint conscii, & ignari causarum, à quibus determinantur. Hæc ergo est eorum libertatis idea, quòd suarum actionum nullam cognoscant causam. Nam quòd ajunt, humanas actiones à voluntate pendêre, verba sunt, quorum nullam habent ideam. Quid enim voluntas sit, & quomodo moveat Corpus, ignorant omnes; qui aliud jactant, animæ sedes, & habitacula fingunt, vel risum, vel nauseam movere solent. Sic cùm solem intuemur, eum ducentos circiter pedes à nobis distare imaginamur, qui error in hâc solâ imaginatione non consistit; sed in eo, quòd dum ipsum sic imaginamur, veram ejus distantiam, & hujus imaginationis causam ignoramus. Nam tametsi postea cognoscamus, eundem ultra 600 terræ diametros à nobis distare, ipsum nihilominùs propè adesse imaginabimur; non enim solem adeò propinquum imaginamur, propterea quòd veram ejus distantiam ignoramus; sed propterea, quòd affectio nostri corporis essentiam solis involvit, quatenus ipsum corpus ab eodem afficitur.

PROPOSITIO XXXVI.

Ideæ inadæquatæ, & confusæ eâdem necessitate consequuntur, ac adæquatæ, sive claræ, ac distinctæ ideæ.

DEMONSTRATIO.

Ideæ omnes in Deo sunt; (*per Prop.* 15. *p.* 1.) &, quatenus ad Deum referuntur, sunt veræ, (*per Prop.* 32. *hujus*) & (*per Coroll. Prop.* 7. *hujus*) adæquatæ; adeóque nullæ inadæquatæ, nec confusæ sunt; nisi quatenus ad singularem alicujus Mentem referuntur: (*quâ de re vide Prop.* 24. *&* 28. *hujus*) adeóque omnes tam adæquatæ, quàm inadæquatæ eâdem necessitate (*per Coroll. Prop.* 6. *hujus*) consequuntur. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XXXVII.

Id, quod omnibus commune, (de his vide suprà Lemma 2.) *quodque æquè in parte, ac in toto est, nullius rei singularis essentiam constituit.*

DEMONSTRATIO.

Si negas, concipe, si fieri potest, id essentiam alicujus rei singularis constituere; nempe, essentiam B. Ergo (*per Defin.* 2. *hujus*) id sine B non poterit esse, neque concipi; atqui hoc est contra Hypothesin: Ergo id ad essentiam B non pertinet, nec alterius rei singularis essentiam constituit. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XXXVIII.

Illa, quæ omnibus communia, quæque æquè in parte, ac in toto sunt, non possunt concipi, nisi adæquatè.

DEMONSTRATIO.

Sit A aliquid, quod omnibus corporibus commune, quodque æquè in parte cujuscunque corporis, ac in toto est. Dico A non posse concipi, nisi adæquatè. Nam ejus idea (*per Coroll. Prop.* 7. *hujus*) erit necessariò in Deo adæquata, tam quatenus ideam Corporis humani, quàm quatenus ideas habet ejusdem affectionum, quæ (*per Prop.* 16. 25. *&* 27. *hujus*) tam Corporis humani, quàm corporum externorum naturam ex parte involvunt, hoc est, (*per Prop.* 12. *&* 13. *hujus*) hæc idea erit necessariò in Deo adæquata, quatenus Mentem humanam constituit, sive quatenus ideas habet,

quæ

quæ in Mente humanâ ſunt; Mens igitur (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) A neceſſariò adæquatè percipit, idque tam quatenus ſe, quàm quatenus ſuum, vel quodcunque externum corpus percipit, nec A alio modo poteſt concipi. Q. *E. D.*

Corollarium.

Hinc ſequitur, dari quaſdam ideas, ſive notiones omnibus hominibus communes; Nam (*per Lem.* 2.) omnia corpora in quibuſdam conveniunt, quæ (*per Prop. præced.*) ab omnibus debent adæquatè, ſive clarè, & diſtinctè percipi.

Propositio XXXIX.

Id, quod Corpori humano, & quibuſdam corporibus externis, à quibus Corpus humanum affici ſolet, quodque in cujuscunque horum parte æquè, ac in toto commune eſt, & proprium, ejus etiam idea erit in Mente adæquata.

Demonstratio

Sit A id, quod Corpori humano, & quibuſdam corporibus externis commune eſt, & proprium, quodque æquè in humano Corpore, ac in iiſdem corporibus externis, & quod denique æquè in cujuscunque corporis externi parte, ac in toto eſt. Ipſius A dabitur in Deo idea adæquata, (*per Coroll. Prop.* 7. *hujus*) tam quatenus ideam Corporis humani, quàm quatenus poſitorum corporum externorum ideas habet. Ponatur jam humanum Corpus à corpore externo affici per id, quod cum eo habet commune, hoc eſt, ab A, hujus affectionis idea proprietatem A involvet, (*per Prop.* 16. *hujus*) atque adeò (*per idem Coroll. Prop.* 7. *hujus*) idea hujus affectionis, quatenus proprietatem A involvit, erit in Deo adæquata, quatenus idea Corporis humani affectus eſt, hoc eſt, (*per Prop.* 13. *hujus*) quatenus Mentis humanæ naturam conſtituit; adeoque (*per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) hæc idea eſt etiam in Mente humanâ adæquata. Q. *E. D.*

Corollarium.

Hinc ſequitur, quod Mens eò aptior eſt ad plura adæquatè percipien-

cipiendum, quò ejus Corpus plura habet cum aliis corporibus communia.

PROPOSITIO XL.

Quæcunque ideæ in Mente ſequuntur ex ideis, quæ in ipſâ ſunt adæquatæ, ſunt etiam adæquatæ.

DEMONSTRATIO

Patet. Nam cum dicimus, in Mente humanâ ideam ſequi ex ideis, quæ in ipſâ ſunt adæquatæ, nihil aliud dicimus, (*per Coroll. Prop.* II. *hujus*) quàm quòd in ipſo Divino intellectu detur idea, cujus Deus eſt cauſa, non quatenus infinitus eſt, nec quatenus plurimarum rerum ſingularium ideis affectus eſt; ſed quatenus tantùm humanæ Mentis eſſentiam conſtituit.

SCHOLIUM.

His cauſam notionum, quæ *Communes* vocantur, quæque ratiocinii noſtri fundamenta ſunt, explicui. Sed aliæ quorundam axiomatum, ſive notionum cauſæ dantur, quas hâc noſtrâ methodo explicare è re foret; ex iis namque conſtaret, quænam notiones præ reliquis utiliores, quænam verò vix ullius uſûs eſſent. Deinde quænam communes, & quænam iis tantùm, qui præjudiciis non laborant, claræ, & diſtinctæ, & quænam denique malè fundatæ ſint. Præterea conſtaret, unde notiones illæ, quas *Secundas* vocant, & conſequenter axiomata, quæ in iiſdem fundantur ſuam duxerunt originem, & alia, quæ circa hæc aliquando meditatus ſum. Sed quoniam hæc alii dicavi Tractatui, & etiam, ne propter nimiam hujus rei prolixitatem, faſtidium crearem, hâc re hîc ſuperſedere decrevi. Attamen ne quid horum omittam, quod ſcitu neceſſarium ſit, cauſas breviter addam, ex quibus termini, *Tranſcendentales* dicti, ſuam duxerunt originem, ut Ens, Res, aliquid. Hi termini ex hoc oriuntur, quòd ſcilicet humanum Corpus, quandoquidem limitatum eſt, tantùm eſt capax certi imaginum numeri (*Quid imago ſit explicui in Schol. Prop.* 17. *hujus*) in ſe diſtinctè ſimul formandi, qui ſi excedatur, hæ imagines confundi incipient, & ſi hic imaginum numerus, quarum Corpus eſt capax, ut eas in ſe ſimul diſtin-

distinctè formet, longè excedatur, omnes inter se planè confundentur. Cùm hoc ità se habeat, patet ex Coroll. Prop. 17. & Prop. 18. hujus, quòd Mens humana tot corpora distinctè simul imaginari poterit, quot in ipsius corpore imagines possunt simul formari. At, ubi imagines in corpore planè confunduntur, Mens etiam omnia corpora confusè sine ullâ distinctione imaginabitur, & quasi sub uno attributo comprehendet, nempe sub attributo Entis, Rei, &c. Potest hoc etiam ex eo deduci, quòd imagines non semper æquè vigeant, & ex aliis causis his analogis, quas hîc explicare non est opus; nam ad nostrum, ad quem collimamus, scopum unam tantùm sufficit considerare. Nam omnes huc redeunt, quòd hi termini ideas significent summo gradu confusas. Ex similibus deinde causis ortæ sunt notiones illæ, quas *Universales* vocant, ut Homo, Equus, Canis, &c. Videlicet, quia in Corpore humano tot imagines, ex gr. hominum formantur simul, ut vim imaginandi, non quidem penitùs; sed eò usque tamen superent, ut singulorum parvas differentias, (videlicet uniuscujusque colorem, magnitudinem, &c.) eorumque determinatum numerum Mens imaginari nequeat, & id tantùm, in quo omnes, quatenus corpus ab iisdem afficitur, conveniunt, distinctè imaginetur; nam ab eo corpus, maximè scilicet ab unoquoque singulari, affectum fuit; atque hoc nomine *hominis* exprimit, hocque de infinitis singularibus prædicat. Nam singularium determinatum numerum, ut diximus, imaginari nequit. Sed notandum, has notiones non ab omnibus eodem modo formari; sed apud unumquemque variare pro ratione rei, à quâ corpus affectum sæpiùs fuit, quamque faciliùs Mens imaginatur, vel recordatur. Ex. gr. qui sæpius cum admiratione hominum staturam contemplati sunt sub nomine *hominis* intelliget animal erectæ staturæ; qui verò aliud assueti sunt contemplari, aliam hominum communem imaginem formabunt, nempe, hominem esse animal risibile, animal bipes, sine plumis, animal rationale; & sic de reliquis unusquisque pro dispositione sui corporis rerum universales imagines formabit. Quare non mirum est, quòd inter Philosophos, qui res naturales per solas rerum imagines explicare voluerunt, tot sint ortæ controversiæ.

SCHOLIUM II.

Ex omnibus ſuprà dictis clarè apparet, nos multa percipere, & notiones univerſales formare I°. ex ſingularibus, nobis per ſenſus mutilatè, confuſè, & ſine ordine ad intellectum repræſentatis: (*Vide Coroll. Prop.* 29. *hujus*) & ideò tales perceptiones cognitionem ab experientiâ vagâ vocare conſuevi. II°. Ex ſignis, ex. gr. ex eo, quòd auditis, aut lectis quibuſdam verbis rerum recordemur, & earum quaſdam ideas formemus ſimiles iis, per quas res imaginamur. (*Vide Schol. Prop.* 18. *hujus*) Utrumque hunc res contemplandi modum cognitionem primi generis, opinionem, vel imaginationem in poſterum vocabo. III°. Denique ex eo, quòd notiones communes, rerumque proprietatum ideas adæquatas habemus; (*Vide Coroll. Prop.* 38. *&* 39. *cum ejus Coroll. & Prop.* 40. *hujus*) atque hunc rationem, & ſecundi generis cognitionem vocabo. Præter hæc duo cognitionis genera datur, ut in ſequentibus oſtendam, aliud tertium, quod ſcientiam intuitivam vocabimus. Atque hoc cognoſcendi genus procedit ab adæquatâ ideâ eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem eſſentiæ rerum. Hæc omnia unius rei exemplo explicabo. Dantur ex. gr. tres numeri, ad quartum obtinendum, qui ſit ad tertium, ut ſecundus ad primum. Non dubitant mercatores ſecundum in tertium ducere, & productum per primum dividere; quia ſcilicet ea, quæ à magiſtro abſque ullâ demonſtratione audiverunt, nondum tradiderunt oblivioni, vel quia id ſæpe in numeris ſimpliciſſimis experti ſunt, vel ex vi Demonſtrationis Prop. 19. lib. 7. Euclid. nempe ex communi proprietate proportionalium. At in numeris ſimpliciſſimis nihil horum opus eſt. Ex. gr. datis numeris 1. 2. 3. nemo non videt, quartum numerum proportionalem eſſe 6. atque hoc multò clariùs, quia ex ipſâ ratione, quam primum ad ſecundum habere uno intuitu videmus, ipſum quartum concludimus.

PROPOSITIO XLI.

Cognitio primi generis unica eſt falſitatis cauſa, ſecundi autem, & tertii eſt neceſſariò vera.

DE-

DEMONSTRATIO.

Ad primi generis cognitionem illas omnes ideas diximus in præced. Schol. pertinere, quæ ſunt inadæquatæ, & confuſæ; atque adeò (*per Prop. 35. hujus*) hæc cognitio unica eſt falſitatis cauſa. Deinde ad cognitionem ſecundi, & tertii illas pertinere diximus, quæ ſunt adæquatæ; adeóque (*per Prop. 34. hujus*) eſt neceſſariò vera. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLII.

Secundi, & tertii; & non primi generis cognitio docet nos verum à falſo diſtinguere.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propoſitio per ſe patet. Qui enim inter verum, & falſum ſcit diſtinguere, debet adæquatam veri, & falſi habere ideam, hoc eſt (*per 2. Schol. Prop. 40. hujus*) verum, & falſum ſecundo, aut tertio cognitionis genere cognoſcere.

PROPOSITIO XLIII.

Qui veram habet ideam, ſimul ſcit ſe veram habere ideam, nec de rei veritate poteſt dubitare.

DEMONSTRATIO.

Idea vera in nobis eſt illa, quæ in Deo, quatenus per naturam Mentis humanæ explicatur, eſt adæquata. (*per Coroll. Prop. 11. hujus*) Ponamus itaque, dari in Deo, quatenus per naturam Mentis humanæ explicatur, ideam adæquatam A. Hujus ideæ debet neceſſariò dari etiam in Deo idea, quæ ad Deum eodem modo refertur, ac idea A. (*per Prop. 20. hujus, cujus Demonſtratio univerſalis eſt*) At idea A ad Deum referri ſupponitur, quatenus per naturam Mentis humanæ explicatur; ergo etiam idea ideæ A ad Deum eodem modo debet referri, hoc eſt, (*per idem Coroll. Prop. 11. hujus*) hæc adæquata idea ideæ A erit in ipſâ Mente, quæ ideam adæquatam A habet; adeóque qui adæquatam habet ideam, ſive (*per Prop. 34. hujus*) qui verè rem cognoſcit, debet ſimul ſuæ cogni-

cognitionis adæquatam habere ideam, ſive veram cognitionem, hoc eſt, (*ut per ſe manifeſtum*) debet ſimul eſſe certus. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

In Scholio Propoſitionis 21. hujus Partis explicui, quid ſit idea ideæ; ſed notandum, præcedentem Propoſitionem per ſe ſatis eſſe manifeſtam. Nam nemo, qui veram habet ideam, ignorat veram ideam ſummam certitudinem involvere; veram namque habere ideam, nihil aliud ſignificat, quàm perfectè, ſive optimè rem cognoſcere; nec ſanè aliquis de hâc re dubitare poteſt, niſi putet, ideam quid mutum inſtar picturæ in tabulâ, & non modum cogitandi eſſe, nempe ipſum intelligere; & quæſo, quis ſcire poteſt, ſe rem aliquam intelligere, niſi priùs rem intelligat? hoc eſt, quis poteſt ſcire, ſe de aliquâ re certum eſſe, niſi priùs de eâ re certus ſit? Deinde quid ideâ verâ clarius, & certius dari poteſt, quod norma ſit veritatis? Sanè ſicut lux ſeipſam, & tenebras manifeſtat, ſic veritas norma ſui, & falſi eſt. Atque his me ad has quæſtiones reſpondiſſe puto; nempe, ſi idea vera, quatenus tantùm dicitur cum ſuo ideato convenire, à falſâ diſtinguitur, nihil ergo realitatis, aut perfectionis idea vera habet præ falſâ, (quandoquidem per ſolam denominationem extrinſecam diſtinguuntur) & conſequenter neque etiam homo, qui veras, præ illo, qui falſas tantùm ideas habet. Deinde unde fit, ut homines falſas habeant ideas? Et denique, unde aliquis certò ſcire poteſt, ſe ideas habere, quæ cum ſuis ideatis conveniant. Ad has, inquam, quæſtiones me jam reſpondiſſe puto. Nam quòd ad differentiam inter ideam veram, & falſam attinet, conſtat ex Propoſitione 35. hujus, illam ad hanc ſeſe habere, ut ens ad non ens. Falſitatis autem cauſas à Propoſitione 19. uſque ad 35. cum ejus Scholio clariſſimè oſtendi. Ex quibus etiam apparet, quid homo, qui veras habet ideas, homini, qui non niſi falſas habet, interſit. Quod denique ultimum attinet; nempe, undenam homo ſcire poteſt ſe habere ideam, quæ cum ſuo ideato conveniat, id modò ſatis ſuperque oſtendi ex hoc ſolo oriri, quòd ideam habet, quæ cum ſuo ideato convenit, ſive quòd veritas ſui ſit norma. His adde, quòd Mens noſtra, quatenus res verè percipit, pars eſt infiniti

Dei

Dei intellectûs ; *(per Coroll. Prop.* 11. *hujus*) adeóque tam necesse est, ut Mentis claræ, & distinctæ ideæ veræ sint, ac Dei ideæ.

Propositio XLIV.

De naturâ Rationis non est res, ut contingentes ; sed, ut necessarias, contemplari.

Demonstratio.

De naturâ rationis est res verè percipere, (*per Prop.* 41. *hujus*) nempe (*per Ax.* 6. *p.* 1.) ut in se sunt, hoc est, (*per Prop.* 29. *p.* 1.) non ut contingentes, sed ut necessarias. *Q. E. D.*

Corollarium I.

Hinc sequitur, à solâ imaginatione pendêre, quòd res tam respectû præteriti, quàm futuri, ut contingentes contemplemur.

Scholium.

Quâ autem ratione hoc fiat, paucis explicabo. Ostendimus suprà (*Prop.* 17. *hujus cum ejus Coroll.*) Mentem, quamvis res non existant, eas tamen semper, ut sibi præsentes, imaginari, nisi causæ occurrant, quæ earum præsentem existentiam secludant. Deinde (*Prop.* 18. *hujus*) ostendimus, quòd, si Corpus humanum semel à duobus corporibus externis simul affectum fuit, ubi Mens postea eorum alterutrum imaginabitur, statim & alterius recordabitur, hoc est, ambo, ut sibi præsentia, contemplabitur, nisi causæ occurrant, quæ eorum præsentem existentiam secludant. Præterea nemo dubitat, quin etiam tempus imaginemur, nempe, ex eo, quòd corpora alia aliis tardiùs, vel celeriùs, vel æquè celeriùs moveri imaginemur. Ponamus itaque puerum, qui heri primâ vice horâ matutinâ viderit Petrum, meridianâ autem Paulum, & vespertinâ Simeonem, atque hodie iterùm matutinâ horâ Petrum. Ex Propositione 18. hujus patet, quòd simulac matutinam lucem videt, illicò solem eandem cæli, quam die præcedenti viderit, partem percurrentem, sive diem integrum, & simul cum tempore matutino Petrum, cum meridiano autem Paulum, &

cum veſpertino Simeonem imaginabitur, hoc eſt, Pauli, & Simeonis exiſtentiam cum relatione ad futurum tempus imaginabitur; & contrà, ſi horâ veſpertinâ Simeonem videat, Paulum, & Petrum ad tempus præteritum referet, eoſdem ſcilicet ſimul cum tempore præterito imaginando; atque hæc eò conſtantiùs, quò ſæpiùs eos eodem hoc ordine viderit. Quòd ſi aliquando contingat, ut aliâ quâdam veſperâ loco Simeonis, Jacobum videat, tum ſequenti mane cum tempore veſpertino jam Simeonem, jam Jacobum, non verò ambos ſimul imaginabitur. Nam alterutrum tantùm, non autem ambos ſimul tempore veſpertino vidiſſe ſupponitur. Fluctuabitur itaque ejus imaginatio, & cum futuro tempore veſpertino jam hunc, jam illum imaginabitur, hoc eſt, neutrum certò; ſed utrumque contingenter futurum contemplabitur. Atque hæc imaginationis fluctuatio eadem erit, ſi imaginatio rerum ſit, quas eodem modo cum relatione ad tempus præteritum, vel præſens contemplamur, & conſequenter res tam ad tempus præſens, quam ad præteritum, vel futurum relatas, ut contingentes, imaginabimur.

COROLLARIUM II.

De naturâ Rationis eſt res ſub quâdam æternitatis ſpecie percipere.

DEMONSTRATIO.

De natura enim Rationis eſt res, ut neceſſarias, & non, ut contingentes, contemplari. (*per Prop. præced.*) Hanc autem rerum neceſſitatem (*per Prop. 4. hujus*) verè, hoc eſt, (*per Axiom. 6. p. 1.*) ut in ſe eſt, percipit. Sed (*per Prop. 16. p. 1.*) hæc rerum neceſſitas eſt ipſa Dei æternæ naturæ neceſſitas; Ergo de naturâ Rationis eſt res ſub hâc æternitatis ſpecie contemplari. Adde, quòd fundamenta Rationis notiones ſint, (*per Prop. 38. hujus*) quæ illa explicant, quæ omnibus communia ſunt, quæque (*per Prop. 37. hujus*) nullius rei ſingularis eſſentiam explicant; quæque propterea abſque ullâ temporis relatione; ſed ſub quâdam æternitatis ſpecie debent concipi. *Q. E. D.*

PRO-

Propositio XLV.

Unaquæque cujuscunque corporis, vel rei ſingularis, actu exiſtentis, idea Dei æternam, & infinitam eſſentiam neceſſariò involvit.

Demonstratio.

Idea rei ſingularis, actu exiſtentis, ipſius rei tam eſſentiam, quàm exiſtentiam neceſſariò involvit: (*per Coroll. Prop.* 8. *hujus*) At res ſingulares (*per Prop.* 15. *p.* 1.) non poſſunt ſine Deo concipi; ſed, quia (*per Prop.* 6. *hujus*) Deum pro cauſâ habent, quatenus ſub attributo conſideratur, cujus res ipſæ modi ſunt, debent neceſſariò earum ideæ (*per Axiom.* 4. *p.* 1.) ipſarum attributi conceptum, hoc eſt, (*per Defin.* 6. *p.* 1.) Dei æternam, & infinitam eſſentiam involvere. *Q. E. D.*

Scholium.

Hîc per exiſtentiam non intelligo durationem, hoc eſt, exiſtentiam, quatenus abſtractè concipitur, & tanquam quædam quantitatis ſpecies. Nam loquor de ipſâ naturâ exiſtentiæ, quæ rebus ſingularibus tribuitur, propterea quòd ex æternâ neceſſitate Dei naturæ infinita infinitis modis ſequuntur. (*Vide Prop.* 16. *p.* 1.) Loquor, inquam, de ipſâ exiſtentiâ rerum ſingularium, quatenus in Deo ſunt. Nam, etſi unaquæque ab aliâ re ſingulari determinetur ad certo modo exiſtendum; vis tamen, quâ unaquæque in exiſtendo perſeverat, ex æternâ neceſſitate naturæ Dei ſequitur. Quâ de re vide Coroll. Prop. 24. p. 1.

Propositio XLVI.

Cognitio æternæ, & infinitæ eſſentiæ Dei, quam unaquæque idea involvit, eſt adæquata, & perfecta.

Demonstratio.

Demonſtratio præcedentis Propoſitionis Univerſalis eſt, &, ſive res, ut pars, ſive, ut totum, conſideretur, ejus idea, ſive totius ſit, ſive partis, (*per Prop. præced.*) Dei æternam, & infinitam eſſentiam involvet. Quare id, quod cognitionem æternæ, & infinitæ eſſentiæ

Dei dat, omnibus commune, & æquè in parte, ac in toto eſt, adeóque (*per Prop.* 38. *hujus*) erit hæc cognitio adæquata. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XLVII.

Mens humana adæquatam habet cognitionem æternæ, & infinitæ eſſentiæ Dei.

DEMONSTRATIO.

Mens humana ideas habet, (*per Prop.* 22. *hujus*) ex quibus (*per Prop.* 23. *hujus*) ſe, ſuumque Corpus, (*per Prop.* 19. *hujus*) & (*per Coroll. Prop.* 16. *& per Prop.* 17. *hujus*) corpora externa, ut actu exiſtentia, percipit; adeoque (*per Prop.* 45. *&* 46. *hujus*) cognitionem æternæ, & infinitæ eſſentiæ Dei habet adæquatam. *Q.E.D.*

SCHOLIUM.

Hinc videmus, Dei infinitam eſſentiam, ejuſque æternitatem omnibus eſſe notam. Cùm autem omnia in Deo ſint, & per Deum concipiantur, ſequitur, nos ex cognitione hâc plurima poſſe deducere, quæ adæquatè cognoſcamus, atque adeò tertium illud cognitionis genus formare, de quo diximus in Scholio 2. Propoſitionis 40. hujus Partis, & de cujus præſtantiâ & utilitate in quintâ Parte erit nobis dicendi locus. Quod autem homines non æquè claram Dei, ac notionum communium habeant cognitionem, inde fit, quòd Deum imaginari nequeant, ut corpora, & quòd nomen *Deus* junxerunt imaginibus rerum, quas videre ſolent, quod homines vix vitare poſſunt, quia continuò à corporibus externis afficiuntur. Et profectò plerique errores in hoc ſolo conſiſtunt, quòd ſcilicet nomina rebus non rectè applicamus. Cùm enim aliquis ait, lineas, quæ ex centro circuli ad ejuſdem circumferentiam ducuntur, eſſe inæquales, ille ſanè aliud, tum ſaltem, per circulum intelligit, quàm Mathematici. Sic cùm homines in calculo errant, alios numeros in mente, alios in chartâ habent. Quare ſi ipſorum Mentem ſpectes, non errant ſanè; videntur tamen errare, quia ipſos in mente putamus habere numeros, qui in chartâ ſunt. Si hoc non eſſet, nihil eoſdem errare crederemus; ut non credidi quendam errare, quem nuper audivi clamantem,

tem, ſuum atrium volâſſe in gallinam vicini, quia ſcilicet ipſius mens ſatis perſpecta mihi videbatur. Atque hinc pleræque oriuntur controverſiæ, nempe, quia homines mentem ſuam non rectè explicant, vel quia alterius mentem male interpretantur. Nam reverâ, dum ſibi maximè contradicunt, vel eadem, vel diverſa cogitant, ita ut, quos in alio errores, & abſurda, eſſe putant, non ſint.

PROPOSITIO XLVIII.

In Mente nulla eſt abſoluta, ſive libera voluntas; ſed Mens ad hoc, vel illud volendum determinatur à cauſâ, quæ etiam ab aliâ determinata eſt, & hæc iterum ab aliâ, & ſic in infinitum.

DEMONSTRATIO.

Mens certus, & determinatus modus cogitandi eſt, (*per Prop.* 11. *hujus*) adeoque (*per Coroll.* 2. *Prop.* 17. *p.* 1.) ſuàrum actionum non poteſt eſſe cauſa libera, ſive abſolutam facultatem volendi, & nolendi habere non poteſt; ſed ad hoc, vel illud volendum (*per Prop.* 28. *p.* 1.) determinari debet à cauſâ, quæ etiam ab aliâ determinata eſt, & hæc iterum ab aliâ, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Eodem hoc modo demonſtratur in Mente nullam dari facultatem abſolutam intelligendi, cupiendi, amandi, &c. Unde ſequitur, has, & ſimiles facultates, vel prorſùs fictitias, vel nihil eſſe, præter entia Metaphyſica, ſive univerſalia, quæ ex particularibus formare ſolemus. Adeò ut intellectus, & voluntas ad hanc, & illam ideam, vel ad hanc, & illam volitionem eodem modo ſeſe habeant, ac lapideitas ad hunc, & illum lapidem, vel ut homo ad Petrum, & Paulum. Cauſam autem, cur homines ſe liberos eſſe putent, explicuimus in Appendice Partis primæ. Verùm, antequam ulteriùs pergam, venit hîc notandum, me per voluntatem affirmandi, & negandi facultatem; non autem cupiditatem intelligere; facultatem, inquam, intelligo, quâ Mens, quid verum, quidve-

Vide Def. Affect. 32.

quidve falsum sit, affirmat, vel negat, & non cupiditatem, quâ Mens res appetit, vel aversatur. At postquam demonstravimus, has facultates notiones esse universales, quæ à singularibus, ex quibus easdem formamus, non distinguuntur, inquirendum jam est, an ipsæ volitiones aliquid sint, præter ipsas rerum ideas. Inquirendum, inquam, est, an in Mente alia affirmatio, & negatio detur præter illam, quam idea, quatenus idea est, involvit, quâ de re vide sequentem Propositionem; ut & Definitionem 3. hujus, ne cogitatio in picturas incidat. Non enim per ideas imagines, quales in fundo oculi, &, si placet, in medio cerebro formantur; sed Cogitationis conceptus intelligo.

PROPOSITIO XLIX.

In Mente nulla datur volitio, sive affirmatio, & negatio præter illam, quam idea, quatenus idea est, involvit.

DEMONSTRATIO.

In Mente (*per Prop. præced.*) nulla datur absoluta facultas volendi, & nolendi; sed tantùm singulares volitiones, nempe hæc, & illa affirmatio, & hæc, & illa negatio. Concipiamus itaque singularem aliquam volitionem, nempe modum cogitandi, quo Mens affirmat, tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis. Hæc affirmatio conceptum, sive ideam trianguli involvit, hoc est, sine ideâ trianguli non potest concipi. Idem enim est, si dicam, quòd A conceptum B debeat involvere, ac quòd A sine B non possit concipi. Deinde hæc affirmatio (*per Axiom. 3. hujus*) non potest etiam sine ideâ trianguli esse. Hæc ergo affirmatio sine ideâ trianguli nec esse, nec concipi potest. Porrò hæc trianguli idea, hanc eandem affirmationem involvere debet, nempe, quòd tres ejus anguli æquentur duobus rectis. Quare & vice versâ hæc trianguli idea, sine hâc affirmatione nec esse, nec concipi potest, adeoque (*per Defin. 2. hujus*) hæc affirmatio ad essentiam ideæ trianguli pertinet, nec aliud præter ipsam est. Et quod de hâc volitione diximus, (quandoquidem eam ad libitum sumpsimus) dicendum etiam est de quâcunque volitione, nempe, quòd præter ideam nihil sit. *Q. E. D.*

COROL-

COROLLARIUM.

Voluntas, & intellectus unum, & idem ſunt.

DEMONSTRATIO.

Voluntas, & intellectus nihil præter ipſas ſingulares volitiones, & ideas ſunt. (*per Prop.* 48. *hujus, & ejuſdem Schol.*) At ſingularis volitio, & idea (*per Prop. præced.*) unum, & idem ſunt, ergo voluntas, & intellectus unum, & idem ſunt. *Q.E.D.*

SCHOLIUM.

His cauſam, quæ communiter erroris eſſe ſtatuitur, ſuſtulimus. Suprà autem oſtendimus, falſitatem in ſolâ privatione, quam ideæ mutilatæ, & confuſæ involvunt, conſiſtere. Quare idea falſa, quatenus falſa eſt, certitudinem non involvit. Cùm itaque dicimus, hominem in falſis acquieſcere, nec de iis dubitare, non ideò ipſum certum eſſe; ſed tantùm non dubitare dicimus, vel quòd in falſis acquieſcit, quia nullæ cauſæ dantur, quæ efficiant, ut ipſius imaginatio fluctuatur. Quâ de re vide Scholium Propoſitionis 44. hujus Partis. Quantumvis igitur homo falſis adhærere ſupponatur, nunquam tamen ipſum certum eſſe dicemus. Nam per certitudinem quid poſitivum intelligimus; (*vide Prop.* 43. *hujus cum ejusdem Schol.*) non verò dubitationis privationem. At per certitudinis privationem falſitatem intelligimus. Sed ad uberiorem explicationem præcedentis Propoſitionis quædam monenda ſuperſunt. Supereſt deinde, ut ad objectiones, quæ in noſtram hanc doctrinam objici poſſunt, reſpondeam; & denique, ut omnem amoveam ſcrupulum, operæ pretium eſſe duxi, hujus doctrinæ quasdam utilitates indicare. Quasdam, inquam; Nam præcipuæ ex iis, quæ in quintâ parte dicemus, meliùs intelligentur.

Incipio igitur à primo, Lectoresque moneo, ut accuratè diſtinguant inter ideam, ſive Mentis conceptum, & inter imagines rerum, quas imaginamur. Deinde neceſſe eſt, ut diſtinguant inter ideas, & verba, quibus res ſignificamus. Nam quia hæc tria, imagines ſcilicet, verba, & ideæ à multis vel planè confunduntur,

vel

vel non ſatis accuratè, vel denique non ſatis cautè diſtinguuntur, ideò hanc de voluntate doctrinam, ſcitu prorſùs neceſſariam, tam ad ſpeculationem, quàm ad vitam ſapienter inſtituendam, planè ignorârunt. Quippe, qui putant ideas conſiſtere in imaginibus, quæ in nobis ex corporum occurſu formantur, ſibi perſuadent, ideas illas rerum, quarum ſimilem nullam imaginem formare poſſumus, non eſſe ideas; ſed tantùm figmenta, quæ ex libero voluntatis arbitrio fingimus; ideas igitur, veluti picturas in tabulâ mutas, aſpiciunt, &, hoc præjudicio præoccupati, non vident, ideam, quatenus idea eſt, affirmationem, aut negationem involvere. Deinde, qui verba confundunt cum ideâ, vel cum ipſâ affirmatione, quam idea involvit, putant ſe poſſe contra id, quod ſentiunt, velle; quando aliquid ſolis verbis contra id, quod ſentiunt, affirmant, aut negant. Hæc autem præjudicia exuere facilè is poterit, qui ad naturam cogitationis attendit, quæ extenſionis conceptum minimè involvit; atque adeò clarè intelliget, ideam (quandoquidem modus cogitandi eſt) neque in rei alicujus imagine, neque in verbis conſiſtere. Verborum namque, & imaginum eſſentia à ſolis motibus corporeis conſtituitur, qui cogitationis conceptum minimè involvunt.

Atque hæc pauca de his monuiſſe ſufficiat, quare ad prædictas objectiones tranſeo. Harum prima eſt, quòd conſtare putant, voluntatem latiùs ſe extendere, quàm intellectum; atque adeò ab eodem diverſam eſſe. Ratio autem, cur putant, voluntatem latiùs ſe extendere, quàm intellectum, eſt, quia ſe experiri ajunt, ſe non majore aſſentiendi, ſive affirmandi, & negandi facultate indigere ad infinitis aliis rebus, quas non percipimus, aſſentiendum, quàm jam habemus; at quidem majori facultate intelligendi. Diſtinguitur ergo voluntas ab intellectu, quòd finitus hic ſit; illa autem infinita. Secundò nobis objici poteſt, quòd experientia nihil clariùs videatur docere, quàm quòd noſtrum judicium poſſumus ſuſpendere, ne rebus, quas percipimus, aſſentiamur; quod hinc etiam confirmatur, quòd nemo dicitur decipi, quatenus aliquid percipit; ſed tantùm, quatenus aſſentitur, aut diſſentitur. Ex. gr. qui equum alatum fingit, non ideò concedit dari equum

ala-

alatum, hoc eſt, non ideò decipitur, niſi ſimul concedat, dari equum alatum; nihil igitur clariùs videtur docere experientia, quàm quòd voluntas, ſive facultas aſſentiendi libera ſit, & à facultate intelligendi diverſa. Tertiò objici poteſt, quòd una affirmatio non plus realitatis videtur continere, quàm alia, hoc eſt, non majore potentiâ indigere videmur ad affirmandum, verum eſſe id, quod verum eſt, quàm ad aliquid, quod falſum eſt, verum eſſe affirmandum; at unam ideam plus realitatis, ſive perfectionis, quàm aliam habere percipimus; quantùm enim objecta alia aliis præſtantiora, tantùm etiam eorum ideæ aliæ aliis perfectiores ſunt; ex quibus etiam conſtare videtur differentia inter voluntatem, & intellectum. Quartò objici poteſt, ſi homo non operatur ex libertate voluntatis, quid ergo fiet, ſi in æquilibrio ſit, ut Buridani aſina? Faméne, & ſiti peribit? quod ſi concedam, viderer aſinam, vel hominis ſtatuam, non hominem concipere; ſi autem negem, ergo ſeipſum determinabit, & conſequenter eundi facultatem, & faciendi quicquid velit, habet. Præter hæc alia forſan poſſunt objici; ſed quia inculcare non teneor, quid unusquiſque ſomniare poteſt, ad has objectiones tantùm reſpondere curabo, idque quàm potero breviter. Et quidem ad primam dico, me concedere, voluntatem latiùs ſe extendere, quàm intellectum, ſi per intellectum claras tantummodò, & diſtinctas ideas intelligant; ſed nego voluntatem latiùs ſe extendere, quàm perceptiones, ſive concipiendi facultatem; nec ſanè video, cur facultas volendi potiùs dicenda eſt infinita, quàm ſentiendi facultas; ſicut enim infinita (unum tamen poſt aliud; Nam infinita ſimul affirmare non poſſumus) eâdem volendi facultate poſſumus affirmare, ſic etiam infinita corpora (unum nempe poſt aliud) eâdem ſentiendi facultate poſſumus ſentire, ſive percipere. Quòd ſi dicant, infinita dari, quæ percipere non poſſumus? regero, nos ea ipſa nullâ cogitatione, & conſequenter nullâ volendi facultate poſſe aſſequi. At dicunt, ſi Deus vellet efficere, ut ea etiam perciperemus, majorem quidem facultatem percipiendi deberet nobis dare; ſed non majorem, quam dedit, volendi facultatem; quod idem eſt, ac ſi dicerent, quòd ſi Deus velit efficere, ut infi-

nita alia entia intelligeremus, neceſſe quidem eſſet, ut nobis daret majorem intellectum; ſed non univerſaliorem entis ideam, quàm dedit, ad eadem infinita entia amplectendum. Oſtendimus enim voluntatem ens eſſe univerſale, ſive ideam, quâ omnes ſingulares volitiones, hoc eſt, id, quod iis omnibus commune eſt, explicamus. Cùm itaque hanc omnium volitionum communem, ſive univerſalem ideam facultatem eſſe credant, minimè mirum, ſi hanc facultatem ultra limites intellectûs in infinitum ſe extendere dicant. Univerſale enim æquè de uno, ac de pluribus, ac de infinitis individuis dicitur. Ad ſecundam objectionem reſpondeo negando, nos liberam habere poteſtatem judicium ſuſpendendi. Nam cùm dicimus, aliquem judicium ſuſpendere, nihil aliud dicimus, quàm quòd videt, ſe rem non adæquatè percipere. Eſt igitur judicii ſuſpenſio reverâ perceptio, & non libera voluntas. Quod ut clarè intelligatur, concipiamus puerum, equum imaginantem, nec aliud quicquam percipientem. Quandoquidem hæc imaginatio equi exiſtentiam involvit, (*per Coroll. Prop.* 17. *hujus*) nec puer quicquam percipit, quod equi exiſtentiam tollat, ille neceſſariò equum, ut præſentem, contemplabitur: nec de ejus exiſtentiâ poterit dubitare, quamvis de eâdem non ſit certus. Atque hoc quotidie in ſomnis experimur, nec credo aliquem eſſe, qui putet, ſe, dum ſomniat, liberam habere poteſtatem ſuſpendendi de iis, quæ ſomniat, judicium, efficiendique, ut ea, quæ ſe videre ſomniat, non ſomniet; & nihilominùs contingit, ut etiam in ſomnis judicium ſuſpendamus, nempe cùm ſomniamus, nos ſomniare. Porrò concedo neminem decipi, quatenus percipit, hoc eſt, Mentis imaginationes, in ſe conſideratas, nihil erroris involvere concedo; (*vide Schol. Prop.* 17. *hujus*) ſed nego, hominem nihil affirmare, quatenus percipit. Nam quid aliud eſt equum alatum percipere, quam alas de equo affirmare? Si enim Mens præter equum alatum nihil aliud perciperet, eundem ſibi præſentem contemplaretur, nec cauſam haberet ullam dubitandi de ejuſdem exiſtentiâ, nec ullam diſſentiendi facultatem, niſi imaginatio equi alati juncta ſit ideæ, quæ exiſtentiam ejuſdem equi tollit, vel quòd percipit, ideam equi alati, quam habet, eſſe inadæquatam, atque

tum

tum vel ejuſdem equi exiſtentiam neceſſariò negabit, vel de câdem neceſſariò dubitabit. Atque his puto me ad tertiam etiam objectionem reſpondiſſe, nempe, quòd voluntas univerſale quid ſit, quod de omnibus ideis prædicatur; quodque id tantùm ſignificat, quod omnibus ideis commune eſt, nempe affirmationem, cujus propterea adæquata eſſentia, quatenus ſic abſtractè concipitur, debet eſſe in unaquâque ideâ, & hâc ratione tantùm in omnibus eadem; ſed non quatenus conſideratur eſſentiam ideæ conſtituere; nam eatenus ſingulares affirmationes æquè inter ſe differunt, ac ipſæ ideæ. Ex gr. affirmatio, quam idea circuli ab illâ, quam idea trianguli involvit, æquè differt, ac idea circuli ab ideâ trianguli. Deinde abſolutè nego, nos æquali cogitandi potentiâ indigere ad affirmandum, verum eſſe id, quod verum eſt, quàm ad affirmandum, verum eſſe id, quod falſum eſt. Nam hæ duæ affirmationes, ſi mentem ſpectes, ſe habent ad invicem, ut ens ad non-ens; nihil enim in ideis poſitivum eſt, quod falſitatis formam conſtituit. (*vide Prop.* 35. *hujus cum ejus Schol. & Schol. Prop.* 47. *hujus.*) Quare hîc apprimè venit notandum, quàm facilè decipimur, quando univerſalia cum ſingularibus, & entia rationis, & abſtracta cum realibus confundimus. Quod denique ad quartam objectionem attinet, dico, me omninò concedere, quòd homo in tali æquilibrio poſitus, (nempe qui nihil aliud percipit, quàm ſitim, & famem, talem cibum, & talem potum, qui æquè ab eo diſtant) fame, & ſiti peribit. Si me rogant, an talis homo non potiùs aſinus, quàm homo ſit æſtimandus? Dico me neſcire, ut etiam neſcio, quanti æſtimandus ſit ille, qui ſe penſilem facit, & quanti æſtimandi ſint pueri, ſtulti, veſani, &c.

Supereſt tandem indicare, quantùm hujus doctrinæ cognitio ad uſum vitæ conferat, quod facilè ex his animadvertemus. Nempe I°. Quatenus docet nos ex ſolo Dei nutu agere, divinæque naturæ eſſe participes, & eò magis, quò perfectiores actiones agimus, & quò magis magiſque Deum intelligimus. Hæc ergo doctrina, præterquam quòd animum omnimodè quietum reddit, hoc etiam habet, quòd nos docet, in quo noſtra ſumma felicitas, ſive beatitudo conſiſtit, nempe in ſolâ Dei cognitione, ex quâ ad ea tantùm

agenda inducimur, quæ amor, & pietas ſuadent. Unde clarè intelligimus, quantùm illi à verâ virtutis æſtimatione aberrant, qui pro virtute, & optimis actionibus, tanquam pro ſummâ ſervitute, ſummis præmiis à Deo decorari exſpectant, quaſi ipſa virtus, Deoque ſervitus non eſſet ipſa felicitas, & ſumma libertas. IIº. Quatenus docet, quomodò circa res fortunæ, ſive quæ in noſtrâ poteſtate non ſunt, hoc eſt, circa res, quæ ex noſtrâ naturâ non ſequuntur, nos gerere debeamus; nempe utramque fortunæ faciem æquo animo exſpectare, & ferre: nimirùm, quia omnia ab æterno Dei decreto eâdem neceſſitate ſequuntur, ac ex eſſentiâ trianguli ſequitur, quòd tres ejus anguli ſunt æquales duobus rectis. IIIº. Confert hæc doctrina ad vitam ſocialem, quatenus docet, neminem odio habere, contemnere, irridere, nemini iraſci, invidere. Præterea quatenus docet, ut unuſquiſque ſuis ſit contentus, & proximo auxilio; non ex muliebri miſericordiâ, partialitate, neque ſuperſtitione; ſed ex ſolo rationis ductu, prout ſcilicet tempus, & res poſtulat, ut in Tertiâ parte oſtendam. IVº. Denique confert etiam hæc doctrina non parùm ad communem ſocietatem: quatenus docet, quâ ratione cives gubernandi ſint, & ducendi, nempe non ut ſerviant; ſed ut liberè ea, quæ optima ſunt, agant. Atque his, quæ in hoc Schol. agere, conſtitueram abſolvi, & eo finem huic noſtræ Secundæ Parti impono; in quâ puto me naturam Mentis humanæ, ejuſque proprietates ſatis prolixè, & quantùm rei difficultas fert, clarè explicuiſſe, atque talia tradidiſſe, ex quibus multa preclara, maximè utilia, & cognitu neceſſaria concludi poſſunt, ut partim ex ſequentibus conſtabit.

Finis Secundæ Partis.

ETHI-

ETHICES

Pars Tertia,

DE

Origine, & Naturâ

AFFECTUUM.

PLerique, qui de Affectibus, & hominum viven-di ratione ſcripſerunt, videntur, non de rebus naturalibus, quæ communes naturæ leges ſequuntur; ſed de rebus, quæ extra naturam ſunt, agere. Imò hominem in naturâ, veluti imperium in imperio, concipere videntur. Nam hominem naturæ ordinem magis perturbare, quàm ſequi, ipſumque in ſuas actiones abſolutam habere potentiam, nec aliunde, quàm à ſe ipſo determinari, credunt. Humanæ deinde impotentiæ, & inconſtantiæ cauſam non communi naturæ potentiæ; ſed, neſcio cui naturæ humanæ vitio, tribuunt, quam propterea flent, rident, contemnunt, vel, quod plerumque fit, deteſtantur; &, qui humanæ Mentis impotentiam eloquentiùs, vel argutiùs carpere novit, veluti Divinus habetur. Non defuerunt tamen viri præſtantiſſimi, (quorum labori, & induſtriæ nos multùm debere fatemur) qui de rectâ vivendi ratione præclara multa ſcripſerint, & plena prudentiæ conſilia mortalibus dederint; verùm Affectuum naturam, & vires, & quid contrà Mens in iiſdem moderandis poſſit, nemo, quòd ſciam, determinavit. Scio equidem celeberrimum Carteſium, licet etiam credi-

derit, Mentem in ſuas actiones abſolutam habere potentiam; Affectus tamen humanos per primas ſuas cauſas explicare, ſimulque viam oſtendere ſtuduiſſe, quâ Mens in Affectus abſolutum habere poſſit imperium; ſed, meâ quidem ſententiâ, nihil præter magni ſui ingenii acumen oſtendit, ut ſuo loco demonſtrabo. Nam ad illos revertere volo, qui hominum Affectus, & actiones deteſtari, vel ridere malunt, quàm intelligere. His ſine dubio mirum videbitur, quòd hominum vitia, & ineptias more Geometrico tractare aggrediar, & certâ ratione demonſtrare velim ea, quæ rationi repugnare, quæque vana, abſurda, & horrenda eſſe clamitant. Sed mea hæc eſt ratio. Nihil in naturâ fit, quod ipſius vitio poſſit tribui; eſt namque natura ſemper eadem, & ubique una, eademque ejus virtus, & agendi potentia, hoc eſt, naturæ leges, & regulæ, ſecundùm quas omnia fiunt, & ex unis formis in alias mutantur, ſunt ubique, & ſemper eædem, atque adeò una, eademque etiam debet eſſe ratio rerum qualiumcunque naturam intelligendi, nempe per leges, & regulas naturæ univerſales. Affectus itaque odii, iræ, invidiæ &c. in ſe conſiderati ex eâdem naturæ neceſſitate, & virtute conſequuntur, ac reliqua ſingularia; ac proinde certas cauſas agnoſcunt, per quas intelliguntur, certasque proprietates habent, cognitione noſtrâ æquè dignas, ac proprietates cujuscunque alterius rei, cujus ſolâ contemplatione delectamur. De Affectuum itaque naturâ, & viribus, ac Mentis in eoſdem potentiâ eâdem Methodo agam, quâ in præcedentibus de Deo, & Mente egi, & humanas actiones, atque appetitus conſiderabo perinde, ac ſi Quæſtio de lineis, planis, aut de corporibus eſſet.

DEFINITIONES.

I. Cauſam adæquatam appello eam, cujus effectus poteſt clarè, & diſtinctè per eandem percipi. Inadæquatam autem, ſeu partialem illam voco, cujus effectus per ipſam ſolam intelligi nequit.

II. Nos tum agere dico, cùm aliquid in nobis, aut extra nos fit, cujus adæquata ſumus cauſa, hoc eſt *(per Defin. præced.)* cùm ex noſtrâ naturâ aliquid in nobis, aut extra nos ſequitur, quod per eandem ſolam poteſt clarè, & diſtinctè intelligi. At contrà nos pati dico, cùm in nobis aliquid fit, vel ex noſtrâ naturâ aliquid ſequitur, cujus nos non, niſi partialis, ſumus cauſa.

III. Per Affectum intelligo Corporis affectiones, quibus ipſius Corporis agendi potentia augetur, vel minuitur, juvatur, vel coërcetur, & ſimul harum affectionum ideas.

Si itaque alicujus harum affectionum adæquata poſſimus eſſe cauſa, tum per Affectum actionem intelligo; aliàs paſſionem.

POSTULATA.

I. Corpus humanum poteſt multis affici modis, quibus ipſius agendi potentia augetur, vel minuitur, & etiam aliis, qui ejusdem agendi potentiam nec majorem, nec minorem reddunt.

Hoc Poſtulatum, ſeu Axioma nititur Poſtulato 1. *& Lemmat.* 5. *&* 7. *quæ vide poſt Prop.* 13. *p.* 2.

II. Corpus humanum multas pati poteſt mutationes, & nihilominùs retinere objectorum impreſſiones, ſeu veſtigia,

ſtigia, *(de quibus vide Poſt.* 5. *p.* 2.) & conſequenter eas-dem rerum imagines; *quarum Defin. vide Schol. Prop.* 17 *p.* 2.

PROPOSITIO I.

Mens noſtra quædam agit, quædam verò patitur, nempe quatenus adæquatas habet ideas, eatenus quædam neceſſariò agit, & quatenus ideas habet inadæquatas, eatenus neceſſario quædam patitur.

DEMONSTRATIO.

Cujuscunque humanæ Mentis ideæ aliæ adæquatæ ſunt, aliæ autem mutilatæ, & confuſæ. *(per Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) Ideæ autem, quæ in alicujus Mente ſunt adæquatæ, ſunt in Deo adæquatæ, quatenus ejuſdem Mentis eſſentiam conſtituit, (*per Coroll. Prop.* 11. *p.* 2.) & quæ deinde inadæquatæ ſunt in Mente, ſunt etiam in Deo (*per idem Coroll.*) adæquatæ, non quatenus ejuſdem ſolummodò Mentis eſſentiam; ſed etiam quatenus aliarum rerum Mentes in ſe ſimul continet. Deinde ex datâ quâcunque ideâ aliquis effectus ſequi neceſſariò debet, *(per Prop.* 36. *p.* 1.) cujus effectûs Deus cauſa eſt adæquata, (*vid Defin.* 1. *hujus*) non quatenus infinitus eſt; ſed quatenus datâ illâ ideâ affectûs conſideratur. (*vid. Prop.* 9. *p.* 2.) At ejus effectûs, cujus Deus eſt cauſa, quatenus affectus eſt ideâ, quæ in alicujus Mente eſt adæquata, illa eadem Mens eſt cauſa adæquata. (*per Coroll. Prop.* 11. *p.* 2.) Ergo Mens noſtra (*per Defin.* 2. *hujus*) quatenus ideas habet adæquatas, quædam neceſſariò agit, quod erat primum. Deinde quicquid neceſſariò ſequitur ex ideâ, quæ in Deo eſt adæquata, non quatenus Mentem unius hominis tantùm; ſed quatenus aliarum rerum Mentes ſimul cum ejuſdem hominis Mente in ſe habet, ejus (*per idem Coroll. Prop.* 11. *p.* 2.) illius hominis Mens non eſt cauſa adæquata; ſed partialis, ac proinde (*per Defin.* 2. *hujus*) Mens quatenus ideas inadæquatas habet, quædam neceſſariò patitur. Quod erat ſecundum. Ergo Mens noſtra, &c. *Q. E. D.*

Co-

COROLLARIUM.

Hinc sequitur Mentem eò pluribus passionibus esse obnoxiam, quò plures ideas inadæquatas habet, & contrà eò plura agere, quò plures habet adæquatas.

PROPOSITIO II.

Nec Corpus Mentem ad cogitandum, nec Mens Corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid (si quid est) aliud determinare potest.

DEMONSTRATIO.

Omnes cogitandi modi Deum, quatenus res est cogitans, & non quatenus alio attributo explicatur, pro causâ habent; (*per Prop.* 6. *p.* 2.) id ergo, quod Mentem ad cogitandum determinat, modus cogitandi est, & non Extensionis, hoc est, (*per Defin.* 1. *p.* 2.) non est Corpus: Quod erat primum. Corporis deinde motus, & quies ab alio oriri debet corpore, quod etiam ad motum, vel quietem determinatum fuit ab alio, & absolutè, quicquid in corpore oritur, id à Deo oriri debuit, quatenus aliquo Extensionis modo, & non quatenus aliquo cogitandi modo affectus consideratur, (*per eand. Prop:* 6. *p.* 2.) hoc est, à Mente, quæ (*per Prop.* 11. *p.* 2.) modus cogitandi est, oriri non potest: Quod erat secundum. Ergo nec Corpus Mentem &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc clariùs intelliguntur ex iis, quæ in Scholio Propositionis 7. Partis 2. dicta sunt, quòd scilicet Mens, & Corpus una, eademque res sit, quæ jam sub Cogitationis, jam sub Extensionis attributo concipitur. Unde fit, ut ordo, sive rerum concatenatio una sit, sive natura sub hoc, sive sub illo attributo concipiatur, consequenter ut ordo actionum, & passionum Corporis nostri simul sit naturâ cum ordine actionum, & passionum Mentis: Quod etiam patet ex modo, quo Propositionem 12. Partis 2. demonstravimus. At, quamvis hæc ità se habeant, ut nulla dubitandi ratio superfit, vix tamen credo, nisi rem experientia comproba-

vero, homines induci posse ad hæc æquo animo perpendendum, adeò firmiter persuasi sunt, Corpus ex solo Mentis nutu jam moveri, jam quiescere, plurimaque agere, quæ à solâ Mentis voluntate, & excogitandi arte pendent. Etenim, quid Corpus possit, nemo huc usque determinavit, hoc est, neminem huc usque experientia docuit, quid Corpus ex solis legibus naturæ, quatenus corporea tantùm consideratur, possit agere, & quid non possit, nisi à Mente determinetur. Nam nemo hucusque Corporis fabricam tam accuratè novit, ut omnes ejus functiones potuerit explicare, ut jam taceam, quòd in Brutis plura observentur, quæ humanam sagacitatem longè superant, & quòd somnambuli in somnis plurima agant, quæ vigilando non auderent; quod satis ostendit, ipsum Corpus ex solis suæ naturæ legibus multa posse, quæ ipsius Mens admiratur. Deinde nemo scit, quâ ratione, quibusve mediis Mens moveat corpus, neque quot motûs gradus possit corpori tribuere, quantâque cum celeritate idem movere queat. Unde sequitur, cùm homines dicunt, hanc, vel illam actionem Corporis oriri à Mente, quæ imperium in Corpus habet, eos nescire, quid dicant, nec aliud agere, quàm speciosis verbis fateri, se veram illius actionis causam absque admiratione ignorare. At dicent, sive sciant, sive nesciant, quibus mediis Mens moveat Corpus, se tamen experiri, quòd, nisi Mens humana apta esset ad excogitandum, Corpus iners esset. Deinde se experiri, in solâ Mentis potestate esse, tam loqui, quàm tacere, & alia multa, quæ proinde à Mentis decreto pendêre credunt. Sed, quod ad primum attinet, ipsos rogo, num experientia non etiam doceat, quòd si contrà Corpus iners sit, Mens simul ad cogitandum sit inepta? Nam cùm Corpus somno quiescit, Mens simul cum ipso sopita manet, nec potestatem habet, veluti cùm vigilat, excogitandi. Deinde omnes expertos esse credo, Mentem non semper æquè aptam esse ad cogitandum de eodem subjecto; sed, prout Corpus aptius est, ut in eo hujus, vel illius objecti imago excitetur, ita Mentem aptiorem esse ad hoc, vel illud objectum contemplandum. At dicent ex solis legibus naturæ, quatenus corporea tantùm consideratur, fieri non posse, ut causæ ædificiorum, picturarum, rerumque hujusmodi,

modi, quæ ſolâ humanâ arte fiunt, poſſint deduci, nec Corpus humanum, niſi à Mente determinaretur, ducereturque pote eſſet ad templum aliquod ædificandum. Verùm ego jam oſtendi, ipſos neſcire, quid Corpus poſſit, quidve ex ſolâ ipſius naturæ contemplatione poſſit deduci, ipſosque plurima experiri ex ſolis naturæ legibus fieri, quæ nunquam credidiſſent poſſe fieri, niſi ex Mentis directione, ut ſunt ea, quæ ſomnambuli in ſomnis agunt, quæque ipſi, dum vigilant, admirantur. Addo hîc ipſam Corporis humani fabricam, quæ artificio longiſſimè ſuperat omnes, quæ humanâ arte fabricatæ ſunt, ut jam taceam, quòd ſuprà oſtenderim, ex naturâ, ſub quovis attributo conſideratâ, infinita ſequi. Quod porrò ad ſecundum attinet, ſanè longè feliciùs ſeſe res humanæ haberent, ſi æquè in hominis poteſtate eſſet tam tacere, quàm loqui. At experientia ſatis ſuperque docet, homines nihil minùs in poteſtate habere, quàm linguam, nec minùs poſſe, quàm appetitus moderari ſuos; unde factum, ut plerique credant, nos ea tantùm liberè agere, quæ leviter petimus, quia earum rerum appetitus facilè contrahi poteſt memoriâ alterius rei, cujus frequenter recordamur; ſed illa minimè, quæ magno cum affectu petimus, & qui alterius rei memoriâ ſedari nequit. Verumenimverò niſi experti eſſent, nos plura agere, quorum poſtea pœnitet, nosque ſæpe, quando ſc. contrariis affectibus conflictamur, meliora videre, & deteriora ſequi, nihil impediret, quò minùs crederent, nos omnia liberè agere. Sic infans, ſe lac liberè appetere credit, puer autem iratus vindictam velle, & timidus fugam. Ebrius deinde credit, ſe ex libero Mentis decreto ea loqui, quæ poſtea ſobrius vellet tacuiſſe: ſic delirans, garrula, puer & hujus farinæ plurimi ex libero Mentis decreto credunt loqui; cùm tamen loquendi impetum, quem habent, continere nequeant, ità ut ipſa experientia non minùs clarè, quàm ratio doceat, quòd homines eâ ſolâ de cauſâ liberos ſe eſſe credant, quia ſuarum actionum ſunt conſcii, & cauſarum, à quibus determinantur, ignari; & præterea quòd Mentis decreta nihil ſint præter ipſos appetitus, quæ propterea varia ſunt pro varia Corporis diſpoſitione. Nam unusquiſque ex ſuo affectu omnia moderatur, & qui præterea contra-

riis affectibus conflictantur, quid velint, nesciunt; qui autem nullo, facili momento huc, atque illuc pelluntur. Quæ omnia profectò clarè ostendunt, Mentis tam decretum, quàm appetitum, & Corporis determinationem simul esse naturâ, vel potiùs unam, eandemque rem, quam, quando sub Cogitationis attributo consideratur, & per ipsum explicatur, decretum appellamus, & quando sub Extensionis attributo consideratur, & ex legibus motûs, & quietis deducitur, determinationem vocamus; quod adhuc clariùs ex jam dicendis patebit. Nam aliud est, quod hic apprimè notari vellem, nempe, quòd nos nihil ex Mentis decreto agere possumus, nisi ejus recordemur. Ex. gr. non possumus verbum loqui, nisi ejusdem recordemur. Deinde in liberâ Mentis potestate non est rei alicujus recordari, vel ejusdem oblivisci. Quare hoc tantùm in Mentis potestate esse creditur, quòd rem, cujus recordamur, vel tacere, vel loqui ex solo Mentis decreto possumus. Verùm cùm nos loqui somniamus, credimus nos ex libero Mentis decreto loqui, nec tamen loquimur, vel, si loquimur, id ex Corporis spontaneo motu fit. Somniamus deinde, nos quædam homines celare, idque eodem Mentis decreto, quo, dum vigilamus, ea, quæ scimus, tacemus. Somniamus denique, nos ex Mentis decreto quædam agere, quæ, dum vigilamus, non audemus, atque adeò pervelim scire, an in Mente duo decretorum genera dentur, Phantasticorum unum, & Liberorum alterum? Quòd si eò usque insanire non libet, necessariò concedendum est, hoc Mentis decretum, quod liberum esse creditur, ab ipsâ imaginatione, sive memoriâ non distingui, nec aliud esse præter illam affirmationem, quam idea, quatenus idea est, necessariò involvit; (*vide Pr.* 49. *p.* 2.) Atque adeò hæc Mentis decreta eâdem necessitate in Mente oriuntur, ac ideæ rerum actu existentium. Qui igitur credunt, se ex libero Mentis decreto loqui, vel tacere, vel quicquam agere, oculis apertis somniant.

PROPOSITIO III.

Mentis actiones ex solis ideis adæquatis oriuntur; passiones autem à solis inadæquatis pendent.

DE-

DEMONSTRATIO.

Primum, quod Mentis eſſentiam conſtituit, nihil aliud eſt, quàm idea Corporis actu exiſtentis, (*per Prop.* 11. *&* 13. *p.* 2.) quæ (*per Prop.* 15. *p.* 2.) ex multis aliis componitur, quarum quædam (*per Coroll. Prop.* 38. *p.* 2.) ſunt adæquatæ, quædam autem inadæquatæ. (*per Coroll. Prop.* 29. *p.* 2.) Quicquid ergo ex Mentis naturâ ſequitur, & cujus Mens cauſa eſt proxima, per quam id debet intelligi, neceſſariò ex ideâ adæquatâ, vel inadæquatâ ſequi debet. At quatenus Mens (*per Prop.* 1. *hujus*) ideas habet inadæquatas, eatenus neceſſariò patitur; ergo Mentis actiones ex ſolis ideis adæquatis ſequuntur, & Mens propterea tantùm patitur, quia ideas habet inadæquatas. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Videmus itaque paſſiones ad Mentem non referri, niſi quatenus aliquid habet, quod negationem involvit, ſive quatenus conſideratur naturæ pars, quæ per ſe abſque aliis non poteſt clarè, & diſtinctè percipi; & hâc ratione oſtendere poſſem, paſſiones eodem modo ad res ſingulares, ac ad Mentem referri, nec aliâ ratione poſſe percipi; ſed meum inſtitutum eſt, de ſolâ Mente humanâ agere.

PROPOSITIO IV.

Nulla res, niſi à cauſâ externâ, poteſt deſtrui.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propoſitio per ſe patet; definitio enim cujuscunque rei ipſius rei eſſentiam affirmat, ſed non negat; ſive rei eſſentiam ponit, ſed non tollit. Dum itaque ad rem ipſam tantùm; non autem ad cauſas externas attendimus, nihil in eâdem poterimus invenire, quod ipſam poſſit deſtruere. *Q. E. D.*

PROPOSITIO V.

Res eatenus contrariæ ſunt naturæ, hoc eſt, eatenus in eodem ſubjecto eſſe nequeunt, quatenus una alteram poteſt deſtruere.

DEMONSTRATIO.

Si enim inter se convenire, vel in eodem subjecto simul esse possent, posset ergo in eodem subjecto aliquid dari, quod ipsum posset destruere, quod (*per Prop præced.*) est absurdum. Ergo res &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO VI.

Unaquæque res, quantùm in se est, in suo esse perseverare conatur.

DEMONSTRATIO.

Res enim singulares modi sunt, quibus Dei attributa certo, & determinato modo exprimuntur, (*per Coroll. Prop.* 25. *p.* 1.) hoc est (*per Prop.* 34. *p.* 1.) res, quæ Dei potentiam, quâ Deus est, & agit, certo, & determinato modo exprimunt; neque ulla res aliquid in se habet, à quo possit destrui, sive quod ejus existentiam tollat; (*per Prop.* 4. *hujus*) Sed contrà ei omni, quod ejusdem existentiam potest tollere, opponitur; (*per Prop. præced.*) adeóque quantùm potest, & in se est, in suo esse perseverare conatur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO VII.

Conatus, quo unaquæque res in suo esse perseverare conatur, nihil est præter ipsius rei actualem essentiam.

DEMONSTRATIO.

Ex datâ cujuscunque rei essentiâ quædam necessariò sequuntur, (*per Prop.* 36. *p.* 1.) nec res aliud possunt, quàm id, quod ex determinatâ earum naturâ necessariò sequitur; (*per Prop.* 29. *p.* 1.) quare cujuscunque rei potentia, sive conatus, quo ipsa vel sola, vel cum aliis quidquam agit, vel agere conatur, hoc est (*per Prop.* 6. *hujus*) potentia, sive conatus, quo in suo esse perseverare conatur, nihil est præter ipsius rei datam, sive actualem essentiam. *Q. E. D.*

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Conatus, quo unaquæque res in ſuo eſſe perſeverare conatur, nullum tempus finitum; ſed indefinitum involvit.

DEMONSTRATIO.

Si enim tempus limitatum involveret, quod rei durationem determinaret, tum ex ſolâ ipſâ potentiâ, quâ res exiſtit, ſequeretur, quòd res poſt limitatum illud tempus non poſſet exiſtere; ſed quòd deberet deſtrui; atqui hoc (*per Prop. 4. hujus*) eſt abſurdum: ergo conatus, quo res exiſtit, nullum tempus definitum involvit; ſed contrà, quoniam, (*per eandem Prop. 4. hujus*) ſi à nullâ externâ cauſâ deſtruatur, eàdem potentiâ, quâ jam exiſtit, exiſtere perget ſemper; ergo hic conatus tempus indefinitum involvit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO IX.

Mens tam quatenus claras, & diſtinctas, quàm quatenus confuſas habet ideas, conatur in ſuo eſſe perſeverare indefinitâ quâdam duratione, & hujus ſui conatus eſt conſcia.

DEMONSTRATIO.

Mentis eſſentia ex ideis adæquatis, & inadæquatis conſtituitur, (*ut in Prop. 3. hujus oſtendimus*) adeóque (*per Prop. 7. hujus*) tam quatenus has, quàm quatenus illas habet, in ſuo eſſe perſeverare conatur; idque (*per Prop. 8. hujus*) indefinitâ quâdam duratione. Cùm autem Mens (*per Prop. 23. p. 2.*) per ideas affectionum Corporis neceſſariò ſui ſit conſcia, eſt ergo (*per Prop. 7. hujus*) Mens ſui conatûs conſcia. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hic conatus, cùm ad Mentem ſolam refertur, Voluntas appellatur; ſed cùm ad Mentem, & Corpus ſimul refertur, vocatur Appetitus, qui proinde nihil aliud eſt, quàm ipſa hominis eſſentia, ex cujus naturâ ea, quæ ipſius conſervationi inſerviunt neceſſariò ſequuntur; atque adeò homo ad eadem agendum determinatus eſt.

est. Deinde inter appetitum, & cupiditatem nulla est differentia, nisi quòd cupiditas ad homines plerumque referatur, quatenus sui appetitus sunt conscii, & propterea sic definiri potest, nempe, *Cupiditas est appetitus cum ejusdem conscientiâ.* Constat itaque ex his omnibus, nihil nos conari, velle, appetere, neque cupere, quia id bonum esse judicamus; sed contrà nos propterea, aliquid bonum esse, judicare, quia id conamur, volumus, appetimus, atque cupimus.

PROPOSITIO X.

Idea, quæ Corporis nostri existentiam secludit, in nostra Mente dari nequit; sed eidem est contraria.

DEMONSTRATIO.

Quicquid Corpus nostrum potest destruere, in eodem dari nequit, (*per Prop. 5. hujus*) adeóque neque ejus rei idea potest in Deo dari, quatenus nostri Corporis ideam habet, (*per Coroll. Prop. 9. p. 2.*) hoc est, (*per Prop. 11. & 13. p. 2.*) ejus rei idea in nostrâ Mente dari nequit; sed contrà, quoniam (*per Prop. 11. & 13. p. 2.*) primum, quod Mentis essentiam constituit, est idea corporis actu existentis, primum, & præcipuum nostræ Mentis conatûs est, (*per Prop. 7. hujus*) Corporis nostri existentiam affirmare; atque adeò idea, quæ Corporis nostri existentiam negat, nostræ Menti est contraria &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XI.

Quicquid Corporis nostri agendi potentiam auget, vel minuit, juvat, vel coërcet, ejusdem rei idea Mentis nostræ cogitandi potentiam auget, vel minuit, juvat, vel coërcet.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propositio patet ex Propositione 7. Partis 2. vel etiam ex Propositione 14. Partis 2.

SCHOLIUM.

Videmus itaque Mentem magnas posse pati mutationes, & jam ad majorem, jam autem ad minorem perfectionem transire, quæ qui-

quidem paſſiones nobis explicant affectus Lætitiæ & Triſtitiæ. Per *Lætitiam* itaque in ſequentibus intelligam *paſſionem, quâ Mens ad majorem perfectionem tranſit*. Per *Triſtitiam* autem *paſſionem, quâ ipſa ad minorem tranſit perfectionem*. Porrò *affectum Lætitiæ, ad Mentem, & Corpus ſimul relatum, Titillationem*, vel *Hilaritatem* voco; *Triſtitiæ* autem *Dolorem*, vel *Melancholiam*. Sed notandum, Titillationem, & Dolorem ad hominem referri, quando una ejus pars præ reliquis eſt affecta; Hilaritatem autem, & Melancholiam, quando omnes pariter ſunt affectæ. Quid deinde Cupiditas ſit, in Scholio Propoſitionis 9. hujus Partis explicui, & præter hos tres nullum alium agnoſco affectum primarium; reliquos ex his tribus oriri in ſeqq. oſtendam. Sed antequam ulteriùs pergam, lubet hîc fuſiùs Propoſitionem 10. hujus Partis explicare, ut clariùs intelligatur, quâ ratione idea ideæ ſit contraria.

In Scholio Propoſitionis 17. Partis 2. oſtendimus, ideam, quæ Mentis eſſentiam conſtituit, Corporis exiſtentiam tamdiu involvere, quamdiu ipſum Corpus exiſtit. Deinde ex iis, quæ in Coroll. Prop. 8. Part. 2. & in ejusdem Schol. oſtendimus, ſequitur, præſentem noſtræ Mentis exiſtentiam ab hoc ſolo pendêre, quod ſc. Mens actualem Corporis exiſtentiam involvit. Denique Mentis potentiam, quâ ipſa res imaginatur, earumque recordatur, ab hoc etiam pendêre oſtendimus, (*vid. Prop.* 17. *&* 18 *p.* 2. *cum ejus Scholio*) quòd ipſa actualem Corporis exiſtentiam involvit. Ex quibus ſequitur, Mentis præſentem exiſtentiam, ejusque imaginandi potentiam tolli, ſimulatque Mens præſentem Corporis exiſtentiam affirmare deſinit. At cauſa, cur Mens hanc Corporis exiſtentiam affirmare deſinit, non poteſt eſſe ipſa Mens, (*per Prop.* 4. *hujus*) nec etiam, quod Corpus eſſe deſinit. Nam (*per Prop.* 6. *p.* 2.) cauſa, cur Mens Corporis exiſtentiam affirmat, non eſt, quia Corpus exiſtere incepit: quare, per eandem rationem, nec ipſius Corporis exiſtentiam affirmare deſinit, quia Corpus eſſe deſinit; ſed (*per Prop.* 8. *p.* 2.) hoc ab aliâ ideâ oritur, quæ noſtri Corporis, & conſequenter noſtræ Mentis, præſentem exiſtentiam ſecludit, quæque adeò ideæ, quæ noſtræ Mentis eſſentiam conſtituit, eſt contraria.

PROPOSITIO XII.

Mens, quantùm poteſt, ea imaginari conatur, quæ Corporis agendi potentiam augent, vel juvant.

DEMONSTRATIO.

Quamdiu humanum Corpus affectum eſt modo, qui naturam corporis alicujus externi involvit, tamdiu Mens humana idem corpus, ut præſens, contemplabitur, (*per Prop.* 17. *p.* 2.) & conſequenter (*per Prop.* 7. *p.* 2.) quamdiu Mens humana aliquod externum corpus, ut præſens, contemplatur, hoc eſt, (*per ejuſdem Prop. Schol.*) imaginatur, tamdiu humanum Corpus affectum eſt modo, qui naturam ejuſdem corporis externi involvit; atque adeò, quamdiu Mens ea imaginatur, quæ corporis noſtri agendi potentiam augent, vel juvant, tamdiu Corpus affectum eſt modis, qui ejuſdem agendi potentiam augent, vel juvant; (*vid. Poſt.* 1. *hujus*) & conſequenter (*per Prop.* 11. *hujus*) tamdiu Mentis cogitandi potentia augetur, vel juvatur; ac proinde (*per Prop.* 6. *vel* 9. *hujus*) Mens, quantùm poteſt, eadem imaginari conatur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XIII.

Cùm Mens ea imaginatur, quæ Corporis agendi potentiam minuunt, vel coërcent, conatur, quantùm poteſt, rerum recordari, quæ horum exiſtentiam ſecludunt.

DEMONSTRATIO.

Quamdiu Mens quicquam tale imaginatur, tamdiu Mentis, & Corporis potentia minuitur, vel coërcetur, (*ut in præced. Prop. demonſtravimus*) & nihilominus id tamdiu imaginabitur, donec Mens aliud imaginetur, quod hujus præſentem exiſtentiam ſecludat, (*per Prop.* 17. *p.* 2.) hoc eſt, (ut modò oſtendimus) Mentis, & Corporis potentia tamdiu minuitur, vel coërcetur, donec Mens aliud imaginetur, quod hujus exiſtentiam ſecludit, quodque adeò Mens, (*per Prop.* 9. *hujus*) quantùm poteſt, imaginari, vel recordari conabitur. *Q. E. D.*

Co-

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, quòd Mens ea imaginari averſatur, quæ ipſius, & Corporis potentiam minuunt, vel coërcent.

SCHOLIUM.

Ex his clarè intelligimus, quid Amor, quidque Odium ſit. Nempe *Amor* nihil aliud *eſt*, quàm *Lætitia, concomitante ideâ cauſæ externæ*; *& Odium* nihil aliud, quàm *Triſtitia, concomitante ideâ cauſæ externæ*. Videmus deinde, quòd ille, qui amat, neceſſariò conatur rem, quam amat, præſentem habere, & conſervare; & contrà, qui odit, rem, quam odio habet, amovere, & deſtruere conatur. Sed de his omnibus in ſeqq. prolixiùs.

PROPOSITIO XIV.

Si Mens duobus affectibus ſimul affecta ſemel fuit, ubi poſtea eorum alterutro afficietur, afficietur etiam altero.

DEMONSTRATIO.

Si Corpus humanum à duobus corporibus ſimul affectum ſemel fuit, ubi Mens poſtea eorum alterutrum imaginatur, ſtatim & alterius recordabitur. (*per Prop.* 18. *p.* 2.) At Mentis imaginationes magis noſtri Corporis affectus, quàm corporum externorum naturam indicant: (*per Coroll.* 2. *Prop.* 16. *p.* 2.) ergo ſi Corpus, & conſequenter Mens (*vid. Defin.* 3. *hujus*) duobus affectibus ſemel affecta fuit, ubi poſtea eorum alterutro afficietur, afficietur etiam altero. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XV.

Res quæcunque poteſt eſſe per accidens cauſa Lætitiæ, Triſtitiæ, vel Cupiditatis.

DEMONSTRATIO.

Ponatur Mens duobus affectibus ſimul affici, uno ſcilicet, qui ejus agendi potentiam neque auget, neque minuit, & altero, qui eandem vel auget, vel minuit. (*vid. Poſt.* 1. *hujus*) Ex præcedenti Propoſitione patet, quòd ubi Mens poſtea illo à ſuâ verâ cauſâ, quæ

(*per hypotheſin*) per ſe ejus cogitandi potentiam nec auget, nec minuit, afficietur, ſtatim & hoc altero, qui ipſius cogitandi potentiam auget, vel minuit, hoc eſt (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficietur; atque adeò, illa res non per ſe; ſed per accidens cauſa erit Lætitiæ, vel Triſtitiæ. Atque hâc eâdem viâ facilè oſtendi poteſt, rem illam poſſe per accidens cauſam eſſe Cupiditatis. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Ex eo ſolo, quòd rem aliquam affectu Lætitiæ, vel Triſtitiæ, cujus ipſa non eſt cauſa efficiens, contemplati ſumus, eandem amare, vel odio habere poſſumus.

DEMONSTRATIO.

Nam ex hoc ſolo fit, (*per Prop.* 14. *hujus*) ut Mens hanc rem poſtea imaginando, affectu Lætitiæ, vel Triſtitiæ afficiatur, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) ut Mentis, & Corporis potentia augeatur, vel minuatur, &c. Et conſequenter (*per Prop.* 12. *hujus*) ut Mens eandem imaginari cupiat, vel (*per Coroll. Prop.* 13. *hujus*) averſetur, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) ut eandem amet, vel odio habeat. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hinc intelligimus, quî fieri poteſt, ut quædam amemus, vel odio habeamus, abſque ullâ cauſâ nobis cognitâ; ſed tantùm ex Sympathiâ (ut ajunt) & Antipathiâ. Atque huc referenda etiam ea objecta, quæ nos Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficiunt ex eo ſolo, quòd aliquid ſimile habent objectis, quæ nos iiſdem affectibus afficere ſolent, ut in ſeq. Prop. oſtendam. Scio equidem Auctores, qui primi hæc nomina Sympathiæ, & Antipathiæ introduxerunt, ſignificare iiſdem voluiſſe rerum occultas quaſdam qualitates; ſed nihilominùs credo nobis licere, per eadem notas, vel manifeſtas etiam qualitates intelligere.

PROPOSITIO XVI.

Ex eo ſolo, quòd rem aliquam aliquid habere imaginamur ſimile objecto, quod Mentem Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficere ſolet;

quam-

quamvis id, in quo res objecto eſt ſimilis, non ſit horum affectuum efficiens cauſa; eam tamen amabimus, vel odio habebimus.

DEMONSTRATIO.

Id, quod ſimile eſt objecto, in ipſo objecto *(per hypotheſin)* cum affectu Lætitiæ, vel Triſtitiæ contemplati ſumus; atque adeò, (*per Prop.* 14. *hujus*) cùm Mens ejus imagine afficietur, ſtatim etiam hoc, vel illo afficietur affectu, & conſequenter res, quam hoc idem habere percipimus, erit (*per Prop.* 15. *hujus*) per accidens Lætitiæ, vel Triſtitiæ cauſa; adeoque, (*per præc. Coroll.*) quamvis id, in quo objecto eſt ſimilis, non ſit horum affectuum cauſa efficiens, eam tamen amabimus, vel odio habebimus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XVII.

Si res, quæ nos Triſtitiæ affectu afficere ſolet, aliquid habere imaginamur ſimile alteri, quæ nos æquè magno Lætitiæ affectu ſolet afficere, eandem odio habebimus, & ſimul amabimus.

DEMONSTRATIO.

Eſt enim (*per hypotheſin*) hæc res per ſe Triſtitiæ cauſa, & (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) quatenus eandem hoc affectu imaginamur, eandem odio habemus: & quatenus præterea aliquid habere imaginamur ſimile alteri, quæ nos æquè magno Lætitiæ affectu afficere ſolet, æquè magno Lætitiæ conamine amabimus; (*per Prop. præc.*) atque adeò eandem odio habebimus, & ſimul amabimus. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc *Mentis conſtitutio, quæ ſcilicet ex duobus contrariis affectibus oritur, animi* vocatur *fluctuatio*, quæ proinde affectum reſpicit, ut dubitatio imaginationem; (*vid. Schol. Prop.* 44. *p.* 2.) nec animi fluctuatio, & dubitatio inter ſe differunt, niſi ſecundùm majus & minus. Sed notandum, me in Propoſitione præcedenti has animi fluctuationes ex cauſis deduxiſſe, quæ per ſe unius, & per accidens alterius affectûs ſunt cauſa; quod ideò feci, quia ſic faciliùs ex præcedentibus deduci poterant; at non, quòd negem, animi fluctuatio-

ctuationes plerumque oriri ab objecto, quod utriuſque affectûs ſit efficiens cauſa. Nam Corpus humanum (*per Poſt.* 1. *p.* 2.) ex plurimis diverſæ naturæ individuis componitur, atque adeò (*per Ax.* 1. *poſt. Lem.* 3. *quod vide poſt. Prop.* 13. *p.* 2.) ab uno, eodemque corpore plurimis, diverſisque modis poteſt affici; & contrà, quia una, eademque res multis modis poteſt affici; multis ergo etiam, diverſisque modis unam, eandemque corporis partem afficere poterit. Ex quibus facilè concipere poſſumus, unum, idemque objectum poſſe eſſe cauſam multorum, contrariorumque affectuum.

PROPOSITIO XVIII.

Homo ex imagine rei præteritæ, aut futuræ eodem Lætitiæ, & Triſtitiæ affectu afficitur, ac ex imagine rei præſentis.

DEMONSTRATIO.

Quamdiu homo rei alicujus imagine affectus eſt, rem ut præſentem, tametſi non exiſtat, contemplabitur, (*per Prop.* 17. *p.* 2. *cum ejuſdem Coroll.*) nec ipſam ut præteritam, aut futuram imaginatur; niſi quatenus ejus imago juncta eſt imagini temporis præteriti, aut futuri; (*vid. Schol. Prop.* 44. *p.* 2.) Quare rei imago, in ſe ſolâ conſiderata, eadem eſt, ſive ad tempus futurum, vel præteritum, ſive ad præſens referatur, hoc eſt, (*per Coroll.* 2. *Prop.* 16. *p.* 2.) Corporis conſtitutio, ſeu affectus idem eſt, ſive imago ſit rei præteritæ, vel futuræ, ſive præſentis; atque adeò affectus Lætitiæ & Triſtitiæ idem eſt, ſive imago ſit rei præteritæ, aut futuræ, ſive præſentis. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Rem eatenus præteritam, aut futuram hîc voco, quatenus ab eâdem affecti fuimus, aut afficiemur. Ex. gr. quatenus ipſam vidimus, aut videbimus, nos refecit, aut reficiet, nos læſit, aut lædet, &c. Quatenus enim eandem ſic imaginamur, eatenus ejus exiſtentiam affirmamus, hoc eſt, Corpus nullo affectu afficitur, qui rei exiſtentiam ſecludat; atque adeò (*per Prop.* 17. *p.* 2.) Corpus ejuſdem rei imagine eodem modo afficitur, ac ſi res ipſa præſens adeſſet. Verùm enim verò, quia plerumque fit, ut ii, qui plura ſunt experti, fluctuent, quamdiu rem, ut futuram, vel ptæteritam con-

tem-

templantur, deque rei eventu ut plurimùm dubitent, (*vid. Schol. Prop.* 44. *p.* 2.) hinc fit, ut affectus, qui ex similibus rerum imaginibus oriuntur, non sint adeò constantes; sed ut plerumque aliarum rerum imaginibus perturbentur, donec homines de rei eventu certiores fiant.

SCHOLIUM II.

Ex modò dictis intelligimus, quid sit Spes, Metus, Securitas, Desperatio, Gaudium, & Conscientiæ morsus. *Spes* namque nihil aliud *est*, quàm *inconstans Lætitia, orta ex imagine rei futuræ, vel præteritæ, de cujus eventu dubitamus. Metus* contrà *inconstans Tristitia, ex rei dubiæ imagine etiam orta.* Porrò si horum affectuum dubitatio tollatur, ex Spe fit *Securitas*, & ex Metu *Desperatio*; nempe *Lætitia, vel Tristitia, orta ex imagine rei, quam metuimus, vel speravimus. Gaudium* deinde *est Lætitia, orta ex imagine rei præteritæ, de cujus eventu dubitamus. Conscientiæ* denique *morsus est tristitia, oppositæ gaudio.*

PROPOSITIO XIX.

Qui id, quod amat, destrui imaginatur, contristabitur; si autem conservari, lætabitur.

DEMONSTRATIO.

Mens, quantùm potest, ea imaginari conatur, quæ Corporis agendi potentiam augent, vel juvant, (*per Prop.* 12. *hujus*) hoc est, (*per Schol. ejusdem Prop.*) ea, quæ amat. At imaginatio ab iis juvatur, quæ rei existentiam ponunt, & contrà coërcetur iis, quæ rei existentiam secludunt; (*per Prop.* 17. *p.* 2.) ergo rerum imagines, quæ rei amatæ existentiam ponunt, Mentis conatum, quo rem amatam imaginari conatur, juvant, hoc est, (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) Lætitiâ Mentem afficiunt; & quæ contrà rei amatæ existentiam secludunt, eundem Mentis conatum coërcent, hoc est, (*per idem Schol.*) Tristitiâ Mentem afficiunt. Qui itaque id, quod amat, destrui imaginatur, contristabitur, &c. *Q. E. D.*

PRO-

PROPOSITIO XX.

Qui id, quod odio habet, deſtrui imaginatur, lætabitur.

DEMONSTRATIO.

Mens (*per* 13. *Prop. hujus*) ea imaginari conatur, quæ rerum exiſtentiam, quibus Corporis agendi potentia minuitur, vel coërcetur, ſecludunt, hoc eſt, (*per Schol. ejuſdem Prop.*) ea imaginari conatur, quæ rerum, quas odio habet, exiſtentiam ſecludunt; atque adeò rei imago, quæ exiſtentiam ejus, quod Mens odio habet, ſecludit, hunc Mentis conatum juvat, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) Mentem Lætitiâ afficit. Qui itaque id, quod odio habet, deſtrui imaginatur, lætabitur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXI.

Qui id, quod amat, Lætitiâ, vel Triſtitiâ affectum imaginatur, Lætitiâ etiam, vel Triſtitiâ afficietur; & uterque hic affectus major, aut minor erit in amante, prout uterque major, aut minor eſt in re amatâ.

DEMONSTRATIO.

Rerum imagines, (*ut in Prop.* 19. *hujus demonſtravimus*) quæ rei amatæ exiſtentiam ponunt, Mentis conatum, quo ipſam rem amatam imaginari conatur, juvant. Sed Lætitia exiſtentiam rei lætæ ponit, & eò magis, quò Lætitiæ affectus major eſt: eſt enim (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) tranſitio ad majorem perfectionem: ergo imago Lætitiæ rei amatæ in amante ipſius Mentis conatum juvat, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) amantem Lætitiâ afficit, & eò majori, quò major hic affectus in re amatâ fuerit. Quod erat primum. Deinde quatenus res aliqua Triſtitiâ afficitur, eatenus deſtruitur, & eò magis, quò majori afficitur Triſtitiâ; (*per idem Schol. Prop.* 11. *hujus*) adeóque (*per Prop.* 19. *hujus*) qui id, quod amat, Triſtitiâ affici imaginatur, Triſtitiâ etiam afficietur, & eò majori, quò major hic affectus in re amatâ fuerit. *Q. E. D.*

PRO-

PROPOSITIO XXII.

Si aliquem imaginamur Lætitiâ afficere rem, quam amamus, Amore erga eum afficiemur. Si contrà eundem imaginamur Triſtitiâ eandem afficere; econtra Odio etiam contra ipſum afficiemur.

DEMONSTRATIO.

Qui rem, quam amamus Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficit, ille nos Lætitiâ, vel Triſtitiâ etiam afficit, ſi nimirum rem amatam Lætitiâ illâ, vel Triſtitiâ affectam imaginamur. (*per præced. Prop.*) At hæc Lætitia, vel Triſtitia in nobis ſupponitur dari, concomitante idea cauſæ externæ; ergo, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) ſi aliquem imaginamur Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficere rem, quam amamus, erga eundem Amore, vel Odio afficiemur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Propoſitio 21. nobis explicat, quid ſit *Commiſeratio*, quam definire poſſumus, quòd *ſit Triſtitia orta ex alterius damno.* Quo autem nomine appellanda ſit Lætitia, quæ ex alterius bono oritur, neſcio. Porrò *Amorem erga illum, qui alteri bene fecit, Favorem*, & contrà *Odium erga illum, qui alteri malè fecit, Indignationem* appellabimus. Denique notandum, nos non tantùm miſereri rei, quam amavimus: (*ut in Prop.* 21. *oſtendimus*) Sed etiam ejus, quam antea nullo affectu proſecuti ſumus; modò eam nobis ſimilem judicemus, (ut infrà oſtendam;) Atque adeò ei etiam favere, qui ſimili bene fecit, & contrà in eum indignari, qui ſimili damnum intulit.

PROPOSITIO XXIII.

Qui id, quod odio habet, Triſtitiâ affectum imaginatur, lætabitur; ſi contrà idem Lætitiâ affectum eſſe imaginetur, contriſtabitur; & uterque hic affectus major, aut minor erit, prout ejus contrarius major, aut minor eſt in eo, quod odio habet.

DEMONSTRATIO.

Quatenus res odioſa Triſtitiâ afficitur, eatenus deſtruitur, & eò magis, quò majori Triſtitiâ afficitur. (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) Qui igitur (*per Prop.* 20. *hujus*) rem, quam odio habet, Triſtitiâ affici imaginatur, Lætitiâ contrà afficietur; & eò majori, quò majori Triſtitiâ rem odioſam affectam eſſe imaginatur; quod erat primum. Deinde Lætitia exiſtentiam rei lætæ ponit, (*per idem Schol. Prop.* 11. *hujus*) & eò magis, quò major Lætitia concipitur. Si quis eum, quem odio habet, Lætitiâ affectum imaginatur, hæc imaginatio (*per Prop.* 13. *hujus*) ejusdem conatum coërcebit, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) is, qui odio habet, Triſtitiâ afficietur. &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Lætitia vix ſolida, & abſque ullo animi conflictu eſſe poteſt. Nam (ut ſtatim in Propoſitione 27. hujus oſtendam) quatenus rem ſibi ſimilem Triſtitiæ affectu affici imaginatur, eatenus contriſtari debet; & contrà, ſi eandem Lætitiâ affici imaginetur. Sed hîc ad ſolum Odium attendimus.

PROPOSITIO XXIV.

Si aliquem imaginamur Lætitiâ afficere rem, quam odio habemus, Odio etiam erga eum afficiemur. Si contrà eundem imaginamur Triſtitiâ eandem rem afficere, Amore erga ipſum afficiemur.

DEMONSTRATIO.

Demonſtratur eodem modo hæc Propoſitio, ac Propoſitio 22. hujus, quam vide.

SCHOLIUM.

Hi, & ſimiles Odii affectus ad *Invidiam* referuntur, quæ propterea nihil aliud eſt, quàm ipſum *Odium*, *quatenus id conſideratur hominem ita diſponere, ut malo alterius gaudeat, & contrà ut ejusdem bono contriſtetur.*

PRO-

PROPOSITIO XXV.

Id omne de nobis, deque re amatâ affirmare conamur, quod, nos, vel rem amatam Lætitiâ afficere, imaginamur; & contrà id omne negare, quod, nos, vel rem amatam Triſtitiâ afficere, imaginamur.

DEMONSTRATIO.

Quod rem amatam Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficere imaginamur, id nos Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficit. (*per Prop. 21. hujus.*) At Mens (*per Prop. 12. hujus*) ea, quæ nos Lætitiâ afficiunt, quantùm poteſt, conatur imaginari, hoc eſt, (*per Prop. 17. p. 2. & ejus Coroll.*) ut præſentia contemplari; & contrà, (*per Prop. 13. hujus*) quæ nos Triſtitiâ afficiunt, eorum exiſtentiam ſecludere; ergo id omne de nobis, deque re amatâ affirmare conamur, quod, nos, vel rem amatam Lætitiâ afficere, imaginamur, & contrà. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXVI.

Id omne de re, quam odio habemus, affirmare conamur, quod ipſam Triſtitiâ afficere imaginamur, & id contrà negare, quod ipſam Lætitiâ afficere imaginamur.

DEMONSTRATIO.

Sequitur Propoſitio ex Propoſitione 23. ut præcedens ex Propoſitione 21. hujus.

SCHOLIUM.

His videmus, facilè contingere, ut homo de ſe, deque re amatâ plùs juſto & contrà de re, quam odit, minùs juſto ſentiat, quæ quidem imaginatio, quando ipſum hominem reſpicit, qui de ſe plus juſto ſentit, Superbia vocatur, & ſpecies Delirii eſt, quia homo oculis apertis ſomniat, ſe omnia illa poſſe, quæ ſolâ imaginatione aſſequitur, quæque propterea, veluti realia, contemplatur, iiſque exultat, quamdiu ea imaginari non poteſt, quæ horum exiſtentiam ſecludunt, & ipſius agendi potentiam determinant. *Eſt* igitur *Superbia Lætitia ex eo orta, quòd homo de ſe plùs juſto ſentit.*

Deinde *Lætitia, quæ ex eo oritur, quòd homo de alio plùs justo sentit, Existimatio* vocatur; & illa denique *Despectus, quæ ex eo oritur, quòd de alio minùs justo sentit.*

PROPOSITIO XXVII.

Ex eo, quòd rem nobis similem, & quam nullo affectu prosecuti sumus, aliquo affectu affici imaginamur, eo ipso simili affectu afficimur.

DEMONSTRATIO.

Rerum imagines sunt Corporis humani affectiones, quarum ideæ corpora externa, veluti nobis præsentia, repræsentant, (*per Schol. Prop.* 17. *p.* 2.) hoc est, (*per Prop.* 16. *p.* 2.) quarum ideæ naturam nostri Corporis, & simul præsentem externi corporis naturam involvunt. Si igitur corporis externi natura similis sit naturæ nostri Corporis, tum idea corporis externi, quod imaginamur, affectionem nostri Corporis involvet similem affectioni corporis externi; & consequenter, si aliquem nobis similem aliquo affectu affectum imaginamur, hæc imaginatio affectionem nostri Corpus huic affectui similem exprimet; adeoque ex hoc, quòd rem aliquam nobis similem aliquo affectu affici imaginamur, simili cum ipsâ affectu afficimur. Quòd si rem nobis similem odio habeamus, eatenus (*per Prop.* 23. *hujus*) contrario affectu cum ipsâ afficiemur, non autem simili. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc affectuum imitatio, quando ad Tristitiam refertur, vocatur *Commiseratio*; (*de quâ vide Schol. p.* 22. *hujus*) sed ad Cupiditatem relata *Æmulatio*, quæ proinde nihil aliud *est*, quàm *alicujus rei Cupiditas, quæ in nobis ingeneratur ex eo, quòd alios nobis similes eandem Cupiditatem habere imaginamur.*

COROLLARIUM I.

Si aliquem, quem nullo affectu prosecuti sumus, imaginamur Lætitiâ afficere rem nobis similem, Amore erga eundem afficiemur. Si contrà eundem imaginamur eandem Tristitiâ afficere, contrà Odio erga ipsum afficiemur.

DE-

DEMONSTRATIO.

Hæc eodem modo ex Propoſitione præcedente demonſtratur, ac Propoſitio 22. hujus ex Propoſitione 21.

COROLLARIUM II.

Rem, cujus nos miſeret, odio habere non poſſumus ex eo, quòd ipſius miſeria nos Triſtitia afficit.

DEMONSTRATIO.

Si enim ex eo nos eandem odio habere poſſemus, tum (*per Prop.* 23. *hujus*) ex ipſius Triſtitiâ lætaremur, quod eſt contra Hypotheſin.

COROLLARIUM III.

Rem, cujus nos miſeret, à miſeriâ, quantùm poſſumus, liberare conabimur.

DEMONSTRATIO.

Id, quod rem, cujus nos miſeret, Triſtitiâ afficit, nos ſimili etiam Triſtitiâ afficit; (*per Prop. præced.*) adeoque omne id, quod ejus rei exiſtentiam tollit, ſive quod rem deſtruit, comminiſci conabimur, (*per Prop.* 13. *hujus*) hoc eſt (*per Prop.* 9. *hujus*) id deſtruere appetemus, ſive ad id deſtruendum determinabimur; atque adeò rem, cujus miſeremur, à ſuâ miſeriâ liberare conabimur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc voluntas, ſive appetitus benefaciendi, qui ex eo oritur, quòd rei, in quam beneficium conferre volumus, nos miſeret, *Benevolentia* vocatur, quæ proinde nihil aliud *eſt*, quàm *Cupiditas ex commiſeratione orta.* Cæterùm de Amore, & Odio erga illum, qui rei, quam nobis ſimilem eſſe imaginamur, benè, aut malè fecit, vide Schol. Prop. 22. hujus.

PROPOSITIO XXVIII.

Id omne, quod ad Lætitiam conducere imaginamur, conamur promovere, ut fiat; quod verò eidem repugnare, ſive ad Triſtitiam conducere imaginamur, amovere, vel deſtruere conamur.

DEMONSTRATIO.

Quod ad Lætitiam conducere imaginamur, quantùm poſſumus, imaginari conamur, (*per Prop.* 12. *hujus*) hoc eſt, (*per Prop.* 17. *p.* 2.) id, quantùm poſſumus, conabimur ut præſens, ſive ut actu exiſtens contemplari. Sed Mentis conatus, ſeu potentia in cogitando æqualis, & ſimul naturâ eſt cum Corporis conatu, ſeu potentiâ in agendo: (*ut clarè ſequitur ex Coroll. Prop.* 7. *& Coroll. Prop.* 11. *p.* 2.) ergo, ut id exiſtat, abſolutè conamur, ſive (*quod per Schol. Prop.* 9. *hujus idem eſt*) appetimus, & intendimus; quod erat primum. Deinde ſi id, quod Triſtitiæ cauſam eſſe credimus, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) ſi id, quod odio habemus, deſtrui imaginamur, lætabimur, (*per Prop.* 20. *hujus*) adeoque idem (*per primam hujus partem*) conabimur deſtruere, ſive (*per Prop.* 13. *hujus*) à nobis amovere, ne ipſum, ut præſens contemplemur; quod erat ſecundum; Ergo id omne, quod ad Lætitiam, &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXIX.

*Nos id omne etiam agere conabimur, quod * homines cum Lætitiâ aſpicere imaginamur, & contrà id agere averſabimur, quod homines averſari imaginamur.*

DEMONSTRATIO.

Ex eo, quòd imaginamur homines aliquid amare, vel odio habere, nos idem amabimus, vel odio habebimus, (*per Prop.* 27. *hujus*) hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) eo ipſo ejus rei præſentiâ lætabimur, vel contriſtabimur; adeoque (*per præc. Prop.*) id omne, quod homines amare, ſive cum Lætitiâ aſpicere imaginamur, conabimur agere, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hic conatus aliquid agendi, & etiam omittendi, eâ ſolâ de cauſâ, ut hominibus placeamus, vocatur Ambitio, præſertim quando adeò impenſè vulgo placere conamur, ut cum noſtro, aut alterius damno quædam agamus, vel omittamus; aliàs Humanitas appellari

* N. B. *Intellige hìc, & in ſeqq. homines, quos nullo affectu proſequuti ſumus.*

lari ſolet. Deinde Lætitiam, quâ alterius actionem, quâ nos conatus eſt delectari, imaginamur, Laudem voco; Triſtitiam verò, quâ contrà ejuſdem actionem averſamur, Vituperium voco.

PROPOSITIO XXX.

Si quis aliquid egit, quod reliquos Lætitiâ afficere imaginatur, is Lætitiâ, concomitante ideâ ſui, tanquam cauſâ, afficietur; ſive ſe ipſum cum Lætitiâ contemplabitur. Si contrà aliquid egit, quod reliquos Triſtitiâ afficere imaginatur, ſe ipſum cum Triſtitiâ contrà contemplabitur.

DEMONSTRATIO.

Qui ſe reliquos Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficere imaginatur, eo ipſo (*per Prop. 27. hujus*) Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficietur. Cùm autem homo (*per Prop. 19. & 23. p. 2.*) ſui ſit conſcius per affectiones, quibus ad agendum determinatur; ergo, qui aliquid egit, quod ipſe imaginatur, reliquos Lætitiâ afficere, Lætitiâ cum conſcientiâ ſui, tanquàm cauſâ, afficietur, ſive ſeipſum cum Lætitiâ contemplabitur, & contrà, *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cum Amor (*per Schol. Prop. 13. hujus*) ſit Lætitia, concomitante ideâ cauſæ externæ, & Odium Triſtitia concomitante etiam ideâ cauſæ externæ; erit ergo hæc Lætitia, & Triſtitia Amoris, & Odii ſpecies. Sed quia Amor, & Odium ad objecta externa referuntur, ideò hos Affectus aliis nominibus ſignificabimus; nempe Lætitiam, concomitante ideâ cauſæ externæ, Gloriam, & Triſtitiam huic contrariam Pudorem appellabimus: Intellige, quando Lætitia, vel Triſtitia ex eo oritur, quòd homo, ſe laudari, vel vituperari credit; aliàs Lætitiam, concomitante ideâ cauſæ externæ, Acquieſcentiam in ſe ipſo; Triſtitiam verò eidem contrariam Pœnitentiam vocabo. Deinde quia (*per Coroll. Prop. 17. p. 2.*) fieri poteſt, ut Lætitia, quâ aliquis ſe reliquos afficere imaginatur, imaginaria tantùm ſit, & (*per Prop. 25. hujus*) unusquiſque de ſe id omne conatur imaginari, quod ſe Lætitiâ afficere imaginatur;

tur; facilè ergo fieri poteſt, ut glorioſus ſuperbus ſit, & ſe omnibus gratum eſſe imaginetur, quando omnibus moleſtus eſt.

PROPOSITIO XXXI.

Si aliquem imaginamur amare, vel cupere, vel odio habere aliquid, quod ipſi amamus, cupimus, vel odio habemus, eo ipſo rem conſtantiùs amabimus, &c. Si autem id, quod amamus, eum averſari imaginamur, vel contrà, tum animi fluctuationem patiemur.

DEMONSTRATIO.

Ex eo ſolo, quòd aliquem aliquid amare imaginamur, eo ipſo idem amabimus. (*per Prop. 27. hujus*) At ſine hoc nos idem amare ſupponimus; accedit ergo Amori nova cauſa, à quâ fovetur; atque adeò id, quod amamus, hoc ipſo conſtantiùs amabimus. Deinde ex eo, quod aliquem aliquid averſari imaginamur, idem averſabimur. (*per eandem Prop.*) At ſi ſupponamus, nos eodem tempore id ipſum amare, eodem ergo tempore hoc idem amabimus, & averſabimur, ſive (*vid. Schol. Prop. 17. hujus*) animi fluctuationem patiemur. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc, & ex Prop. 28. hujus ſequitur, unumquemque, quantùm poteſt, conari, ut unusquiſque id, quod ipſe amat, amet, & quod ipſe odit, odio etiam habeat; unde illud Poëtæ.

Speremus pariter, pariter metuamus amantes;
Ferreus eſt, ſi quis, quod ſinit alter, amat.

SCHOLIUM.

Hic conatus efficiendi, ut unusquiſque probet id, quod ipſe amat, vel odio habet, reverâ eſt Ambitio; (*vid. Schol. Prop. 29. hujus*) atque adeò videmus, unumquemque ex naturâ appetere, ut reliqui ex ipſius ingenio vivant, quod dum omnes pariter appetunt, pariter ſibi impedimento, & dum omnes ab omnibus laudari, ſeu amari volunt, odio invicem ſunt.

PRO-

PROPOSITIO XXXII.

Si aliquem re aliquâ, quâ unus ſolus potiri poteſt, gaudere imaginamur, conabimur efficere, ne ille illâ re potiatur.

DEMONSTRATIO.

Ex eo ſolo, quòd aliquem re aliquâ gaudere imaginamur, (*per Prop.* 27. *hujus cum ejuſdem* 1. *Coroll.*) rem illam amabimus, eâque gaudere cupiemus. At (*per Hypotheſin*) huic Lætitiæ obſtare imaginamur, quòd ille eâdem hâc re gaudeat; ergo, (*per Prop.* 28. *hujus*) ne ille eadem potiatur, conabimur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Videmus itaque, cum hominum naturâ plerumque ità comparatum eſſe, ut eorum, quibus malè eſt, miſereantur, & quibus bene eſt, invideant, & (*per Prop. præc.*) eò majore odio, quò rem, quâ alium potiri imaginantur, magis amant. Videmus deinde, ex eâdem naturæ humanæ proprietate, ex quâ ſequitur, homines eſſe miſericordes, ſequi etiam eoſdem eſſe invidos, & ambitioſos. Denique, ſi ipſam experientiam conſulere velimus, ipſam hæc omnia docere experiemur; præſertim ſi ad priores noſtræ ætatis annos attenderimus. Nam pueros, quia eorum corpus continuò veluti in æquilibrio eſt, ex hoc ſolo ridere, vel flere experimur, quòd alios ridere, vel flere vident; & quicquid præterea vident alios facere, id imitari ſtatim cupiunt, & omnia denique ſibi cupiunt, quibus alios delectari imaginantur; nimirùm quia rerum imagines, uti diximus, ſunt ipſæ humani Corporis affectiones, ſive modi, quibus Corpus humanum à cauſis externis afficitur, diſponiturque ad hoc, vel illud agendum.

PROPOSITIO XXXIII.

Cùm rem nobis ſimilem amamus, conamur, quantùm poſſumus, efficere, ut nos contrà amet.

DEMONSTRATIO.

Rem, quam amamus, præ reliquis, quantùm poſſumus, imaginari conamur. (*per Prop.* 12. *hujus*) Si igitur res nobis ſit ſimilis,

ipſam præ reliquis Lætitiâ afficere conabimur (*per Prop.* 29. *hujus*) ſive conabimur, quantùm poſſumus, efficere, ut res amata Lætitiâ afficiatur, concomitante ideâ noſtri, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) ut nos contrà amet. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXIV.

Quò majori affectu rem amatam erga nos affectam eſſe imaginamur, eò magis gloriabimur.

DEMONSTRATIO.

Nos, (*per Prop. præced.*) conamur, quantùm poſſumus, ut res amata nos contrà amet, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) ut res amata Lætitiâ afficiatur, concomitante ideâ noſtri. Quò itaque rem amatam majori Lætitiâ noſtrâ de cauſâ affectam eſſe imaginamur, eò magis hic conatus juvatur, hoc eſt, (*per Prop.* 11. *hujus cum ejus Schol.*) eò majore Lætitiâ afficimur. At cùm ex eo lætemur, quòd alium nobis ſimilem Lætitiâ affecimus, tum nosmet cum Lætitiâ contemplamur: (*per Prop.* 30. *hujus*) ergo quò majori affectu rem amatam erga nos affectam eſſe imaginamur, eò majori Lætitiâ nosmet contemplabimur, ſive (*per Schol. Prop.* 30. *hujus*) eò magis gloriabimur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXV.

Si quis imaginatur rem amatam eodem, vel arctiore vinculo Amicitiæ, quo ipſe eâdem ſolus potiebatur, alium ſibi jungere, Odio erga ipſam rem amatam afficietur, & illi alteri invidebit.

DEMONSTRATIO.

Quò quis majore amore rem amatam erga ſe affectam eſſe imaginatur, eò magis gloriabitur, (*per præced. Prop.*) hoc eſt, (*per Sch. Prop.* 30. *hujus*) lætabitur; adeóque (*per Prop.* 28. *hujus*) conabitur, quantùm poteſt, imaginari, rem amatam ipſi quàm arctiſſimè devinctam, qui quidem conatus, ſive appetitus fomentatur, ſi alium idem ſibi cupere imaginatur. (*per Prop.* 31. *hujus*)

At

At hic conatus, ſive appetitus ab ipſius rei amatæ imagine, concomitante imagine illius, quem res amata ſibi jungit, coërceri ſupponitur; ergo (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) eò ipſo Triſtitiâ afficietur, concomitante ideâ rei amatæ, tanquam cauſâ, & ſimul imagine alterius, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) odio erga rem amatam afficietur, & ſimul erga illum alterum, (*per Coroll. Prop.* 15. *hujus*) cui propterea (*per Prop.* 23. *hujus*) quòd re amatâ delectatur, invidebit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hoc Odium erga rem amatam Invidiæ junctum Zelotypia vocatur, quæ proinde nihil aliud eſt, quam animi fluctuatio orta ex Amore, & Odio ſimul, concomitante ideâ alterius, cui invidetur. Præterea hoc Odium erga rem amatam majus erit pro ratione Lætitiæ, quâ Zelotypus ex reciproco rei amatæ Amore ſolebat affici, & etiam pro ratione affectûs, quo erga illum, quem ſibi rem amatam jungere imaginatur, affectus erat. Nam ſi eum oderat, eo ipſo rem amatam (*per Prop.* 24. *hujus*) odio habebit, quia ipſam id, quod ipſe odio habet, Lætitiâ afficere imaginatur; & etiam (*per Coroll. Prop.* 15. *hujus*) ex eo, quòd rei amatæ imaginem imagini ejus, quem odit, jungere cogitur, quæ ratio plerumque locum habet in Amore erga fæminam; qui enim imaginatur mulierem, quam amat, alteri ſeſe proſtituere, non ſolùm ex eo, quòd ipſius appetitus coërcetur, contriſtabitur; ſed etiam, quia rei amatæ imaginem pudendis, & excrementis alterius jungere cogitur, eandem averſatur; ad quod denique accedit, quòd Zelotypus non eodem vultu, quem res amata ei præbere ſolebat, ab eâdem excipiatur, quâ etiam de cauſâ amans contriſtatur, ut jam oſtendam.

PROPOSITIO XXXVI.

Qui rei, quâ ſemel delectatus eſt, recordatur, cupit eâdem cum iiſdem potiri circumſtantiis, ac cùm primò ipſâ delectatus eſt.

DEMONSTRATIO.

Quicquid homo ſimul cum re, quæ ipſum delectavit, vidit, id omne (*per Prop.* 15. *hujus*) erit per accidens Lætitiæ cauſa; adeóque

que (*per Prop.* 28. *hujus*) omni eo ſimul cum re, quæ ipſum delectavit, potiri cupiet, ſive re cum omnibus iiſdem circumſtantiis potiri cupiet, ac cum primò eâdem delectatus eſt. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Si itaque unam ex iis circumſtantiis deficere compererit, amans contriſtabitur.

DEMONSTRATIO.

Nam quatenus aliquam circumſtantiam deficere comperit, eatenus aliquid imaginatur, quod ejus rei exiſtentiam ſecludit. Cùm autem ejus rei, ſive circumſtantiæ (*per Prop. præc.*) ſit præ amore cupidus; ergo, (*per Prop.* 19. *hujus*) quatenus eandem deficere imaginatur, contriſtabitur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Triſtitiâ, quatenus abſentiam ejus, quod amamus, reſpicit, Deſiderium vocatur.

PROPOSITIO XXXVII.

Cupiditas, quæ præ Triſtitiâ, vel Lætitiâ, præque Odio, vel Amore oritur, eò eſt major, quò affectus major eſt.

DEMONSTRATIO.

Triſtitia hominis agendi potentiam (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) minuit, vel coërcet, hoc eſt, (*per Prop.* 27. *hujus*) conatum, quo homo in ſuo eſſe perſeverare conatur minuit, vel coërcet; adeóque (*per Prop.* 5. *hujus*) huic conatui eſt contraria; & quicquid homo Triſtitiâ affectus conatur, eſt Triſtitiam amovere. At (*per Triſtitiæ Defin.*) quò Triſtitia major eſt, eò majori parti hominis agendi potentiæ neceſſe eſt opponi; ergo quò major Triſtitia eſt, eò majore agendi potentiâ conabitur homo contrà Triſtitiam amovere, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 9. *hujus*) eò majore cupiditate, ſive appetitu conabitur Triſtitiam amovere. Deinde, quoniam Lætitiâ (*per idem Schol. Prop.* 11. *hujus*) hominis agendi potentiam auget, vel juvat, facilè eâdem viâ demonſtratur, quòd homo, Lætitiâ affectus, nihil aliud cupit, quàm eandem conſervare, idque eò majore

Cupi-

Cupiditate, quò Lætitia major erit. Denique, quoniam Odium, & Amor ſunt ipſi Lætitiæ, vel Triſtitiæ affectus, ſequitur eodem modo, quòd conatus, appetitus, ſive Cupiditas, quæ præ Odio, vel Amore oritur, major erit pro ratione Odii, & Amoris. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXVIII.

Si quis rem amatam odio habere inceperit, ità ut Amor planè aboleatur, eandem majore odio, ex pari cauſâ, proſequetur, quàm ſi ipſam nunquam amaviſſet, & eò majori, quò Amor antea major fuerat.

DEMONSTRATIO.

Nam ſi quis rem, quam amat, odio habere incipit, plures ejus appetitus coërcentur, quàm ſi eandem non amaviſſet. Amor namque Lætitia eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) quam homo, quantùm poteſt (*per Prop.* 28. *hujus*) conſervare conatur; idque (*per idem Schol.*) rem amatam, ut præſentem, contemplando, eandemque (*per Prop.* 21. *hujus*) Lætitiâ, quantùm poteſt, afficiendo, qui quidem conatus (*per Prop. præc.*) eò eſt major, quò amor major eſt, ut & conatus efficiendi, ut res amata ipſum contrà amet. (*vid. Prop.* 33. *hujus*) At hi conatus odio erga rem amatam coërcentur; (*per Coroll. Prop.* 13. *& per Prop.* 23. *hujus*) ergo amans (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) hâc etiam de cauſâ Triſtitiâ afficietur, & eò majori, quò Amor major fuerat, hoc eſt, præter Triſtitiam, quæ Odii fuit cauſa, alia ex eo oritur, quòd rem amavit; & conſequenter majore Triſtitiæ affectu rem amatam contemplabitur, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) majori odio proſequetur, quàm ſi eandem non amaviſſet, & eò majori, quò amor major fuerat. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXIX.

Qui aliquem Odio habet, ei malum inferre conabitur, niſi ex eo majus ſibi malum oriri timeat; & contrà, qui aliquem amat, ei eâdem lege benefacere conabitur.

DEMONSTRATIO.

Aliquem odio habere eſt (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) aliquem, ut Triſtitiæ cauſam, imaginari; adeoque (*per Prop.* 28. *hujus*) is, qui aliquem odio habet, eundem amovere, vel deſtruere conabitur. Sed ſi inde aliquid triſtius, ſive (quod idem eſt) majus malum ſibi timeat, idque ſe vitare poſſe credit, non inferendo ei, quem odit, malum, quod meditabatur, à malo inferendo (*per eandem Prop.* 28. *hujus*) abſtinere cupiet; idque (*per Prop.* 37. *hujus*) majore conatu, quàm quo tenebatur inferendi malum, qui propterea prævalebit, ut volebamus. Secundæ partis demonſtratio eodem modo procedit. Ergo qui aliquem odio habet, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Per bonum hîc intelligo omne genus Lætitiæ, & quicquid porrò ad eandem conducit, & præcipuè id, quod deſiderio, qualecunque illud ſit, ſatisfacit. Per malum autem omne Triſtitiæ genus, & præcipuè id, quod deſiderium fruſtratur. Suprà enim (*in Schol. Prop.* 9. *hujus*) oſtendimus, nos nihil cupere, quia id bonum eſſe judicamus, ſed contrà id bonum vocamus, quod cupimus; & conſequentur id, quod averſamur, malum appellamus; quare unuſquiſque ex ſuo affectu judicat, ſeu æſtimat, quid bonum, quid malum, quid melius, quid pejus, & quid denique optimum, quidve peſſimum ſit. Sic Avarus argenti copiam optimum, ejus autem inopiam peſſimum judicat. Ambitioſus autem nihil æquè, ac Gloriam cupit, & contrà nihil æquè, ac Pudorem, reformidat. Invido deinde nihil jucundius, quàm alterius infelicitas, & nihil moleſtius, quàm aliena felicitas; ac ſic unuſquiſque ex ſuo affectu rem aliquam bonam, aut malam; utilem, aut inutilem eſſe judicat. Cæterùm hic affectus, quo homo ità diſponitur, ut id, quod vult, nolit, vel ut id, quod non vult, velit, *Timor*, vocatur, qui proinde nihil aliud eſt, quàm *metus, quatenus, homo ab eodem diſponitur, ad malum, quod futurum judicat, minore vitandum.* (*Vid. Prop.* 28. *hujus*) Sed ſi malum, quod timet, Pudor ſit, tum Timor appellatur Verecundia. Denique ſi Cupiditas malum futurum vitandi coërcetur Timore

more alterius mali, ità ut quid potiùs velit, neſciat, tum Metus vocatur Conſternatio, præcipuè ſi utrumque malum, quod timetur, ex maximis ſit.

PROPOSITIO XL.

Qui ſe odio haberi ab aliquo imaginatur, nec ſe ullam odii cauſam illi dediſſe credit, eundem odio contrà habebit.

DEMONSTRATIO.

Qui aliquem odio affectum imaginatur, eo ipſo etiam odio afficietur, (*per Prop. 27. hujus*) hoc eſt, (*per Schol. Prop. 13. hujus*) Triſtitiâ, concomitante ideâ cauſæ externæ. At ipſe (*per Hypotheſin*) nullam hujus Triſtitiæ cauſam imaginatur præter illum, qui ipſum odio habet; ergo ex hoc, quòd ſe odio haberi ab aliquo imaginatur, Triſtitiâ afficietur, concomitante ideâ ejus, qui ipſum odio habet, ſive (*per idem Schol.*) eundem odio habebit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Quòd ſi ſe juſtam Odii cauſam præbuiſſe imaginatur, tum (*per Prop. 30. hujus & ejuſdem Schol.*) Pudore afficietur. Sed hoc (*per Prop. 25. hujus*) rarò contingit. Præterea hæc Odii reciprocatio oriri etiam poteſt ex eo, quòd Odium ſequatur conatus malum inferendi ei, qui odio habetur. (*per Prop. 39. hujus*) Qui igitur ſe odio haberi ab aliquo imaginatur, eundem alicujus mali, ſive Triſtitiæ cauſam imaginabitur; atque adeò Triſtitiâ afficietur, ſeu Metu, concomitante ideâ ejus, qui ipſum odio habet, tanquam cauſa, hoc eſt, odio contrà afficietur, ut ſuprà.

COROLLARIUM I.

Qui, quem amat, odio erga ſe affectum imaginatur, Odio, & Amore ſimul conflictabitur. Nam quatenus imaginatur, ab eodem ſe odio haberi, determinatur, (*per Prop. præced.*) ad eundem contrà odio habendum. At (*per Hypotheſin*) ipſum nihilominùs amat: ergo Odio, & Amore ſimul conflictabitur.

Co-

COROLLARIUM II.

Si aliquis imaginatur, ab aliquo, quem antea nullo affectu prosecutus est, malum aliquod præ Odio sibi illatum esse, statim idem malum eidem referre conabitur.

DEMONSTRATIO.

Qui aliquem Odio erga se affectum esse imaginatur, eum contrà (*per præced. Prop.*) odio habebit, & (*per Prop. 26. hujus*) id omne comminisci conabitur, quod eundem possit Tristitiâ afficere, atque id eidem (*per Prop. 39. hujus*) inferre studebit. At (*per Hypothesin*) primum, quod hujusmodi imaginatur, est malum sibi illatum; ergo idem statim eidem inferre conabitur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Conatus malum inferendi ei, quem odimus, Ira vocatur; conatus autem malum nobis illatum referendi Vindicta appellatur.

PROPOSITIO XLI.

Si quis ab aliquo se amari imaginatur, nec se ullam ad id causam dedisse credit, (quod per Coroll. Prop. 15. & per Prop. 16. hujus fieri potest) *eundem contrà amabit.*

DEMONSTRATIO.

Hæc Propositio eâdem viâ demonstratur, ac præcedens. Cujus etiam Scholium vide.

SCHOLIUM.

Quòd si se justam Amoris causam præbuisse crediderit, gloriabitur, (*per Prop. 30. hujus cum ejusdem Schol.*) quod quidem (*per Prop. 25. hujus*) frequentiùs contingit, & cujus contrarium evenire diximus, quando aliquis ab aliquo se odio haberi imaginatur. (*vide Schol. Prop. præced.*) Porrò hic reciprocus Amor, & consequenter (*per Prop. 39. hujus*) conatus benefaciendi ei, qui nos amat, quique (*per eandem Prop. 39. hujus*) nobis benefacere conatur, Gratia, seu Gratitudo vocatur; atque adeò apparet, homines longè paratiores esse ad Vindictam, quàm ad referendum beneficium.

Co-

COROLLARIUM.

Qui ab eo, quem odio habet, se amari imaginatur, Odio, & Amore simul conflictabitur. Quod eâdem viâ, quâ primum præcedentis Coroll. demonstratur.

SCHOLIUM.

Quòd si Odium prævaluerit, ei, à quo amatur, malum inferre conabitur, qui quidem affectus Crudelitas appellatur, præcipuè si illum, qui amat, nullam Odii communem causam præbuisse creditur.

PROPOSITIO XLII.

Qui in aliquem, Amore, aut spe Gloriæ motus, beneficium contulit, contristabitur, si viderit, beneficium ingrato animo accipi.

DEMONSTRATIO.

Qui rem aliquam sibi similem amat, conatur, quantùm potest, efficere, ut ab ipsâ contrà ametur (*per Prop. 33. hujus*) Qui igitur præ amore in aliquem beneficium contulit, id facit desiderio, quo tenetur, ut contrà ametur, hoc est, (*per Prop. 34. hujus*) spe Gloriæ, sive (*per Schol. Prop. 30. hujus*) Lætitiæ; adeoque (*per Prop. 12. hujus*) hanc Gloriæ causam, quantùm potest, imaginari, sive ut actu existentem contemplari conabitur. At (*per Hypothesin*) aliud imaginatur, quod ejusdem causæ existentiam secludit: ergo (*per Prop. 19. hujus*) eo ipso contristabitur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLIII.

Odium reciproco odio augetur, & Amore contrà deleri potest.

DEMONSTRATIO.

Qui eum, quem odit, Odio contrà erga se affectum esse imaginatur, eo ipso (*per Prop. 40. hujus.*) novum Odium oritur, durante (*per Hypothesin*) adhuc primo. Sed si contrà eundem amore erga se affectum esse imaginetur, quatenus hoc imaginatur, eatenus (*per Prop. 30. hujus*) se ipsum cum Lætitiâ contemplatur, &

eatenus (*per Prop.* 29. *hujus*) eidem placere conabitur, hoc eſt, (*per Prop.* 40. *hujus*) eatenus conatur ipſum odio non habere, nullâque Triſtitiâ afficere; qui quidem conatus (*per Prop.* 37. *hujus*) major, vel minor erit, pro ratione affectûs, ex quo oritur; atque adeò ſi major fuerit illo, qui ex odio oritur, & quo rem, quam odit (*per Prop.* 26. *hujus*) Triſtitiâ afficere conatur, ei prævalebit, & Odium ex animo delebit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLIV.

Odium, quod Amore planè vincitur, in Amorem tranſit; & Amor propterea major eſt, quàm ſi Odium non præceſſiſſet.

DEMONSTRATIO

Eodem modo procedit, ac Propoſitionis 38. hujus. Nam qui rem, quam odit, ſive quam cum Triſtitiâ contemplari ſolebat, amare incipit, eo ipſo, quod amat, lætatur, & huic Lætitiæ, quam Amor involvit (*vide ejus Defin. in Schol. Prop.* 13. *hujus*) illa etiam accedit, quæ ex eo oritur, quod conatus amovendi Triſtitiam, quam odium involvit (*ut in Prop.* 37. *hujus oſtendimus*) prorſùs juvatur, concomitante ideâ ejus, quem odio habuit, tanquam cauſâ.

SCHOLIUM.

Quamvis res ita ſe habeat, nemo tamen conabitur rem aliquam odio habere, vel Triſtitiâ affici, ut majori hâc Lætitiâ fruatur; hoc eſt, nemo ſpe damnum recuperandi, damnum ſibi inferri cupiet, nec ægrotare deſiderabit ſpe convaleſcendi. Nam unusquiſque ſuum eſſe conſervare, & Triſtitiam, quantùm poteſt, amovere ſemper conabitur. Quod ſi contrà concipi poſſet, hominem poſſe cupere aliquem odio habere, ut eum poſtea majori amore proſequatur, tum eundem odio habere ſemper deſiderabit. Nam quò Odium majus fuerit, eo Amor erit major, atque adeò deſiderabit ſemper, ut Odium magis magisque augeatur, & eâdem de cauſâ homo magis ac magis ægrotare conabitur, ut majori Lætitiâ ex reſtaurandâ valetudine poſtea fruatur; atque adeò ſemper ægrotare conabitur, quod (*per Prop.* 6. *hujus*) eſt abſurdum.

PRO-

PROPOSITIO XLV.

Si quis aliquem ſibi ſimilem Odio in rem ſibi ſimilem, quam amat, affectum eſſe imaginatur, eum odio habebit.

DEMONSTRATIO.

Nam res amata eum, qui ipſam odit, odio contra habet: (*per Prop.* 40. *hujus*) adeoque amans, qui aliquem imaginatur rem amatam odio habere, eo ipſo rem amatam Odio, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) Triſtitiâ affectam eſſe imaginatur, & conſequenter (*per Prop.* 21. *hujus*) contriſtatur, idque concomitante ideâ ejus, qui rem amatam odit, tanquam cauſâ, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) ipſum odio habebit, *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLVI.

Si quis ab aliquo cujusdem claſſis, ſive nationis à ſuâ diverſæ, Lætitiâ, vel Triſtitiâ affectus fuerit, concomitante ejus ideâ, ſub nomine univerſali claſſis, vel nationis, tanquam cauſâ: is non tantùm illum; ſed omnes ejuſdem claſſis, vel nationis amabit, vel odio habebit.

DEMONSTRATIO.

Hujus rei demonſtratio patet ex Propoſitione 16. hujus Partis.

PROPOSITIO XLVII.

Lætitia, quæ ex eo oritur, quòd ſcilicet rem, quam odimus, deſtrui, aut alio malo affici imaginamur, non oritur abſque ullâ animi Triſtitiâ.

DEMONSTRATIO.

Patet ex Prop. 27. hujus. Nam quatenus rem nobis ſimilem Triſtitiâ affici imaginamur, eatenus contriſtamur.

SCHOLIUM.

Poteſt hæc Propoſitio etiam demonſtrari ex Corollario Propoſitionis 17. Partis 2. Quoties enim rei recordamur, quamvis

ipſa actu non exiſtat, eandem tantùm ut præſentem contemplamur, Corpusque eodem modo afficitur; quare quatenus rei memoria viget, eatenus homo determinatur, ad eandem cum Triſtitiâ contemplandum, quæ determinatio, manente adhuc rei imagine, coërcetur quidem memoriâ illarum rerum, quæ hujus exiſtentiam ſecludunt; ſed non tollitur: atque adeò homo eatenus tantùm lætatur, quatenus hæc determinatio coërcetur; & hinc fit, ut hæc Lætitia, quæ ex rei, quam odimus, malo oritur, toties repetatur, quoties ejuſdem rei recordamur. Nam, uti diximus, quando ejusdem rei imago excitatur; quia hæc ipſius rei exiſtentiam involvit, hominem determinat, ad rem cum eâdem Triſtitiâ contemplandum, quâ eandem contemplari ſolebat, cùm ipſa exiſteret. Sed quia ejuſdem rei imagini alias junxit, quæ ejuſdem exiſtentiam ſecludunt, ideò hæc ad Triſtitiam determinatio ſtatim coërcetur, & homo de novo lætatur, & hoc toties, quoties hæc repetitio fit. Atque hæc eadem eſt cauſa, cur homines lætantur, quoties alicujus jam præteriti mali recordantur, & cur pericula, à quibus liberati ſunt, narrare gaudeant. Nam ubi aliquod pericu-
lum imaginantur, idem veluti adhuc futurum contemplantur, & ad id metuendum determinantur, quæ determinatio de novo coërcetur ideâ libertatis, quam hujus periculi ideæ junxerunt, cum ab eodem liberati ſunt, quæque eos de novo ſecuros reddit, atque adeò de novo lætantur.

PROPOSITIO XLVIII.

Amor, & Odium, ex. gr. erga Petrum deſtruitur, ſi Triſtitia, quam hoc, & Lætitia, quam ille involvit, ideæ alterius cauſæ jungatur; & eatenus uterque diminuitur, quatenus imaginamur Petrum non ſolùm fuiſſe alterutrius cauſam.

DEMONSTRATIO.

Patet ex ſolâ Amoris, & Odii definitione; quam vide in Schol. Prop. 13. hujus. Nam propter hoc ſolum Lætitia vocatur Amor, & Triſtitia Odium erga Petrum, quia ſcilicet Petrus hujus, vel illius effectûs cauſa eſſe conſideratur. Hoc itaque prorſus, vel

ex

ex parte ſublato, affectus quoque erga Petrum prorſus, vel ex parte diminuitur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLIX.

Amor, & Odium erga rem, quam liberam eſſe imaginamur, major ex pari cauſâ uterque debet eſſe, quàm erga neceſſariam.

DEMONSTRATIO.

Res, quam liberam eſſe imaginamur, debet (*per Defin. 7. p. 1.*) per ſe abſque aliis percipi. Si igitur eandem Lætitiæ, vel Triſtitiæ cauſam eſſe imaginemur, eo ipſo (*per Schol. Prop. 13. hujus*) eandem amabimus, vel odio habebimus, idque (*per Prop. præced.*) ſummo Amore, vel Odio, qui ex dato affectu oriri poteſt. Sed ſi rem, quæ ejuſdem affectûs eſt cauſa, ut neceſſariam imaginemur, tum (*per eandem Defin. 7. p. 1.*) ipſam non ſolam; ſed cum aliis ejuſdem affectûs cauſam eſſe imaginabimur, atque adeò (*per Prop. præc.*) Amor, & Odium erga ipſam minor erit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hinc ſequitur, homines, quia ſe liberos eſſe exiſtimant, majore Amore, vel Odio ſe invicem proſequi, quàm alia; ad quod accedit affectuum imitatio, de quâ vide Prop. 27, 34, 40, & 43. hujus.

PROPOSITIO L.

Res quæcunque poteſt eſſe per accidens Spei, aut Metûs cauſa.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propoſitio eâdem via demonſtratur, qua Propoſitio 15. hujus, quam vide unà cum Schol. Propoſitionis 18. hujus.

SCHOLIUM.

Res, quæ per accidens Spei, aut Metûs ſunt cauſæ, bona, aut mala omina vocantur. Deinde quatenus hæc eadem omina ſunt Spei, aut Metûs cauſa, eatenus (*per Defin. ſpei & Metus, quam vid. in Schol. 2. Prop. 18. hujus*) Lætitiæ, aut Triſtitiæ ſunt cauſa, &

consequenter (*per Coroll. Prop.* 15. *hujus*) eatenus eadem amamus, vel odio habemus, & (*per Prop.* 28. *hujus*) tanquam media ad ea, quæ speramus, adhibere, vel tanquam obstacula, aut Metûs causas amovere conamur. Præterea ex Propositione 25. hujus sequitur nos naturâ ità esse constitutos, ut ea, quæ speramus, facilè, quæ autem timemus, difficilè credamus, & ut de iis plùs, minúsve justo sentiamus. Atque ex his ortæ sunt Superstitiones, quibus homines ubique conflictantur. Cæterùm non puto operæ esse pretium, animi hîc ostendere fluctuationes, quæ ex Spe, & Metu oriuntur; quandoquidem ex solâ horum affectuum definitione sequitur, non dari Spem sine Metu, neque Metum sine Spe; (ut fusiùs suo loco explicabimus) & præterea quandoquidem quatenus aliquid speramus, aut metuimus, eatenus idem amamus, vel odio habemus; atque adeò quicquid de Amore, & Odio diximus facilè unusquisque Spei, & Metui applicare poterit.

PROPOSITIO LI.

Diversi homines ab uno, eodemque objecto diversimodè affici possunt, & unus, idemque homo ab uno, eodemque objecto potest diversis temporibus diversimodè affici.

DEMONSTRATIO.

Corpus humanum (*per Post.* 3. *p.* 2.) à corporibus externis plurimis modis afficitur. Possunt igitur eodem tempore duo homines diversimodè esse affecti; atque adeò (*per Axiom.* 1. *quod est post Lemma* 3. *quod vide post Prop.* 13. *p.* 2.) ab uno, eodemque objecto possunt diversimodè affici. Deinde (*per idem Postul.*) Corpus humanum potest jam hoc, jam alio modo esse affectum; & consequenter (*per idem Axiom.*) ab uno, eodemque objecto diversis temporibus diversimodè affici. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Videmus itaque fieri posse, ut quod hic amat, alter odio habeat; & quod hic metuit, alter non metuat; & ut unus, idemque homo, jam amet, quod antea oderit, & ut jam audeat, quod antea timuit, &c. Deinde, quia unusquisque ex suo affectu judicat,

cat, quid bonum, quid malum, quid melius, & quid pejus ſit, (*vide Schol. Prop.* 39. *hujus*) ſequitur homines tam judicio, quàm affectu variare * poſſe; & hinc fit, ut cùm alios aliis comparamus, ex ſolâ affectuum differentiâ à nobis diſtinguantur, & ut alios intrepidos, alios timidos, alios denique alio nomine appellemus. Ex. gr. illum ego intrepidum vocabo, qui malum contemnit, quod ego timere ſoleo; & ſi præterea ad hoc attendam, quod ejus Cupiditas malum inferendi ei, quem odit, & benefaciendi ei, quem amat, non coërcetur timore mali, à quo ego contineri ſoleo, ipſum audacem appellabo. Deinde ille mihi timidius videbitur, qui malum timet, quod ego contemnere ſoleo, & ſi inſuper ad hoc attendam, quod ejus Cupiditas coërcetur timore mali, quod me continere nequit, ipſum puſillanimem eſſe dicam, & ſic unuſquiſque judicabit. Denique ex hâc hominis naturâ, & judicii inconſtantiâ, ut & quod homo ſæpe ex ſolo affectu de rebus judicat, & quod res, quas ad Lætitiam, vel Triſtitiam facere credit, quaſque propterea, (*per Prop.* 28. *hujus*) ut fiant, promovere, vel amovere conatur, ſæpe non niſi imaginariæ ſint, ut jam taceam alia, quæ in 2. parte oſtendimus, de rerum incertitudine, facile concipimus hominem poſſe ſæpe in cauſâ eſſe, tam ut contriſtetur, quàm ut lætetur, ſive ut tam Triſtitiâ, quàm Lætitiâ afficiatur, concomitante ideâ ſui, tanquam cauſâ; atque adeò facilè intelligimus, quid Pœnitentia, & quid Acquieſcentia in ſe ipſâ ſit. Nempe *Pœnitentia eſt Triſtitia, concomitante ideâ ſui, & Acquieſcentia in ſe ipſâ eſt Lætitia, concomitante ideâ ſui, tanquam cauſâ*, & hi affectus vehementiſſimi ſunt, quia homines ſe liberos eſſe credunt. (*Vid. Prop.* 49. *hujus*)

PROPOSITIO LII.

Objectum, quod ſimul cum aliis antea vidimus, vel quod nihil habere imaginamur, niſi quod commune eſt pluribus, non tamdiu contemplabimur, ac illud, quod aliquid ſingulare habere imaginamur.

* N.B. *Poſſe hoc fieri, tametſi Mens humana pars eſſet divini intellectûs, oſtendimus in Schol. p.* 17. *p.* 2.

DE-

DEMONSTRATIO.

Simulatque objectum, quod cum aliis vidimus, imaginamur, ſtatim & aliorum recordamur, (*per Prop.* 18. *p.* 2. *cujus etiam Schol. vide*) & ſic ex unius contemplatione ſtatim in contemplationem alterius incidimus. Atque eadem eſt ratio objecti, quod nihil habere imaginamur, niſi quod commune eſt pluribus. Nam eo ipſo ſupponimus, nos nihil in eo contemplari, quod antea cum aliis non viderimus. Verùm cùm ſupponimus, nos in objecto aliquo aliquid ſingulare, quod antea nunquam vidimus, imaginari, nihil aliud dicimus, quàm quòd Mens, dum illud objectum contemplatur, nullum aliud in ſe habeat, in cujus contemplationem ex contemplatione illius incidere poteſt; atque adeò ad illud ſolum contemplandum determinata eſt. Ergo objectum, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Mentis affectio, ſive rei ſingularis imaginatio, quatenus ſola in Mente verſatur, vocatur Admiratio, quæ ſi ab objecto, quod timemus moveatur, Conſternatio dicitur, quia mali Admiratio hominem ſuſpenſum in ſolâ ſui contemplatione ità tenet, ut de aliis cogitare non valeat, quibus illud malum vitare poſſet. Sed ſi id, quod admiramur ſit hominis alicujus prudentia, induſtria, vel aliquid hujusmodi, quia eo ipſo hominem nobis longè antecellere contemplamur, tum Admiratio vocatur Veneratio; aliàs Horror, ſi hominis iram, invidiam, &c. admiramur. Deinde, ſi hominis, quem amamus, prudentiam, induſtriam, &c. admiramur, Amor eo ipſo, (*per Prop.* 12. *hujus*) major erit, & hunc Amorem Admirationi, ſive Venerationi junctum Devotionem vocamus. Et ad hunc modum concipere etiam poſſumus, Odium, Spem, Securitatem, & alios Affectus Admirationi junctos; atque adeò plures Affectus deducere poterimus, quàm qui receptis vocabulis indicari ſolent. Unde apparet, Affectuum nomina inventa eſſe magis ex eorum vulgari uſu, quàm ex eorundem accuratâ cognitione.

Admirationi opponitur Contemptus, cujus tamen cauſa hæc plerumque eſt, quòd ſc; ex eo, quòd aliquem rem aliquam admirari,

mirari, amare, metuere &c. videmus, vel ex eo, quòd res aliqua primo aſpectu apparet ſimilis rebus, quas admiramur, amamus, metuimus &c. (*per Prop.* 15. *cum ejus Coroll. & Prop.* 27. *hujus*) determinamur ad eandem rem admirandum, amandum, metuendum &c. Sed ſi ex ipſius rei præſentiâ, vel accuratiore contemplatione, id omne de eâdem negare cogamur, quod cauſa Admirationis, Amoris, Metûs &c. eſſe poteſt, tum Mens ex ipſâ rei præſentiâ magis ad ea cogitandum, quæ in objecto non ſunt, quàm quæ in ipſo ſunt, determinata manet; cùm tamen contrà ex objecti præſentiâ id præcipuè cogitare ſoleat, quod in objecto eſt. Porrò ſicut Devotio ex rei, quam amamus, Admiratione, ſic Irriſio ex rei, quam odimus, vel metuimus, Contemptu oritur, & Dedignatio ex ſtultitiæ Contemptu, ſicuti Veneratio ex Admiratione prudentiæ. Poſſumus denique Amorem, Spem, Gloriam, & alios Affectus junctos Contemptui concipere, atque inde alios præterea Affectus deducere, quos etiam nullo ſingulari vocabulo ab aliis diſtinguere ſolemus.

PROPOSITIO LIII.

Cùm Mens ſe ipſam, ſuamque agendi potentiam contemplatur, lætatur; & eò magis, quò ſe, ſuamque agendi potentiam diſtinctiùs imaginatur.

DEMONSTRATIO.

Homo ſe ipſum non cognoſcit, niſi per affectiones ſui Corporis, earumque ideas. (*per Prop.* 19. *&* 23. *p.* 2.) Cùm ergo fit, ut Mens ſe ipſam poſſit contemplari, eo ipſo ad majorem perfectionem tranſire, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) lætitiâ affici ſupponitur, & eò majori, quò ſe, ſuamque agendi potentiam diſtinctiùs imaginari poteſt. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hæc Lætitia magis magisque fovetur, quò magis homo ſe ab aliis laudari imaginatur. Nam quò magis ſe ab aliis laudari imaginatur, eò majori Lætitiâ alios ab ipſo affici imaginatur, idque con-

concomitante idea ſui; (*per Schol. Prop.* 29. *hujus*) atque adeò (*per Prop.* 27. *hujus*) ipſe majore Lætitiâ, concomitante ideâ ſui, afficitur. *Q.E.D.*

PROPOSITIO LIV.

Mens ea tantùm imaginari conatur, quæ ipſius agendi potentiam ponunt.

DEMONSTRATIO.

Mentis conatus, ſive potentia eſt ipſa ipſius Mentis eſſentia: (*per Prop.* 7. *hujus*) Mentis autem eſſentia (*ut per ſe notum*) id tantùm, quod Mens eſt, & poteſt, affirmat; at non id, quod non eſt, neque poteſt; adeóque id tantùm imaginari conatur, quod ipſius agendi potentiam affirmat, ſive ponit. *Q.E.D.*

PROPOSITIO LV.

Cùm Mens ſuam impotentiam imaginatur, eo ipſo contriſtatur.

DEMONSTRATIO.

Mentis eſſentia id tantùm, quod Mens eſt, & poteſt, affirmat, ſive de naturâ Mentis eſt eâ tantummodò imaginari, quæ ipſius agendi potentiam ponunt. (*per Prop. præced.*) Cùm itaque dicimus, quòd Mens, dum ſe ipſam contemplatur, ſuam imaginatur impotentiam, nihil aliud dicimus, quàm quòd, dum Mens aliquid imaginari conatur, quod ipſius agendi potentiam ponit, hic ejus conatus coërcetur, ſive (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) quod ipſa contriſtatur. *Q.E.D.*

COROLLARIUM.

Hæc Triſtitia magis ac magis fovetur, ſi ſe ab aliis vituperari imaginatur; quod eodem modo demonſtratur, ac Coroll. Prop. 53. hujus.

SCHOLIUM.

Hæc Triſtitia, concomitante ideâ noſtræ imbecillitatis, Humilitas appellatur; Lætitia autem, quæ ex contemplatione noſtri oritur,

oritur, Philautia, vel Acquieſcentia in ſe ipſo vocatur. Et quoniam hæc toties repetitur, quoties homo ſuas virtutes, ſive ſuam agendi potentiam contemplatur, hinc ergo etiam fit, ut unuſquiſque facta ſua narrare, ſuiſque tam corporis, quàm animi vires oſtentare geſtiat, & ut homines hâc de cauſâ ſibi invicem moleſti ſint. Ex quibus iterum ſequitur, homines natura eſſe invidos, (*vid. Schol. Prop.* 24. *& Schol. Prop.* 32. *hujus*) ſive ob ſuorum æqualium becillitatem gaudere, & contrà propter eorundem virtutem contriſtari. Nam quoties unuſquiſque ſuas actiones imaginatur, toties Lætitiâ (*per Prop.* 53. *hujus*) afficitur, & eò majore, quò actiones plus perfectionis exprimere, & eaſdem diſtinctiùs imaginatur, hoc eſt, (*per illa, quæ in Schol.* 1. *Prop.* 40. *p.* 2. *dicta ſunt*) quò magis eaſdem ab aliis diſtinguere, & ut res ſingulares contemplari poteſt. Quare unuſquiſque ex contemplatione ſui tunc maximè gaudebit, quando aliquid in ſe contemplatur, quod de reliquis negat. Sed ſi id, quod de ſe affirmat, ad univerſalem hominis, vel animalis ideam refert, non tantopere gaudebit; & contrà contriſtabitur, ſi ſuas, ad aliorum actiones comparatas, imbecilliores eſſe imaginetur, quam quidem Triſtitiam (*per Prop.* 28. *hujus*) amovere conabitur, idque ſuorum æqualium actiones perperam interpretando, vel ſuas, quantùm poteſt adornando. Apparet igitur homines naturâ proclives eſſe ad Odium, & Invidiam, ad quàm accedit ipſa educatio. Nam parentes ſolo honoris & Invidiæ ſtimulo liberos ad virtutem concitare ſolent. Sed ſcrupulus forſan remanet, quod non raro hominum virtutes admiremur, eoſque veneremur. Hunc ergo ut amoveam, ſequens addam Corollarium.

COROLLARIUM.

Nemo virtutem alicui, niſi æquali, invidet.

DEMONSTRATIO.

Invidia eſt ipſum Odium, (*vid. Schol. Prop.* 24. *hujus*) ſive (*per Schol. Prop.* 13. *hujus*) Triſtitia, hoc eſt (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) affectio, quâ hominis agendi potentia, ſeu conatus coërcetur. At homo (*per Schol. Prop.* 9. *hujus*) nihil agere conatur, neque cupit, niſi quod ex datâ ſuâ naturâ ſequi poteſt; ergo homo nullam

lam de ſe agendi potentiam, ſeu (quod idem eſt) virtutem prædicari cupiet, quæ naturæ alterius eſt propria, & ſuæ aliena; adeoque ejus Cupiditas coërceri, hoc eſt (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) ipſe contriſtari nequit ex eo, quòd aliquam virtutem in aliquo ipſi diſſimili contemplatur, & conſequenter neque ei invidere poterit. At quidem ſuo æquali, qui cum ipſo ejuſdem naturæ ſupponitur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cùm igitur ſuprà in Scholio Propoſitionis 52. hujus Partis, dixerimus, nos hominem venerari ex eo, quòd ipſius prudentiam, fortitudinem, &c. admiramur, id fit (*ut ex ipſâ Prop. patet*) quia has virtutes ei ſingulariter ineſſe, & non ut noſtræ naturæ communes imaginamur, adeoque eaſdem ipſi non magis invidebimus, quàm arboribus altitudinem, & leonibus fortitudinem, &c.

PROPOSITIO LVI.

Lætitiæ, Triſtitiæ, & Cupiditatis, & conſequenter uniuscujuſque affectûs, qui ex his componitur, ut animi fluctuationis, vel qui ab his derivatur, nempe Amoris, Odii, Spei, Metûs, &c. tot ſpecies dantur, quot ſunt ſpecies objectorum, à quibus afficimur.

DEMONSTRATIO.

Lætitia, & Triſtitia, & conſequenter affectus, qui ex his componuntur, vel ex his derivantur, paſſiones ſunt; (*per Schol. Prop.* 11. *hujus*) nos autem (*per Prop.* 1. *hujus*) neceſſariò patimur, quatenus ideas habemus inadæquatas; & quatenus eaſdem habemus, (*per Prop.* 3. *hujus*) eatenus tantùm patimur, hoc eſt, (*vid Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) eatenus tantùm neceſſariò patimur, quatenus imaginamur, ſive (*vid. Prop.* 17. *p.* 2. *cum ejus Schol.*) quatenus afficimur affectu, qui naturam noſtri Corporis, & naturam corporis externi involvit. Natura igitur uniuscujuſque paſſionis ità neceſſariò debet explicari, ut objecti, à quo afficimur, natura exprimatur. Nempe Lætitia, quæ ex objecto, ex. gr. A oritur, naturam ipſius objecti

objecti A, & Lætitia, quæ ex objecto B oritur, ipſius objecti B naturam involvit; atque adeò hi duo Lætitiæ affectus naturâ ſunt diverſi, quia ex cauſis diverſæ naturæ oriuntur. Sic etiam Triſtitiæ affectus, qui ex uno objecto oritur, diverſus naturâ eſt à Triſtitiâ, quæ ab aliâ cauſâ oritur; quod etiam de Amore, Odio, Spe, Metu, animi Fluctuatione, &c. intelligendum eſt: ac proinde Lætitiæ, Triſtitiæ, Amoris, Odii, &c. tot ſpecies neceſſariò dantur, quot ſunt ſpecies objectorum, à quibus afficimur. At Cupiditas eſt ipſa uniuscujuſque eſſentia, ſeu natura, quatenus ex datâ quâcunque ejus conſtitutione determinata concipitur ad aliquid agendum; (*vid. Schol. Prop.* 9. *hujus*) ergo, prout unuſquiſque à cauſis externis hâc, aut illâ Lætitiæ, Triſtitiæ, Amoris, Odii, &c. ſpecie afficitur, hoc eſt, prout ejus natura hoc, aut alio modo conſtituitur, ità ejus Cupiditas alia, atque alia eſſe, & natura unius à naturâ alterius Cupiditatis tantùm differre neceſſe eſt, quantùm affectus, à quibus unaquæque oritur, inter ſe differunt. Dantur itaque tot ſpecies Cupiditatis, quot ſunt ſpecies Lætitiæ, Triſtitiæ, Amoris, &c. & conſequenter (*per jam oſtenſa*) quot ſunt objectorum ſpecies, à quibus afficimur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Inter affectuum ſpecies, quæ (*per Prop. præc.*) perplurimæ eſſe debent, inſignes ſunt Luxuria, Ebrietas, Libido Avaritia, & Ambitio, quæ non niſi Amoris, vel Cupiditatis ſunt notiones; quæ hujus utriuſque affectûs naturam explicant per objecta, ad quæ referuntur. Nam per Luxuriam, Ebrietatem, Libidinem, Avaritiam, & Ambitionem nihil aliud intelligimus, quàm convivandi, potandi, coëundi, divitiarum, & gloriæ immoderatum Amorem vel Cupiditatem. Præterea hi affectus, quatenus eos per ſolum objectum, ad quod referuntur, ab aliis diſtinguimus, contrarios non habent. Nam Temperantia, quam Luxuriæ, & Sobrietas, quam Ebrietati, & denique Caſtitas, quam Libidini opponere ſolemus, affectus, ſeu paſſiones non ſunt; ſed animi indicant potentiam, quæ hos affectus moderatur. Cæterùm reliquas affectuum ſpecies hîc explicare nec poſſum, (quia tot ſunt, quot objectorum ſpecies) nec, ſi poſſem, neceſſe eſt. Nam ad id, quod intendimus, nempe

ad affectuum vires, & Mentis in eoſdem potentiam determinandum, nobis ſufficit, uniuscujuſque affectûs generalem habere definitionem. Sufficit, inquam, nobis affectuum, & Mentis communes proprietates intelligere, ut determinare poſſimus, qualis, & quanta ſit Mentis potentia in moderandis, & coërcendis affectibus. Quamvis itaque magna ſit differentia inter hunc, & illum Amoris, Odii, vel Cupiditatis affectum, ex. gr. inter Amorem erga liberos & inter Amorem erga uxorem, nobis tamen has differentias cognoſcere, & affectuum naturam, & originem ulteriùs indagare, non eſt opus.

PROPOSITIO LVII.

Quilibet uniuscujusque individui affectus ab affectu alterius tantùm diſcrepat, quantùm eſſentia unius ab eſſentiâ alterius differt.

DEMONSTRATIO.

Hæc Propoſitio patet ex Axiom. 1. quod vide poſt Lem. 3. Schol. Prop. 13. p. 2. At nihilominus eandem ex trium primitivorum affectuum definitionibus demonſtrabimus.

Omnes affectus ad Cupiditatem, Lætitiam, vel Triſtitiam referuntur, ut eorum, quas dedimus definitiones oſtendunt. At Cupiditas eſt ipſa uniuscujuſque natura, ſeu eſſentia; (*vide ejus Defin. in Schol. Prop.* 9. *hujus*) ergo uniuscujuſque individui Cupiditas, à Cupiditate alterius tantùm diſcrepat, quantùm natura, ſeu eſſentia unius ab eſſentiâ alterius differt. Lætitia deinde, & Triſtitia paſſiones ſunt, quibus uniuscujuſque potentia, ſeu conatus in ſuo eſſe perſeverandi augetur, vel minuitur, juvatur, vel coërcetur. (*per Prop.* 11. *hujus & ejus Schol.*) At per conatum in ſuo eſſe perſeverandi, quatenus ad Mentem, & Corpus ſimul refertur, Appetitum, & Cupiditatem intelligimus; (*vide Schol. Prop.* 9. *hujus*) ergo Lætitia, & Triſtitia eſt ipſa Cupiditas, ſive Appetitus, quatenus à cauſis externis augetur, vel minuitur, juvatur, vel coërcetur, hoc eſt, (*per idem Schol.*) eſt ipſa cujuſque natura; atque adeò uniuscujuſque Lætitia, vel Triſtitia, à Lætitiâ, vel Triſtitiâ

ſtitiâ alterius tantùm etiam diſcrepat, quantùm natura, ſeu eſſentia unius ab eſſentiâ alterius differt, & conſequenter quilibet uniuscujuſque individui affectus ab affectu alterius tantùm diſcrepat, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hinc ſequitur affectus animalium, quæ irrationalia dicuntur, (bruta enim ſentire nequaquam dubitare poſſumus, poſtquam Mentis novimus originem) ab affectibus hominum tantùm differre, quantùm eorum natura à naturâ humanâ differt. Fertur quidem equus, & homo Libidine procreandi; at ille Libidine equinâ, hic autem humanâ. Sic etiam Libidines, & Appetitus Inſectorum, piſcium, & avium alii atque alii eſſe debent. Quamvis itaque unumquodque individuum ſuâ, quâ conſtat naturâ, contentum vivat, eâque gaudeat; vita tamen illa, quâ unumquodque eſt contentum, & gaudium nihil aliud eſt, quàm idea, ſeu anima ejusdem individui, atque adeò gaudium unius à gaudio alterius tantùm naturâ diſcrepat, quantùm eſſentia unius ab eſſentiâ alterius differt. Denique ex præcedenti Propoſitione ſequitur, non parùm etiam intereſſe, inter gaudium, quo ebrius ex. gr. ducitur, & inter gaudium quo potitur Philoſophus, quod hîc in tranſitu monere volui. Atque hæc de affectibus, qui ad hominem referuntur, quatenus patitur. Supereſt, ut pauca addam de iis, qui ad eundem referuntur, quatenus agit.

PROPOSITIO LVIII.

Præter Lætitiam, & Cupiditatem, quæ paſſiones ſunt, alii Lætitiæ, & Cupiditatis affectus dantur, qui ad nos, quatenus agimus, referuntur.

DEMONSTRATIO.

Cùm Mens ſe ipſam, ſuamque agendi potentiam concipit, lætatur: (*per Prop.* 53. *hujus*) Mens autem ſe ipſam neceſſariò contemplatur, quando veram, ſive adæquatam ideam concipit. (*per Prop.* 43. *p.* 2.) At Mens quaſdam ideas adæquatas concipit: (*per Schol.* 2. *Prop.* 40. *p.* 2.) Ergo eatenus, etiam lætatur, quatenus

tenus ideas adæquatas concipit, hoc eſt, (*per Prop.* 1. *hujus*) quatenus agit. Deinde Mens tam quatenus claras, & diſtinctas, quàm quatenus confuſas habet ideas, in ſuo eſſe perſeverare conatur: (*per Prop.* 9. *hujus*) At per conatum Cupiditatem intelligimus; (*per ejuſdem Schol.*) ergo Cupiditas ad nos refertur, etiam quatenus intelligimus, ſive (*per Prop.* 1. *hujus*) quatenus agimus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO LIX.

Inter omnes affectus, qui ad Mentem, quatenus agit, referuntur; nulli ſunt, quàm qui ad Lætitiam, vel Cupiditatem referuntur.

DEMONSTRATIO.

Omnes affectus ad Cupiditatem, Lætitiam, vel Triſtitiam referuntur, ut eorum, quas dedimus, definitiones oſtendunt. Per Triſtitiam autem intelligimus, quòd Mentis cogitandi potentia minuitur, vel coërcetur; (*per Prop.* 11. *hujus & ejus Schol.*) adeoque Mens, quatenus contriſtatur, eatenus ejus intelligendi, hoc eſt, ejus agendi potentia (*per Prop.* 1. *hujus*) minuitur, vel coërcetur; adeóque nulli Triſtitiæ affectus ad Mentem referri poſſunt, quatenus agit; ſed tantùm affectus Lætitiæ, & Cupiditatis, qui (*per Prop. præc.*) eatenus etiam ad Mentem referuntur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Omnes actiones, quæ ſequuntur ex affectibus, qui ad Mentem referuntur, quatenus intelligit, ad Fortitudinem refero, quam in Animoſitatem, & Generoſitatem diſtinguo. Nam per *Animoſitatem* intelligo *Cupiditatem, quâ unusquiſque conatur ſuum eſſe ex ſolo rationis dictamine conſervare.* Per *Generoſitatem* autem *Cupiditatem* intelligo, *quâ unusquiſque ex ſolo rationis dictamine conatur reliquos homines juvare, & ſibi amicitiâ jungere.* Eas itaque actiones, quæ ſolùm agentis utile intendunt ad Animoſitatem, & quæ alterius etiam utile intendunt, ad Generoſitatem refero. Temperantia igitur, Sobrietas, & animi in periculis præſentia, &c. Animoſitatis ſunt ſpecies; Modeſtia autem, Clementia &c. ſpecies

cies Generoſitatis ſunt. Atque his puto me præcipuos affectus, animiqúe fluctuationes, quæ ex compoſitione trium primitivorum affectuum, nempe Cupiditatis, Lætitiæ, & Triſtitiæ oriuntur, explicuiſſe, perque primas ſuas cauſas oſtendiſſe; Ex quibus apparet, nos à cauſis externis multis modis agitari, nosque, perinde ut maris undæ, à contrariis ventis agitatæ, fluctuari, noſtri eventûs, atque fati inſcios. At dixi, me præcipuos tantùm, non omnes, qui dari poſſunt, animi conflictus oſtendiſſe. Nam eâdem viâ, quâ ſuprà, procedendo facilè poſſumus oſtendere Amorem eſſe junctum Pœnitentiæ, Dedignationi, Pudori, &c. Imò unicuique ex jam dictis clarè conſtare credo, affectus tot modis alii cum aliis poſſe componi, indeque tot variationes oriri, ut nullo numero definiri queant. Sed ad meum inſtitutum præcipuos tantùm enumeraviſſe ſufficit; nam reliqui, quos omiſi plus curioſitatis, quàm utilitatis haberent. Attamen de Amore hoc notandum reſtat, quòd ſcilicet ſæpiſſimè contingit, dum re, quam appetebamus, fruimur, ut Corpus ex eâ fruitione novam acquirat conſtitutionem, à quâ aliter determinatur, & aliæ rerum imagines in eo excitantur, & ſimul Mens alia imaginari, aliaque cupere incipit. Ex. gr. Cùm aliquid, quod nos ſapore delectare ſolet, imaginamur, eodem frui, nempe comedere cupimus. At quamdiu eodem ſic fruimur, ſtomachus adimpletur, Corpusque aliter conſtituitur. Si igitur Corpore jam aliter diſpoſito, ejuſdem cibi imago, quia ipſe præſens adeſt, fomentetur, & conſequenter conatus etiam, ſive Cupiditas eundem comedendi, huic Cupiditati, ſeu conatui nova illa conſtitutio repugnabit, & conſequenter cibi, quem appetebamus, præſentia odioſa erit, & hoc eſt, quod Faſtidium, & tædium vocamus. Cæterùm Corporis affectiones externas, quæ in affectibus obſervantur, ut ſunt tremor, livor, ſingultus, riſus &c. neglexi, quia ad ſolum Corpus abſque ullâ ad Mentem relatione referuntur. Denique de affectuum definitionibus quædam notanda ſunt, quas propterea hîc ordine repetam, & quid in unaquâque obſervandum eſt, iiſdem interponam.

AFFECTUUM DEFINITIONES.

I. Cupiditas est ipsa hominis essentia, quatenus ex datâ quâcunque ejus affectione determinata concipitur ad aliquid agendum.

EXPLICATIO.

Diximus suprà in Scholio Propositionis 9. hujus Partis, Cupiditatem esse appetitum cum ejusdem conscientiâ; appetitum autem esse ipsam hominis essentiam, quatenus determinata est ad ea agendum, quæ ipsius conservationi inserviunt. Sed in eodem Scholio etiam monui, me reverâ inter humanum appetitum, & Cupiditatem nullam agnoscere differentiam. Nam sive homo sui appetitûs sit conscius, sive non sit, manet tamen appetitus unus, idemque; atque adeò, ne tautologiam committere viderer, Cupiditatem per appetitum explicare nolui; sed eandem ità definire studui, ut omnes humanæ naturæ conatus, quos nomine appetitûs, voluntatis, cupiditatis, vel impetus significamus, unà comprehenderem; Potueram enim dicere, Cupiditatem esse ipsam hominis essentiam, quatenus determinata concipitur ad aliquid agendum; sed ex hâc definitione (*per Prop.* 23. *p.* 2.) non sequeretur, quòd Mens possit suæ Cupiditatis, sive appetitûs esse conscia. Igitur, ut hujus conscientiæ causam involverem, necesse fuit (*per eandem Prop.*) addere, *quatenus ex datâ quâcunque ejus affectione determinata* &c. Nam per affectionem humanæ essentiæ quamcunque ejusdem essentiæ constitutionem intelligimus, sive ea sit innata, sive quòd ipsa per solum Cogitationis, sive per solum Extensionis attributum concipiatur, sive denique quòd ad utrumque simul referatur. Hîc igitur Cupiditatis nomine intelligo hominis quoscunque conatus, impetus, appetitus, & volitiones, qui pro variâ ejusdem hominis constitutione varii, & non rarò adeò sibi invicem oppositi sunt, ut homo diversimodè trahatur, &, quò se vertat, nesciat.

II. Læ-

II. Lætitia est hominis transitio à minore ad majorem perfectionem.

III. Tristitia est hominis transitio à majore ad minorem perfectionem.

EXPLICATIO.

Dico transitionem. Nam Lætitia non est ipsa perfectio. Si enim homo cum perfectione, ad quam transit, nasceretur, ejusdem absque Lætitiæ affectu compos esset; quod clariùs apparet ex Tristitiæ affectu, qui huic est contrarius. Nam quòd Tristitia in transitione ad minorem perfectionem consistit, non autem in ipsâ minore perfectione, nemo negare potest, quandoquidem homo eatenus contristari nequit, quatenus alicujus perfectionis est particeps. Nec dicere possumus, quòd Tristitia in privatione majoris perfectionis consistat; nam privatio nihil est; Tristitiæ autem affectus actus est, qui propterea nullus alius esse potest, quàm actus transeundi ad minorem perfectionem, hoc est, actus quo hominis agendi potentia minuitur, vel coërcetur. (*vide Schol. Prop.* 11. *hujus*) Cæterùm definitiones Hilaritatis, Titillationis, Melancholiæ, & Doloris omitto, quia ad Corpus potissimùm referuntur, & non nisi Lætitiæ, aut Tristitiæ sunt Species.

IV. Admiratio est rei alicujus imaginatio, in quâ Mens defixa propterea manet, quia hæc singularis imaginatio nullam cum reliquis habet connexionem.

EXPLICATIO.

In Scholio Propositionis 18. Partis 2. ostendimus, quænam sit causa, cur Mens, ex contemplatione unius rei, statim in alterius rei cogitationem incidat, videlicet, quia earum rerum imagines invicem concatenatæ, & ità ordinatæ sunt, ut alia aliam sequatur, quod quidem concipi nequit, quando rei imago nova est; sed Mens in ejusdem rei contemplatione detinebitur, donec ab aliis causis ad alia cogitandum determinetur. Rei itaque novæ imaginatio in se considerata ejusdem naturæ est, ac reliquæ, & hâc de causâ ego Admi-

rationem inter affectus non numero, nec cauſam video, cur id facerem, quandoquidem hæc Mentis diſtractio ex nullâ cauſâ poſitivâ, quæ Mentem ab aliis diſtrahat, oritur; ſed tantùm ex eo, quòd cauſa, cur Mens ex unius rei contemplatione ad alia cogitandum determinatur, deficit. Tres igitur, (*ut in Schol. Prop.* 11. *hujus monui*) tantùm affectus primitivos, ſeu primarios agnoſco; nempe, Lætitiæ, Triſtitiæ, & Cupiditatis, nec aliâ de cauſâ verba de Admiratione feci, quàm quia uſu factum eſt, ut quidam affectus, qui ex tribus primitivis derivantur, aliis nominibus indicari ſoleant, quando ad objecta, quæ admiramur, referuntur; quæ quidem ratio me ex æquo movet, ut etiam Contemptûs definitionem his adjungam.

V. Contemptus eſt rei alicujus imaginatio, quæ Mentem adeò parùm tangit, ut ipſa Mens ex rei præſentiâ magis moveatur ad ea imaginandum, quæ in ipſâ re non ſunt, quàm quæ in ipſâ ſunt. *Vid. Schol. Prop.* 52. *hujus.*

Definitiones Venerationis, & Dedignationis miſſas hîc facio, quia nulli, quod ſciam, affectus ex his nomen trahunt.

VI. Amor eſt Lætitia, concomitante ideâ cauſæ externæ.

EXPLICATIO.

Hæc Definitio ſatis clarè Amoris eſſentiam explicat; illa vero Auctorum, qui definiunt *Amorem eſſe voluntatem amantis ſe jungendi rei amatæ*, non Amoris eſſentiam; ſed ejus proprietatem exprimit, &, quia Amoris eſſentia non ſatis ab Auctoribus perſpecta fuit, ideò neque ejus prorietatis ullum clarum conceptum habere potuerunt, & hinc factum, ut eorum definitionem admodum obſcuram eſſe omnes judicaverint. Verùm notandum, cùm dico, proprietatem eſſe in amante, ſe voluntate jungere rei amatæ, me per voluntatem non intelligere conſenſum, vel animi deliberationem, ſeu liberum decretum, (nam hoc fictitium eſſe demonſtravimus Propoſitione 48. Partis 2.) nec etiam Cupiditatem ſeſe jungendi

rei

rei amatæ, quando abeſt, vel perſeverandi in ipſius præſentiâ, quando adeſt; poteſt namque amor abſque hâc, aut illâ Cupiditate concipi: ſed per voluntatem me Acquieſcentiam intelligere, quæ eſt in amante ob rei amatæ præſentiam, à quâ Lætitiâ amantis corroboratur, aut ſaltem fovetur.

VII. Odium eſt Triſtitia, concomitante ideâ cauſæ externæ.

EXPLICATIO.

Quæ hic notanda ſunt, ex dictis in præcedentis Definitionis Explicatione facilè percipiuntur. *Vide præterea Schol. Prop.* 11. *hujus.*

VIII. Propenſio eſt Lætitia, concomitante ideâ alicujus rei, quæ per accidens cauſa eſt Lætitiæ.

IX. Averſio eſt Triſtitia, concomitante ideâ alicujus rei, quæ per accidens cauſa eſt Triſtitiæ. *De his vide Schol. Prop.* 15. *hujus.*

X. Devotio eſt Amor erga eum, quem admiramur.

EXPLICATIO.

Admirationem oriri ex rei novitate, oſtendimus Propoſitione 52. hujus. Si igitur contingat, ut id, quod admiramur, ſæpe imaginamur, idem admirari deſinemus; atque adeò videmus, Devotionis affectum facilè in ſimplicem Amorem degenerare.

XI. Irriſio eſt Lætitia orta ex eo, quòd aliquid, quod contemnimus in re, quam odimus, ei ineſſe imaginamur.

EXPLICATIO.

Quatenus rem, quam odimus, contemnimus, eatenus de eâdem exiſtentiam negamus, (*vide Schol. Prop.* 52. *hujus*) & eatenus (*per Prop.* 20. *hujus*) lætamur. Sed quoniam ſupponimus, hominem id, quod irridet, odio tamen habere, ſequitur, hanc Lætitiam ſolidam non eſſe. *Vid. Schol. Prop.* 47. *hujus.*

XII. Spes eſt inconſtans Lætitia, orta ex ideâ rei futuræ, vel præteritæ, de cujus eventu aliquatenus dubitamus.

XIII. Metus eſt inconſtans Triſtitia, orta ex ideâ rei futuræ, vel præteritæ, de cujus eventu aliquatenus dubitamus. *Vide de his Schol.* 2. *Prop.* 18. *hujus.*

EXPLICATIO.

Ex his definitionibus ſequitur, non dari Spem ſine Metu, neque Metum ſine Spe. Qui enim Spe pendet, & de rei eventu dubitat, is aliquid imaginari ſupponitur, quod rei futuræ exiſtentiam ſecludit; atque adeò eatenus contriſtari, (*per Prop.* 19. *hujus*) & conſequenter, dum Spe pendet, metuere, ut res eveniat. Qui autem contrà in Metu eſt, hoc eſt, de rei, quam odit, eventu dubitat, aliquid etiam imaginatur, quod ejuſdem rei exiſtentiam ſecludit; atque adeò (*per Prop.* 20. *hujus*) lætatur, & conſequenter eatenus Spem habet, ne eveniat.

XIV. Securitas eſt Lætitia, orta ex ideâ rei futuræ, vel præteritæ, de quâ dubitandi cauſa ſublata eſt.

XV. Deſperatio eſt Triſtitia, orta ex ideâ rei futuræ, vel præteritæ, de quâ dubitandi cauſa ſublata eſt.

EXPLICATIO.

Oritur itaque ex Spe Securitas, & ex Metu Deſperatio, quando de rei eventu dubitandi cauſa tollitur, quod fit, quia homo rem præteritam, vel futuram adeſſe imaginatur, & ut præſentem contemplatur; vel quia alia imaginatur, quæ exiſtentiam earum rerum ſecludunt, quæ ipſi dubium injiciebant. Nam tametſi de rerum ſingularium eventu (*per Coroll. Prop.* 31. *p.* 2.) nunquam poſſumus eſſe certi; fieri tamen poteſt, ut de earum eventu non dubitemus. Aliud enim eſſe oſtendimus (*vide Schol. Prop.* 49. *p.* 2.) de re non dubitare, aliud rei certitudinem habere; atque adeò fieri poteſt, ut ex imagine rei præteritæ, aut futuræ, eodem Lætitiæ, vel Triſtitiæ affectu

affectu afficiamur, ac ex rei præsentis imagine, ut in Propositione 18. hujus demonstravimus, quam cum ejusdem Scholio vide.

XVI. Gaudium est Lætitia, concomitante ideâ rei præteritæ, quæ præter Spem evenit.

XVII. Conscientiæ morsus est Tristitia, concomitante ideâ rei præteritæ, quæ præter Spem evenit.

XVIII. Commiseratio est Tristitia, concomitante ideâ mali, quod alteri, quem nobis similem esse imaginamur, evenit. *Vid. Schol. Prop.* 22. *& Schol. Prop.* 27. *hujus.*

EXPLICATIO.

Inter Commiserationem & Misericordiam nulla videtur esse differentia, nisi fortè, quòd Commiseratio singularem affectum respiciat, Misericordia autem ejus habitum.

XIX. Favor est Amor erga aliquem, qui alteri benefecit.

XX. Indignatio est Odium erga aliquem, qui alteri malefecit.

EXPLICATIO.

Hæc nomina ex communi usu aliud significare scio. Sed meum institutum non est, verborum significationem; sed rerum naturam explicare, easque iis vocabulis indicare, quorum significatio, quam ex usu habent, à significatione, quâ eadem usurpare volo, non omnino abhorret, quod semel monuisse sufficiat. Cæterùm horum affectuum causam vide in Corollario 1. Propositionis 27. & Scholiis Propositionis 22. hujus Partis.

XXI. Existimatio est de aliquo præ Amore plùs justo sentire.

XXII. Despectus est de aliquo præ Odio minùs justo sentire.

Ex-

EXPLICATIO.

Est itaque Existimatio Amoris, & Despectus Odii effectus, sive proprietas; atque adeò potest *Existimatio* etiam definiri, quòd sit *Amor*, *quatenus hominem ita afficit*, *ut de re amatâ plùs justo sentiat*, & contra *Despectus*, quòd sit *Odium*, *quatenus hominem ita afficit*, *ut de eo*, *quem odio habet*, *minùs justo sentiat*. Vide de his Schol. Prop. 26. hujus.

XXIII. Invidia est Odium, quatenus hominem ità afficit, ut ex alterius felicitate contristetur, & contrà, ut ex alterius malo gaudeat.

EXPLICATIO.

Invidiæ opponitur communiter Misericordia, quæ proinde, invitâ vocabuli significatione, sic definiri potest.

XXIV. Misericordia est Amor, quatenus hominem ità afficit, ut ex bono alterius gaudeat, & contrà ut ex alterius malo contristetur.

EXPLICATIO.

Cæterùm de Invidiâ vide Schol. Prop. 24. & Schol. Prop. 32. hujus. Atque hi affectus Lætitiæ & Tristitiæ sunt, quos idea rei externæ comitatur, tanquam causa per se, vel per accidens. Hinc ad alios transeo, quos idea rei internæ comitatur, tanquam causa.

XXV. Acquiescentia in se ipso est Lætitia, orta ex eo, quòd homo se ipsum, suamque agendi potentiam contemplatur.

XXVI. Humilitas est Tristitia, orta ex eo, quòd homo suam impotentiam, sive imbecillitatem contemplatur.

EXPLICATIO.

Acquiescentia in se ipso Humilitati opponitur, quatenus per eandem

eandem intelligimus Lætitiam, quæ ex eo oritur, quòd noſtram agendi potentiam contemplamur; ſed quatenus per ipſam etiam intelligimus Lætitiam, concomitante ideâ alicujus facti, quod nos ex Mentis libero decreto feciſſe credimus, tum Pœnitentiæ opponitur, quæ à nobis ſic definitur.

XXVII. Pœnitentia eſt Triſtitia, concomitante idea alicujus facti, quod nos ex libero Mentis decreto feciſſe credimus.

EXPLICATIO.

Horum affectuum cauſas oſtendimus in Schol. Prop. 51. hujus, & Prop. 53, 54, & 55. hujus, ejuſque Schol. De libero autem Mentis decreto vide Schol. Prop. 35. p. 2. Sed hîc præterea notandum venit, mirum non eſſe, quòd omnes omninò actus, qui ex conſuetudine *pravi* vocantur, ſequatur Triſtitia, & illos, qui *recti* dicuntur, Lætitia. Nam hoc ab educatione potiſſimùm pendere, facilè ex ſuprà dictis intelligimus. Parentes nimirùm, illos exprobrando, liberosque propter eoſdem ſæpe objurgando; hos contrà ſuadendo, & laudando, effecerunt, ut Triſtitiæ commotiones illis; Lætitiæ verò his jungerentur. Quod ipſa etiam experientia comprobatur. Nam conſuetudo, & Religio non eſt omnibus eadem; ſed contrà, quæ apud alios ſacra, apud alios profana, & quæ apud alios honeſta, apud alios turpia ſunt. Prout igitur unusquiſque educatus eſt, ità facti alicujus pœnitet, vel eodem gloriatur.

XXVIII. Superbia eſt de ſe præ amore ſui plùs juſto ſentire.

EXPLICATIO.

Differt igitur Superbia ab Exiſtimatione, quòd hæc ad objectum externum, Superbia autem ad ipſum hominem, de ſe plùs juſto ſentientem, referatur. Cæterùm, ut Exiſtimatio Amoris, ſic *Superbia* Philautiæ effectus, vel proprietas eſt, quæ propterea etiam definiri poteſt, quòd ſit *Amor ſui, ſive Acquieſcentia in ſe ipſo, quatenus hominem ità afficit, ut de ſe plùs juſto ſentiat* (vid.

Schol. Prop. 26. hujus.) Huic affectui non datur contrarius. Nam nemo de ſe, præ odio ſui, minùs juſto ſentit; imò nemo de ſe minùs juſto ſentit, quatenus imaginatur, ſe hoc, vel illud non poſſe. Nam quicquid homo imaginatur ſe non poſſe, id neceſſariò imaginatur, & hâc imaginatione ita diſponitur, ut id agere reverâ non poſſit, quod ſe non poſſe imaginatur. Quamdiu enim imaginatur ſe hoc, vel illud non poſſe, tamdiu ad agendum non eſt determinatus; & conſequenter tamdiu impoſſibile ei eſt, ut id agat. Verumenimverò ſi ad illa attendamus, quæ à ſolâ opinione pendent, concipere poterimus fieri poſſe, ut homo de ſe minùs juſto ſentiat; fieri enim poteſt, ut aliquis, dum triſtis imbecillitatem contemplatur ſuam, imaginetur, ſe ab omnibus contemni, idque dum reliqui nihil minus cogitant, quàm ipſum contemnere. Poteſt præterea homo de ſe minùs juſto ſentire, ſi aliquid de ſe in præſenti neget cum relatione ad futurum tempus, cujus eſt incertus; ut quòd neget, ſe nihil certi poſſe concipere, nihilque niſi prava, vel turpia poſſe cupere, vel agere, &c. Poſſumus deinde dicere, aliquem de ſe minùs juſto ſentire, cùm videmus, ipſum ex nimio pudoris metu, ea non audere, quæ alii ipſi æquales audent. Hunc igitur affectum poſſumus Superbiæ opponere, quem Abjectionem vocabo, nam ut ex Acquieſcentia in ſe ipſo Superbia, ſic ex Humilitate Abjectio oritur, quæ proinde à nobis ſic definitur.

XXIX. Abjectio eſt de ſe præ Triſtitiâ minùs juſto ſentire.

EXPLICATIO.

Solemus tamen ſæpe Superbiæ Humilitatem opponere; ſed tum magis ad utriuſque effectus, quàm naturam attendimus. Solemus namque illum ſuperbum vocare, qui nimis gloriatur, (*vide Schol. Prop.* 30. *hujus*) qui non niſi virtutes ſuas, & aliorum non niſi vitia narrat, qui omnibus præferri vult, & qui denique eâ gravitate, & ornatu incedit, quo ſolent alii, qui longè ſupra ipſum ſunt poſiti. Contrà illum humilem vocamus, qui ſæpius erubeſcit, qui ſua vitia fatetur, & aliorum virtutes narrat, qui omnibus cedit & qui denique ſubmiſſo capite ambulat, & ſe ornare negligit. Cæterùm

terùm hi affectus, nempe Humilitas, & Abjectio, rariſſimi ſunt. Nam natura humana, in ſe conſiderata, contra eoſdem, quantùm poteſt, nititur; (*vide Prop.* 15. *&* 34. *hujus*) & ideò, qui maximè creduntur abjecti, & humiles eſſe, maximè plerumque ambitioſi, & invidi ſunt.

XXX. Gloria eſt Lætitia, concomitante ideâ alicujus noſtræ actionis, quam alios laudare imaginamur.

XXXI. Pudor eſt Triſtitia, concomitante ideâ alicujus actionis, quàm alios vituperare imaginamur.

EXPLICATIO.

De his vide Scholium Propoſitionis 30. hujus Partis. Sed hîc notanda eſt differentia, quæ eſt inter Pudorem, & Verecundiam. Eſt enim Pudor Triſtitia, quæ ſequitur factum, cujus pudet. Verecundia autem eſt Metus, ſeu Timor Pudoris, quo homo continetur, ne aliquid turpe committat. Verecundiæ opponi ſolet Impudentia, quæ reverâ affectus non eſt, ut ſuo loco oſtendam: ſed affectuum nomina (ut jam monui) magis eorum uſum, quàm naturam reſpiciunt. Atque hi Lætitiæ, & Triſtitiæ affectus, quos explicare propoſueram, abſolvi. Pergo itaque ad illos, quos ad Cupiditatem refero.

XXXII. Deſiderium eſt Cupiditas, ſive Appetitus re aliquâ potiundi, quæ ejuſdem rei memoriâ fovetur, & ſimul aliarum rerum memoriâ, quæ ejuſdem rei appetendæ exiſtentiam ſecludunt, coërcetur.

EXPLICATIO.

Cùm alicujus rei recordamur, ut jam ſæpe diximus, eo ipſo diſponimur, ad eandem eodem affectu contemplandum, ac ſi res præſens adeſſet; ſed hæc diſpoſitio, ſeu conatus, dum vigilamus, plerumque cohibetur ab imaginibus rerum, quæ exiſtentiam ejus, cujus recordamur, ſecludunt. Quando itaque rei meminimus, quæ nos aliquo Lætitiæ genere afficit, eo ipſo conamur eandem, cum

eodem Lætitiæ affectu, ut præsentem contemplari, qui quidem conatus statim cohibetur memoriâ rerum, quæ illius existentiam secludunt. Quare desiderium reverâ Tristitia est, quæ Lætitiæ opponitur illi, quæ ex absentia rei, quam odimus, oritur, de quâ vide Scholium Propositionis 47. hujus Partis. Sed quia nomen *desiderium* Cupiditatem respicere videtur, ideo hunc affectum ad Cupiditatis affectus refero.

XXXIII. Æmulatio est alicujus rei Cupiditas, quæ nobis ingeneratur ex eo, quòd alios eandem Cupiditatem habere imaginamur.

EXPLICATIO.

Qui fugit, quia alios fugere; vel qui timet, quia alios timere videt; vel etiam ille, qui ex eo, quòd aliquem manum suam combussisse videt, manum ad se contrahit, corpusque movet, quasi ipsius manus combureretur, eum imitari quidem alterius affectum; sed non eundem æmulari dicemus; non quia aliam æmulationis, aliam imitationis novimus causam; sed quia usu factum est, ut illum tantùm vocemus æmulum, qui id, quod homestum, utile, vel jucundum esse judicamus, imitatur. Cæterùm de Æmulationis causâ vide Propositionem 27. hujus Partis cum ejus Scholio. Cur autem huic affectui plerumque juncta sit Invidia, de eo vide Propositionem 32. hujus cum ejusdem Scholio.

XXXIV. Gratia, seu Gratitudo est Cupiditas, seu Amoris studium, quo ei benefacere conamur, qui in nos pari amoris affectu beneficium contulit. *Vide Prop.* 39. *cum Schol. Prop.* 41. *hujus.*

XXXV. Benevolentia est Cupiditas benefaciendi ei, cujus nos miseret. *Vide Schol. Prop.* 27. *hujus.*

XXXVI. Ira est Cupiditas, quâ ex Odio incitamur ad illi, quem odimus; malum inferendum. *Vide Prop.* 39. *hujus.*

XXXVII. Vin-

XXXVII. Vindicta est Cupiditas, quâ ex reciproco Odio concitamur ad malum inferendum ei, qui nobis pari affectu damnum intulit. *Vide* 2. *Coroll. Prop.* 40. *hujus cum ejusdem Schol.*

XXXVIII. Crudelitas, seu Sævitia est Cupiditas, quâ aliquis concitatur ad malum inferendum ei, quem amamus, vel cujus nos miseret.

EXPLICATIO.

Crudelitati opponitur Clementia, quæ passio non est; sed animi potentia, quâ homo iram, & vindictam moderatur.

XXXIX. Timor est Cupiditas majus, quod metuimus, malum minore vitandi. *Vide Schol. Prop.* 39. *hujus.*

XL. Audacia est Cupiditas, quâ aliquis incitatur ad aliquid agendum cum periculo, quod ejus æquales subire metuunt.

XLI. Pusillanimitas dicitur de eo, cujus Cupiditas coërcetur timore periculi, quod ejus æquales subire audent.

EXPLICATIO.

Est igitur Pusillaminitas nihil aliud, quàm Metus alicujus mali, quod plerique non solent metuere; quare ipsam ad Cupiditatis affectus non refero. Eandem tamen hîc explicare volui, quia quatenus ad Cupiditatem attendimus affectui Audaciæ reverâ opponitur.

XLII. Consternatio dicitur de eo, cujus Cupiditas malum vitandi coërcetur admiratione mali, quod timet.

EXPLICATIO.

Est itaque Consternatio Pusillanimitatis species. Sed quia Consternatio ex duplici Timore oritur, ideò commodiùs definiri potest, quod sit *Metus, qui hominem stupefactum, aut fluctuantem ità*

continet, ut is malum amovere non possit. Dico *stupefactum*, quatenus ejus Cupiditatem malum amovendi admiratione coërceri intelligimus. *Fluctuantem* autem dico, quatenus concipimus eandem Cupiditatem coërceri Timore alterius mali, quod ipsum æquè cruciat: unde fit, ut quodnam ex duobus avertat, nesciat. De his vide Schol. Prop. 39. & Schol. Prop. 52. hujus. Cæterùm de Pusillanimitate, & Audaciâ vide Schol. Prop. 51. hujus.

XLIII. Humanitas, seu Modestia est Cupiditas ea faciendi, quæ hominibus placent, & omittendi, quæ displicent.

XLIV. Ambitio est immodica gloriæ Cupiditas.

EXPLICATIO.

Ambitio est Cupiditas, quâ omnes affectus (*per Prop. 27. & 31. hujus*) foventur, & corroborantur; & ideò hic affectus vix superari potest. Nam quamdiu homo aliquâ Cupiditate tenetur, hâc simul necessariò tenetur. *Optimus quisque*, inquit Cicero, *maximè gloriâ ducitur. Philosophi etiam libris, quos de contemnendâ gloriâ scribunt, nomen suum inscribunt, &c.*

XLV. Luxuria est immoderata convivandi Cupiditas, vel etiam Amor.

XLVI. Ebrietas est immoderata potandi Cupiditas, & Amor.

XLVII. Avaritia est immoderata divitiarum Cupiditas, & Amor.

XLVIII. Libido est etiam Cupiditas, & Amor in commiscendis corporibus.

EXPLICATIO.

Sive hæc coëundi Cupiditas moderata sit, sive non sit, Libido appellari solet. Porrò hi quinque affectus (*ut in Schol. Prop. 56. hujus monui*) contrarios non habent. Nam Modestia species est Ambitionis, de quâ vide Schol. Prop. 29. hujus, Temperantiam deinde,

Sobrie-

Sobrietatem, & Caſtitatem Mentis potentiam, non autem paſſionem indicare, jam etiam monui. Et tametſi fieri poteſt, ut homo avarus, ambitioſus, vel timidus à nimio cibo, potu & coitu abſtineat; Avaritia tamen, Ambitio & Timor luxuriæ, ebrietati vel caſtitati non ſunt contrarii. Nam avarus in cibum, & potum, alienum ingurgitare plerumque deſiderat. Ambitioſus autem, modò ſperet fore clàm, in nullâ re ſibi temperabit, & ſi inter ebrios vivat, & libidinoſos, ideò quia ambitioſus eſt, proclivior erit ad eadem vitia. Timidus denique id, quod non vult, facit. Nam quamvis mortis vitandæ cauſâ divitias in mare projiciat, manet tamen avarus; & ſi libidinoſus triſtis eſt, quod ſibi morem gerere nequeat, non deſinit propterea libidinoſus eſſe. Et abſolutè hi affectus non tam ipſos actus convivandi, potandi &c. reſpiciunt, quàm ipſum Appetitum & Amorem. Nihil igitur his affectibus opponi poteſt, præter Generoſitatem & Animoſitatem, de quibus in ſeqq.

Definitiones Zelotypiæ & reliquarum animi fluctuationum ſilentio prætermitto, tam quia ex compoſitione affectuum, quos jam definivimus oriuntur, quàm quia pleræque nomina non habent, quod oſtendit ad uſum vitæ ſufficere, eaſdem in genere tantummodò noſcere. Cæterùm ex Definitionibus affectuum, quos explicuimus, liquet, eos omnes à Cupiditate, Lætitiâ, vel Triſtitia oriri, ſeu potiùs nihil præter hos tres eſſe, quorum unusquiſque variis nominibus appellari ſolet propter varias eorum relationes, & denominationes extrinſecas. Si jam ad hos primitivos, & ad ea, quæ de naturâ Mentis ſuprà diximus, attendere velimus, affectus, quatenus ad ſolam Mentem referuntur, ſic definire poterimus.

AFFECTUUM GENERALIS DEFINITIO.

Affectus, qui animi Pathema dicitur, eſt confuſa idea, quâ Mens majorem, vel minorem ſui Corporis, vel alicujus ejus partis exiſtendi vim, quàm antea, affirmat, & quâ datâ ipſa Mens ad hoc potiùs, quàm ad illud cogitandum determinatur.

Ex-

EXPLICATIO.

Dico primò Affectum, ſeu paſſionem animi eſſe *confuſam ideam.* Nam Mentem eatenus tantùm pati, oſtendimus, (*vide Prop.* 3. *hujus*) quatenus ideas inadæquatas, ſive confuſas habet. Dico deinde, *quâ mens majorem, vel minorem ſui corporis, vel alicujus ejus partis exiſtendi vim, quàm antea, affirmat.* Omnes enim corporum ideæ, quas habemus, magis noſtri Corporis actualem conſtitutionem, (*per Coroll.* 2. *Prop.* 16. *p.* 2.) quàm corporis externi naturam indicant; at hæc, quæ affectûs formam conſtituit, Corporis, vel alicujus ejus partis conſtitutionem indicare, vel exprimere debet, quam ipſum Corpus, vel aliqua ejus pars habet, ex eo, quòd ipſius agendi potentia, ſive exiſtendi vis augetur, vel minuitur, juvatur, vel coërcetur. Sed notandum, cùm dico, *majorem, vel minorem exiſtendi vim, quàm antea,* me non intelligere, quòd Mens præſentem Corporis conſtitutionem cum præteritâ comparat; ſed quòd idea, quæ affectus formam conſtituit, aliquid de corpore affirmat, quod plus, minusve realitatis reverâ involvit, quàm antea: Et quia eſſentia Mentis in hoc conſiſtit, (*per Prop.* 11. *&* 13. *p.* 2.) quòd ſui Corporis actualem exiſtentiam affirmat, & nos per perfectionem ipſam rei eſſentiam intelligimus; ſequitur ergo, quòd Mens ad majorem, minoremve perfectionem tranſit, quando ei aliquid de ſuo corpore, vel aliquâ ejus parte affirmare contingit, quod plus, minusve realitatis involvit, quàm antea. Cùm igitur ſuprà dixerim, Mentis cogitandi potentiam augeri, vel minui, nihil aliud intelligere volui, quàm quòd Mens ideam ſui Corporis, vel alicujus ejus partis formaverit, quæ plus, minusve realitatis exprimit, quàm de ſuo Corpore affirmaverat. Nam idearum præſtantia, & actualis cogitandi potentia ex objecti præſtantia æſtimatur. Addidi denique, *& quâ datâ ipſa Mens ad hoc potiùs, quàm ad aliud cogitandum determinatur*, ut præter Lætitiæ, & Triſtitiæ naturam, quam prima definitionis pars explicat, Cupiditatis etiam naturam exprimerem.

Finis Tertiæ Partis.

ETHI-

ETHICES

Pars Quarta,

DE

Servitute Humanâ, *seu de* Affectuum

VIRIBUS.

PRÆFATIO.

HUmanam impotentiam in moderandis, & coërcendis affectibus Servitutem voco; homo enim affectibus obnoxius sui juris non est, sed fortunæ, in cujus potestate ità est, ut sæpe coäctus sit, quanquam meliora sibi videat, deteriora tamen sequi. Hujus rei causam, & quid præterea affectus boni, vel mali habent, in hâc Parte demonstrare proposui. Sed antequam incipiam, pauca de perfectione, & imperfectione, déque bono, & malo præfari lubet.

Qui rem aliquam facere constituit, eamque perfecit, rem suam perfectam esse, non tantùm ipse; sed etiam unusquisque, qui mentem Auctoris illius operis, & scopum rectè noverit, aut se novisse crediderit, dicet. Ex. gr. si quis aliquod opus (quod suppono nondum esse peractum) viderit, noveritque scopum Auctoris illius operis esse domum ædificare, is domum imperfectam esse dicet, & contrà perfectam, simulatque opus ad finem, quem ejus Auctor eidem dare constituerat, perductum viderit. Verùm si quis opus aliquod videt, cujus simile nunquam viderat, nec

mentem opificis novit, is sanè scire non poterit, opusne illud perfectum, an imperfectum sit. Atque hæc videtur prima fuisse horum vocabulorum significatio. Sed postquam homines ideas universales formare, & domuum, ædificiorum, turrium, &c. exemplaria excogitare, & alia rerum exemplaria aliis præferre inceperunt, factum est, ut unusquisque id perfectum vocaret, quod cum universali ideâ, quam ejusmodi rei formaverat, videbat convenire, & id contrà imperfectum, quod cum concepto suo exemplari minùs convenire videret, quanquam ex opificis sententiâ consummatum planè esset. Nec alia videtur esse ratio, cur res naturales etiam, quæ scilicet humanâ manu non sunt factæ, perfectas, aut imperfectas vulgò appellent; solent namque homines tam rerum naturalium, quàm artificialium ideas formare universales, quas rerum veluti exemplaria habent, & quas naturam (quam nihil nisi alicujus finis causâ agere existimant) intueri credunt, sibique exemplaria proponere. Cùm itaque aliquid in naturâ fieri vident, quod cum concepto exemplari, quod rei ejusmodi habent, minùs convenit, ipsam naturam tum defecisse, vel peccavisse, remque illam imperfectam reliquisse, credunt. Videmus itaque homines consuevisse, res naturales perfectas, aut imperfectas vocare, magis ex præjudicio, quàm ex earum verâ cognitione. Ostendimus enim in Primæ Partis Appendice Naturam propter finem non agere; æternum namque illud, & infinitum Ens, quod Deum, seu Naturam appellamus, eâdem, quâ existit, necessitate agit. Ex quâ enim naturæ necessitate existit, ex eâdem ipsum agere ostendimus. (Prop. 16. p. 1.) *Ratio igitur, seu causa, cur Deus, seu Natura agit, & cur existit, una, eademque est. Ut ergo nullius finis causâ existit, nullius etiam finis*

causâ

cauſâ agit; ſed ut exiſtendi, ſic & agendi principium, vel finem habet nullum. Cauſa autem, quæ finalis dicitur, nihil eſt præter ipſum humanum appetitum, quatenus is alicujus rei veluti principium, ſeu cauſa primaria conſideratur. Ex. gr. cùm dicimus habitationem cauſam fuiſſe finalem hujus, aut illius domûs, nihil tùm ſanè intelligimus aliud, quàm quòd homo ex eo, quòd vitæ domeſticæ commoda imaginatus eſt, appetitum habuit ædificandi domum. Quare habitatio, quatenus ut finalis cauſa conſideratur, nihil eſt præter hunc ſingularem appetitum, qui reverâ cauſa eſt efficiens, quæ ut prima conſideratur, quia homines ſuorum appetituum cauſas communiter ignorant. Sunt namque, ut jam ſæpe dixi, ſuarum quidem actionum, & appetituum conſcii; ſed ignari cauſarum, à quibus ad aliquid appetendum determinantur. Quòd præterea vulgò ajunt, Naturam aliquando deficere, vel peccare, reſque imperfectas producere, inter commenta numero, de quibus in Appendice Partis primæ egi. Perfectio igitur, & imperfectio reverâ modi ſolummodò cogitandi ſunt, nempe notiones, quas fingere ſolemus ex eo, quòd ejuſdem ſpeciei, aut generis individua ad invicem comparamus: & hâc de cauſâ ſuprà (Defin. 6. p. 2.) *dixi me per realitatem, & perfectionem idem intelligere; ſolemus enim omnia Naturæ individua ad unum genus, quod generaliſſimum appellatur, revocare; nempe ad notionem entis, quæ ad omnia abſolutè Naturæ individua pertinet. Quatenus itaque Naturæ individua ad hoc genus revocamus, & ad invicem comparamus, & alia plus entitatis, ſeu realitatis, quàm alia habere comperimus, eatenus alia aliis perfectiora eſſe dicimus; & quatenus iiſdem aliquid tribuimus, quod negationem involvit, ut terminus, finis, impotentia, &c. eatenus*

ipſa imperfecta appellamus, quia noſtram Mentem non æquè afficiunt, ac illa, quæ perfecta vocamus, & non quòd ipſis aliquid, quod ſuum ſit, deficiat, vel quòd Natura peccaverit. Nihil enim naturæ alicujus rei competit, niſi id, quod ex neceſſitate naturæ cauſæ efficientis ſequitur, & quicquid ex neceſſitate naturæ cauſæ efficientis ſequitur, id neceſſariò fit.

Bonum, & malum quod attinet, nihil etiam poſitivum in rebus, in ſe ſcilicet conſideratis, indicant, nec aliud ſunt, præter cogitandi modos, ſeu notiones, quas formamus ex eo, quòd res ad invicem comparamus. Nam una, eademque res poteſt eodem tempore bona, & mala, & etiam indifferens eſſe. Ex. gr. Muſica bona eſt Melancholico, mala lugenti; ſurdo autem neque bona, neque mala. Verùm, quamvis ſe res ità habeat, nobis tamen hæc vocabula retinenda ſunt. Nam quia ideam hominis, tanquam naturæ humanæ exemplar, quod intueamur, formare cupimus, nobis ex uſu erit, hæc eadem vocabula eo, quo dixi, ſenſu retinere. Per bonum itaque in ſeqq. intelligam id, quod certò ſcimus medium eſſe, ut ad exemplar humanæ naturæ, quod nobis proponimus, magis magiſque accedamus. Per malum autem id, quod certò ſcimus impedire, quò minus idem exemplar referamus. Deinde homines perfectiores, aut imperfectiores dicemus, quatenus ad hoc idem exemplar magis, aut minùs accedunt. Nam apprimè notandum eſt, cùm dico, aliquem à minore ad majorem perfectionem tranſire, & contrà, me non intelligere, quòd ex unâ eſſentiâ, ſeu formâ in aliam mutatur; Equus namque ex. gr. tàm deſtruitur, ſi in hominem, quàm ſi in inſectum mutetur: ſed quòd ejus agendi potentiam, quatenus hæc per ipſius naturam intelligitur, augeri, vel minui concipimus. Denique per perfe-

ctionem

ctionem in genere realitatem, uti dixi, intelligam, hoc est, rei cujuscunque essentiam, quatenus certo modo existit, & operatur, nullâ ipsius durationis habitâ ratione. Nam nulla res singularis potest ideò dici perfectior, quia plus temporis in existendo perseveravit; quippe rerum duratio ex earum essentiâ determinari nequit; quandoquidem rerum essentia nullum certum, & determinatum existendi tempus involvit; sed res quæcunque, sive ea perfectior sit, sive minùs, eâdem vi, quâ existere incipit, semper in existendo perseverare poterit, ità ut omnes hâc in re æquales sint.

Definitiones.

I. Per bonum id intelligam, quod certò scimus nobis esse utile.

II. Per malum autem id, quod certò scimus impedire, quò minùs boni alicujus simus compotes.

De his præcedentem vide præfationem sub finem.

III. Res singulares voco contingentes, quatenus, dum ad earum solam essentiam attendimus, nihil invenimus, quod earum existentiam necessariò ponat, vel quod ipsam necessariò secludat.

IV. Easdem res singulares voco possibiles, quatenus, dum ad causas, ex quibus produci debent, attendimus, nescimus, an ipsæ determinatæ sint ad easdem producendum.

In Schol. 1. Prop. 33. p. 1. inter possibile, & contingens nullam feci differentiam, quia ibi non opus erat hæc accuratè distinguere.

V. Per contrarios affectus in seqq. intelligam eos, qui

hominem diverſum trahunt, quamvis ejuſdem ſint generis, ut luxuries, & avaritia, quæ amoris ſunt ſpecies; nec naturâ; ſed per accidens ſunt contrarii.

VI. Quid per affectum erga rem futuram, præſentem, & præteritam intelligam, explicui in Schol. 1. & 2. Prop. 18. p. 3. quod vide.

Sed venit hic præterea notandum, quòd ut loci, ſic etiam temporis diſtantiam non, niſi uſque ad certum quendam limitem, poſſumus diſtinctè imaginari; hoc eſt, ſicut omnia illa objecta, quæ ultra ducentos pedes à nobis diſtant, ſeu quorum diſtantia à loco, in quo ſumus, illam ſuperat, quàm diſtinctè imaginamur, æquè à nobis diſtare, & perinde, ac ſi in eodem plano eſſent, imaginari ſolemus; ſic etiam objecta, quorum exiſtendi tempus longiore à præſenti intervallo abeſſe imaginamur, quàm quod diſtincte imaginari ſolemus, omnia æquè longè à præſenti diſtare imaginamur, & ad unum quaſi temporis momentum referimus.

VII. Per finem, cujus cauſà aliquid facimus, appetitum intelligo.

VIII. Per virtutem, & potentiam idem intelligo, hoc eſt *(per Prop. 7. p. 3.)* virtus, quatenus ad hominem refertur, eſt ipſa hominis eſſentia, ſeu natura, quatenus poteſtatem habet, quædam efficiendi, quæ per ſolas ipſius naturæ leges poſſunt intelligi.

AXIOMA.

Nulla res ſingularis in rerum naturâ datur, quâ potentior, & fortior non detur alia. Sed quâcunque datâ datur alia potentior, â quâ illa data poteſt deſtrui.

PRO-

Propositio I.

Nihil, quod idea falsa positivum habet, tollitur præsentiâ veri, quatenus verum.

Demonstratio.

Falsitas in solâ privatione cognitionis, quam ideæ inadæquatæ involvunt, consistit, (*per Prop.* 35. *p.* 2.) nec ipsæ aliquid habent positivum, propter quod falsæ dicuntur; (*per Prop.* 33. *p.* 2.) Sed contrà, quatenus ad Deum referuntur, veræ sunt. (*per Prop.* 32. *p.* 2.) Si igitur id, quod idea falsa positivum habet, præsentiâ veri, quatenus verum est, tolleretur, tolleretur ergò idea vera à se ipsâ, quod (*per Prop.* 4. *p.* 3.) est absurdum. Ergo Nihil, quod idea, &c. *Q. E. D.*

Scholium.

Intelligitur hæc Propositio clariùs ex 2. Coroll. Prop. 16. p. 2. Nam imaginatio idea est, quæ magis Corporis humani præsentem constitutionem, quàm corporis externi naturam indicat, non quidem distinctè; sed confusè; unde fit, ut Mens errare dicatur. Ex. gr. Cùm solem intuemur, eundem ducentos circiter pedes à nobis distare imaginamur; in quo tamdiu fallimur, quamdiu veram ejus distantiam ignoramus; sed cognitâ ejusdem distantiâ tollitur quidem error; sed non imaginatio, hoc est, idea solis, quæ ejusdem naturam eatenus tantùm explicat, quatenus Corpus ab eodem afficitur; adeóque, quamvis veram ejusdem distantiam noscamus, ipsum nihilominùs propè nobis adesse imaginabimur. Nam ut in Schol. Prop. 35. p. 2. diximus, non eâ de causâ solem adeò propinquum imaginamur, quia ejus veram distantiam ignoramus; sed quia Mens eatenus magnitudinem solis concipit, quatenus Corpus ab eodem afficitur. Sic cùm solis radii, aquæ superficiei incidentes, ad nostros oculos reflectuntur, eundem perinde, ac si in aquâ esset, imaginamur; tametsi verum ejus locum noverimus, & sic reliquæ imaginationes, quibus Mens fallitur, sive eæ naturalem Corporis constitutionem, sive, quòd ejusdem agendi potentiam augeri, vel minui indicant, vero non

sunt

ſunt contrariæ, nec ejuſdem præſentiâ evaneſcunt. Fit quidem cùm falſò aliquod malum timemus, ut timor evaneſcat, audito vero nuntio; ſed contrà etiam fit, cùm malum, quod certè venturum eſt, timemus, ut timor etiam evaneſcat, audito falſo nuntio; atque adeò imaginationes non præſentiâ veri, quatenus verum, evaneſcunt; ſed quia aliæ occurrunt, iis fortiores, quæ rerum, quas imaginamur, præſentem exiſtentiam ſecludunt, ut Prop. 17. p. 2. oſtendimus.

PROPOSITIO II.

Nos eatenus patimur, quatenus Naturæ ſumus pars, quæ per ſe abſque aliis non poteſt concipi.

DEMONSTRATIO.

Nos tum pati dicimur, cùm aliquid in nobis oritur, cujus non niſi partialis ſumus cauſa, (*per Defin.* 2. *p.* 3.) hoc eſt, (*per Defin.* 1. *p.* 3.) aliquid, quod ex ſolis legibus noſtræ naturæ deduci nequit. Patimur igitur, quatenus Naturæ ſumus pars, quæ per ſe abſque aliis nequit concipi. *Q. E. D.*

PROPOSITIO III.

Vis, quâ homo in exiſtendo perſeverat, limitata eſt, & à potentiâ cauſarum externarum infinitè ſuperatur.

DEMONSTRATIO

Patet ex Axiomate hujus. Nam dato homine datur aliquid aliud, puta A potentius, & dato A datur deinde aliud, puta B, ipſo A potentius, & hoc in infinitum; ac proinde potentia hominis potentiâ alterius rei definitur, & à potentiâ cauſarum externarum infinitè ſuperatur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO IV.

Fieri non poteſt, ut homo non ſit Naturæ pars, & ut nullas poſſit pati mutationes, niſi, quæ per ſolam ſuam naturam poſſint intelligi, quarumque adæquata ſit cauſa.

DE-

Demonstratio.

Potentia, quâ res ſingulares, & conſequenter homo ſuum eſſe conſervat, eſt ipſa Dei, ſive Naturæ potentia, (*per Coroll. Prop.* 24. *p.* 2.) non quatenus infinita eſt; ſed quatenus per humanam actualem eſſentiam explicari poteſt. (*per Prop.* 7. *p.* 3.) Potentia itaque hominis, quatenus per ipſius actualem eſſentiam explicatur, pars eſt infinitæ Dei, ſeu Naturæ potentiæ, hoc eſt, (*per Prop.* 34. *p.* 1.) eſſentiæ. Quod erat primum. Deinde ſi fieri poſſit, ut homo nullas poſſit pati mutationes, niſi, quæ per ſolam ipſius hominis naturam poſſint intelligi, ſequeretur, (*per Prop.* 4. *&* 6. *p.* 3.) ut non poſſit perire; ſed ut ſemper neceſſariò exiſteret; atque hoc ſequi deberet ex cauſâ, cujus potentia finita, aut infinita ſit, nempe vel ex ſolâ hominis potentiâ, qui ſcilicet potis eſſet, ut à ſe removeret reliquas mutationes, quæ à cauſis externis oriri poſſent; vel infinita Naturæ potentia, à quâ omnia ſingularia ità dirigerentur, ut homo nullas alias poſſet pati mutationes, niſi quæ ipſius conſervationi inſerviunt. At primum (*per Prop. præced. cujus demonſtratio univerſalis eſt, & ad omnes res ſingulares applicari poteſt*) eſt abſurdum; ergo ſi fieri poteſt, ut homo nullas pateretur mutationes, niſi quæ per ſolam ipſius hominis naturam poſſent intelligi; & conſequenter (*ſicut jam oſtendimus*) ut ſemper neceſſariò exiſteret, id ſequi deberet ex Dei infinita potentia: & conſequenter (*per Prop.* 16. *p.* 1.) ex neceſſitate divinæ naturæ, quatenus alicujus hominis idea affectus conſideratur, totius Naturæ ordo, quatenus ipſa ſub Extenſionis, & Cogitationis attributis concipitur, deduci deberet; atque adeò (*per Prop.* 21. *p.* 2.) ſequeretur, ut homo eſſet infinitus, quod (*per* 1. *part. hujus Demonſtrationis*) eſt abſurdum. Fieri itaque nequit, ut homo ullas alias patiatur mutationes, niſi quarum ipſe adæquata ſit cauſa. *Q. E. D.*

Corollarium.

Hinc ſequitur, hominem neceſſariò paſſionibus eſſe ſemper obnoxium, communemque Naturæ ordinem ſequi, & eidem parere, ſeſéque eidem, quantùm rerum natura exigit, accommodare.

PROPOSITIO V.

Vis, & incrementum cujuscunque paſſionis, ejuſque in exiſtendo perſeverantia non definitur potentiâ, quâ nos in exiſtendo perſeverare conamur; ſed cauſæ externæ potentiâ cum noſtrâ comparatâ.

DEMONSTRATIO.

Paſſionis eſſentia non poteſt per ſolam noſtram eſſentiam explicari, (*per Defin.* 1. *&* 2. *p.* 3.) hoc eſt, (*per Prop.* 7. *p.* 3.) paſſionis potentia definiri nequit potentiâ, quâ in noſtro eſſe perſeverare conamur; ſed (*ut Prop.* 16. *p.* 2. *oſtenſum eſt*) definiri neceſſariò debet potentiâ cauſæ externæ cum noſtrâ comparatâ. *Q. E. D.*

PROPOSITIO VI.

Vis alicujus paſſionis, ſeu affectûs reliquas hominis actiones, ſeu potentiam ſuperare poteſt, ità ut affectus pertinaciter homini adhæreat.

DEMONSTRATIO.

Vis, & incrementum cujuscunque paſſionis, ejuſque in exiſtendo perſeverantia definitur potentiâ cauſæ externæ cum noſtrâ comparatâ; (*per Prop. præc.*) adeoque (*per Prop.* 3. *hujus*) hominis potentiam ſuperare poteſt, &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO VII.

Affectus coërceri, nec tolli poteſt, niſi per affectum contrarium, & fortiorem affectu coërcendo.

DEMONSTRATIO.

Affectus, quatenus ad Mentem refertur, eſt idea, quâ Mens majorem, vel minorem ſui corporis exiſtendi vim, quàm antea, affirmat. (*per generalem Affectuum definitionem, quæ reperitur ſub finem Tertiæ Partis*) Cùm igitur Mens aliquo affectu conflictatur, Corpus afficitur ſimul affectione, quâ ejus agendi potentia augetur,

tur, vel minuitur. Porrò hæc Corporis affectio *(per Prop. 5. hujus)* vim à ſuâ cauſâ accipit perſeverandi in ſuo eſſe; quæ proinde nec coërceri, nec tolli poteſt, niſi à cauſâ corporeâ, *(per Prop. 6. p. 2.)* quæ Corpus afficiat affectione illi contrariâ, *(per Prop. 5. p. 3.)* & fortiore: *(per Axiom. 1. hujus)* atque adeò *(per Prop. 12. p. 2.)* Mens afficitur ideâ affectionis fortioris, & contrariæ priori, hoc eſt *(per general. affectuum Defin.)* Mens afficietur affectu fortiori, & contrario priori, qui ſcilicet prioris exiſtentiam ſecludet, vel tollet; ac proinde affectus nec tolli, nec coërceri poteſt, niſi per affectum contrarium, & fortiorem. *Q. E. D.*

Corollarium.

Affectus, quatenus ad Mentem refertur, nec coërceri, nec tolli poteſt, niſi per ideam Corporis affectionis contrariæ, & fortioris affectiones, quâ patimur. Nam affectus, quo patimur, nec coërceri, nec tolli poteſt, niſi per affectum eodem fortiorem, eique contrarium, *(per Prop. præc)* hoc eſt, *(per gener. affect. Defin.)* niſi per ideam Corporis affectionis fortioris, & contrariæ affectioni, quâ patimur.

Propositio VIII.

Cognitio boni, & mali nihil aliud eſt, quàm Lætitiæ, vel Triſtitiæ affectus, quatenus ejus ſumus conſcii.

Demonstratio.

Id bonum, aut malum vocamus, quod noſtro eſſe conſervando prodeſt, vel obeſt, *(per Defin. 1. & 2. hujus)* hoc eſt, *(per Prop. 7. p. 3.)* quod noſtram agendi potentiam auget, vel minuit, juvat, vel coërcet. Quatenus itaque *(per Defin. Lætitiæ, & Triſtitiæ, quas vide in Schol. Prop. 11. p. 3.)* rem aliquam nos Lætitiâ, vel Triſtitiâ afficere percipimus, eandem bonam, aut malam vocamus; atque adeò boni, & mali cognitio, nihil aliud eſt, quàm Lætitiæ, vel Triſtitiæ idea, quæ ex ipſo Lætitiæ, vel Triſtitiæ affectu neceſſariò ſequitur. *(per Prop. 22. p. 2.)* At hæc idea eodem modo unita eſt affectui, ac Mens unita eſt Corpori, *(per Prop. 21. p. 2.)* hoc eſt, *(ut in Schol. ejuſdem Prop. oſtenſum)* hæc idea ab ipſo affectu,

fectu, ſive *(per gen. affect. Defin.)* ab ideâ Corporis affectionis reverâ non diſtinguitur; niſi ſolo conceptu; ergo hæc cognitio boni, & mali nihil eſt aliud, quàm ipſe affectus, quatenus ejuſdem ſumus conſcii. *Q. E. D.*

PROPOSITIO IX.

Affectus, cujus cauſam in præſenti nobis adeſſe imaginamur, fortior eſt, quàm ſi eandem non adeſſe imaginaremur.

DEMONSTRATIO.

Imaginatio eſt idea, quâ Mens rem ut præſentem contemplatur, *(vide ejus Defin. in Schol. Pr. 17. p. 2.)* quæ tamen magis Corporis humani conſtitutionem, quàm rei externæ naturam indicat. (*per Coroll. 2. Prop. 16. p. 2.*) Eſt igitur affectus (*per gen. affect. Defin.*) imaginatio, quatenus corporis conſtitutionem indicat. At imaginatio (*per Prop. 17. p. 2.*) intenſior eſt, quamdiu nihil imaginamur, quod rei externæ præſentem exiſtentiam ſecludit; ergo etiam affectus, cujus cauſam in præſenti nobis adeſſe imaginamur, intenſior, ſeu fortior eſt, quàm ſi eandem non adeſſe imaginaremur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cùm ſuprà in Propoſitione 18. Partis 3. dixerim, nos ex rei futuræ, vel præteritæ imagine eodem affectu affici, ac ſi res, quam imaginamur, præſens eſſet, expreſſè monui id verum eſſe, quatenus ad ſolam ipſius rei imaginem attendimus; eſt enim ejuſdem naturæ, ſive res imaginati ſimus, ſive non ſimus: ſed non negavi eandem debiliorem reddi, quando alias res nobis præſentes contemplamur, quæ rei futuræ præſentem exiſtentiam ſecludunt, quod tum monere neglexi, quia in hâc Parte de affectuum viribus agere conſtitueram.

COROLLARIUM.

Imago rei futuræ, vel præteritæ, hoc eſt, rei, quam cum relatione ad tempus futurum, vel præteritum ſecluſo præſenti contemplamur, cæteris paribus, debilior eſt imagine rei præſentis, & conſequen-

sequenter affectus erga rem futuram, vel præteritam, cæteris paribus, remissior est affectu erga rem præsentem.

Propositio X.

Erga rem futuram, quàm citò affuturam imaginamur, intensiùs afficimur, quàm si ejus existendi tempus longiùs à præsenti distare imaginaremur; & memoriâ rei, quam non diu præteriisse imaginamur, intensiùs etiam afficimur, quàm si eandem diu præteriisse imaginaremur.

Demonstratio.

Quatenus enim rem citò affuturam, vel non diu præteriisse imaginamur, eo ipso aliquid imaginamur, quod rei præsentiam minùs secludit, quàm si ejusdem futurum existendi tempus longiùs à præsenti distare, vel quòd dudum præterierit, imaginaremur; (*ut per se notum*) adeoque (*per præced. Prop.*) eatenus intensiùs erga eandem afficiemur. *Q. E. D.*

Scholium.

Ex iis, quæ ad Definitionem 6. hujus Partis notavimus, sequitur, nos erga objecta, quæ à præsenti longiori temporis intervallo distant, quàm quod imaginando determinare possumus, quamvis ab invicem longo temporis intervallo distare intelligamus, æquè tamen remissè affici.

Propositio XI.

Affectus erga rem, quam ut necessariam imaginamur, cæteris paribus, intensior est, quàm erga possibilem, vel contingentem, sive non necessariam.

Demonstratio.

Quatenus rem aliquam necessariam esse imaginamur, eatenus ejus existentiam affirmamus, & contrà rei existentiam negamus, quatenus eandem non necessariam esse imaginamur; (*per Schol. 1. Prop. 33. p. 1.*) ac proinde (*per Prop. 9. hujus*) affectus erga

rem neceſſariam, cæteris paribus, intenſior eſt, quàm erga non neceſſariam, *Q. E. D.*

PROPOSITIO XII.

Affectus erga rem, quam ſcimus in præſenti non exiſtere, & qnam ut poſſibilem imaginamur, cæteris paribus, intenſior eſt, quàm erga contingentem.

DEMONSTRATIO.

Quatenus rem ut contingentem imaginamur, nullâ alterius rei imagine afficimur, quæ rei exiſtentiam ponat: (*per Defin. 3. hujus*) ſed contrà (*ſecundùm Hypotheſin*) quædam imaginamur, quæ ejuſdem præſentem exiſtentiam ſecludunt. At quatenus rem in futurum poſſibilem eſſe imaginamur, eatenus quædam imaginamur, quæ ejuſdem exiſtentiam ponunt, (*per Defin. 4. hujus*) hoc eſt, (*per Prop. 18. p. 3.*) quæ Spem, vel Metum fovent; atque adeò affectus erga rem poſſibilem vehementior eſt. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Affectus erga rem, quàm ſcimus in præſenti non exiſtere, & quam ut contingentem imaginamur, multò remiſſior eſt, quàm ſi rem in præſenti nobis adeſſe imaginaremur.

DEMONSTRATIO.

Affectus erga rem, quam in præſenti exiſtere imaginamur, intenſior eſt, quàm ſi eandem ut futuram imaginaremur, (*per Coroll. Prop. 9. hujus*) & multò vehementior eſt, ſi tempus futurum à præſenti non multùm diſtare imaginaremur. (*per Prop. 10. hujus*) Eſt itaque affectus erga rem, cujus exiſtendi tempus longè à præſenti diſtare imaginamur, multò remiſſior, quàm ſi eandem ut præſentem imaginaremur, & nihilominùs (*per Prop. præc.*) intenſior eſt, quàm ſi eandem rem ut contingentem imaginaremur; atque adeò affectus erga rem contingentem multò remiſſior erit, quàm ſi rem in præſenti nobis adeſſe imaginaremur. *Q. E. D.*

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Affectus erga rem contingentem, quam ſcimus in præſenti non exiſtere, cæteris paribus remiſſior eſt, quàm affectus erga rem præteritam.

DEMONSTRATIO.

Quatenus rem ut contingentem imaginamur, nullâ alterius rei imagine afficimur, quæ rei exiſtentiam ponat; (*per Defin. 3. hujus*) Sed contrà (*ſecundùm Hypotheſin*) quædam imaginamur, quæ ejuſdem præſentem exiſtentiam ſecludunt. Verùm quatenus eandem cum relatione ad tempus præteritum imaginamur, eatenus aliquid imaginari ſupponimur, quod ipſam ad memoriam redigit, ſive quod rei imaginem excitat, (*vide Prop. 18. p. 2. cum ejuſdem Schol.*) ac proinde eatenus efficit, ut ipſam, ac ſi præſens eſſet, contemplemur: (*per Coroll. Prop. 17. p. 2.*) Atque adeò (*per Prop. 9. hujus*) affectus erga rem contingentem, quam ſcimus in præſenti non exiſtere, cæteris paribus, remiſſior erit, quàm affectus erga rem præteritam. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XIV.

Vera boni, & mali cognitio, quatenus vera, nullum affectum coërcere poteſt; ſed tantùm, quatenus ut affectus conſideratur.

DEMONSTRATIO.

Affectus eſt idea, quâ Mens majorem, vel minorem ſui Corporis exiſtendi vim, quàm antea, affirmat; (*per gen. Aff. Defin.*) atque adeò (*per Prop. 1. hujus*) nihil poſitivum habet, quod præſentiâ veri tolli poſſit, & conſequenter vera boni, & mali cognitio, quatenus vera, nullum affectum coërcere poteſt. At quatenus affectus eſt, (*vide Prop. 8. hujus*) ſi fortior affectu coërcendo ſit, eatenus tantùm (*per Prop. 7. hujus*) affectum coërcere poterit. *Q. E. D.*

PRO-

PROPOSITIO XV.

Cupiditas, quæ ex verâ boni, & mali cognitione oritur, multis aliis Cupiditatibus, quæ ex affectibus, quibus conflictamur, oriuntur, restingui, vel coërceri potest.

DEMONSTRATIO.

Ex verâ boni, & mali cognitione, quatenus hæc (*per Prop.* 8. *hujus*) affectus est, oritur necessariò Cupiditas, (*per* 1. *affect. Def.*) quæ eò est major, quò affectus, ex quo oritur, major est: (*per Prop.* 37. *p.* 3.). Sed quia hæc Cupiditas (*per Hypothesin*) ex eo, quòd aliquid verè intelligimus, oritur, sequitur ergo ipsa in nobis, quatenus agimus; (*per Prop.* 3. *p.* 3.) atque adeò per solam nostram essentiam debet intelligi; (*per Defin.* 2. *p.* 3.) & consequenter (*per Prop.* 7. *p.* 3.) ejus vis, & incrementum solâ humanâ potentia definiri debet. Porrò Cupiditates, quæ ex affectibus, quibus conflictamur, oriuntur, eò etiam majores sunt, quò hi affectus vehementiores erunt; atque adeò earum vis, & incrementum (*per Prop.* 5. *hujus*) potentiâ causarum externarum definiri debet, quæ, si cum nostrâ comparetur, nostram potentiam indefinitè superat: (*per Prop.* 3. *hujus*) atque adeò Cupiditates, quæ ex similibus affectibus oriuntur, vehementiores esse possunt illâ, quæ ex verâ boni, & mali cognitione oritur, ac proinde (*per Prop.* 7. *hujus*) eandem coërcere, vel restinguere poterunt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XVI.

Cupiditas, quæ ex cognitione boni, & mali, quatenus hæc cognitio futurum respicit, oritur, faciliùs rerum Cupiditate, quæ in præsentiâ suaves sunt, coërceri, vel restingui potest.

DEMONSTRATIO.

Affectus erga rem, quam futuram imaginamur, remissior est, quàm erga præsentem. (*per Coroll. Prop.* 9. *hujus*) At Cupiditas, quæ ex verâ boni, & mali cognitione oritur; tametsi hæc cognitio circa res, quæ in præsentiâ bonæ sunt, versetur, restingui, vel coër-

coërceri poteſt aliquâ temerariâ Cupiditate; (*per Prop. præced. cujus dem. univerſalis eſt*) ergo Cupiditas, quæ ex eâdem cognitione, quatenus hæc futurum reſpicit, oritur, faciliùs coërceri, vel reſtingui poterit, &c. *Q. E. D.*

Propositio XVII.

Cupiditas, quæ oritur ex verâ boni, & mali cognitione, quatenus hæc circa res contingentes verſatur, multò adhuc faciliùs coërceri poteſt, Cupiditate rerum, quæ præſentes ſunt.

Demonstratio.

Propoſitio hæc eodem modo, ac Prop. præced. demonſtratur ex Coroll. Prop. 12. hujus.

Scholium.

His me cauſam oſtendiſſe credo, cur homines opinione magis, quàm verâ ratione commoveantur, & cur vera boni, & mali cognitio animi commotiones excitet, & ſæpe omni libidinis generi cedat; unde illud Poëtæ natum. *Video meliora, probóque, deteriora ſequor.* Quod idem etiam Eccleſiaſtes in mente habuiſſe videtur, cùm dixit; *Qui auget ſcientiam, auget dolorem.* Atque hæc non eum in finem dico, ut inde concludam, præſtabilius eſſe ignorare, quàm ſcire, vel quòd ſtulto intelligens in moderandis affectibus nihil interſit; ſed ideò quia neceſſe eſt, noſtræ naturæ tam potentiam, quàm impotentiam noſcere, ut determinare poſſimus, quid ratio in moderandis affectibus poſſit, & quid non poſſit; & in hâc Parte de ſolâ humanâ impotentiâ me acturum dixi. Nam de Rationis in affectûs potentiâ ſeparatim agere conſtitui.

Propositio XVIII.

Cupiditas, quæ ex Lætitiâ oritur, cæteris paribus, fortior eſt Cupiditate, quæ ex Triſtitiâ oritur.

Demonstratio.

Cupiditas eſt ipſa hominis eſſentia, (*per* 1. *affect. Defi.*) hoc eſt, (*per Prop. 7. p.* 3.) conatus, quo homo in ſuo eſſe perſeverare conatur.

natur. Quare Cupiditas, quæ ex Lætitiâ oritur, ipſo Lætitiæ affectu (*per Defin. Lætitiæ, quam vide in Schol. Prop.* 11. *p.* 3.) juvatur, vel augetur; quæ autem contrà ex Triſtitiâ oritur, ipſo Triſtitiæ affectu (*per idem Schol.*) minuitur, vel coërcetur; atque adeò vis Cupiditatis, quæ ex Lætitiâ oritur, potentiâ humanâ, ſimul & potentiâ cauſæ externæ; quæ autem ex Triſtitiâ, ſolâ humanâ potentiâ definiri debet, ac proinde hâc illa fortior eſt. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

His paucis humanæ impotentiæ, & inconſtantiæ cauſas, & cur homines rationis præcepta non ſervent, explicui. Supereſt jam, ut oſtendam, quid id ſit, quod ratio nobis præſcribit, & quinam affectûs cum rationis humanæ regulis conveniant; quinam contrà iiſdem contrarii ſint. Sed antequam hæc prolixo noſtro Geometrico ordine demonſtrare incipiam, lubet ipſa rationis dictamina hic priùs breviter oſtendere, ut ea, quæ ſentio, faciliùs ab unoquoque percipiantur. Cùm ratio nihil contra naturam poſtulet, poſtulat ergo ipſa, ut unusquiſque ſeipſum amet, ſuum utile, quod revèrâ utile eſt, quærat, & id omne, quod hominem ad majorem perfectionem reverâ ducit, appetat, & abſolutè, ut unusquiſque ſuum eſſe, quantum in ſe eſt, conſervare conetur. Quod quidem tam neceſſariò verum eſt, quàm, quòd totum ſit ſuâ parte majus. (*Vide Prop.* 4. *p.* 3.) Deinde quandoquidem virtus (*per Defin.* 8. *hujus*) nihil aliud eſt, quàm ex legibus propriæ naturæ agere, & nemo ſuum eſſe (*per Prop.* 7. *p.* 3.) conſervare conetur, niſi ex propriæ ſuæ naturæ legibus; hinc ſequitur *primò*, virtutis fundamentum eſſe ipſum conatum proprium eſſe conſervandi, & felicitatem in eo conſiſtere, quòd homo ſuum eſſe conſervare poteſt. *Secundò* ſequitur, virtutem propter ſe eſſe appetendam, nec quicquam, quod ipſa præſtabilius, aut quod utilius nobis ſit, dari, cujus cauſâ deberet appeti. *Tertiò* denique ſequitur, eos, qui ſe interficiunt, animo eſſe impotentes, eosque à cauſis externis, ſuæ naturæ repugnantibus, prorſus vinci. Porrò ex Poſtulato 4. Partis 2. ſequitur, nos efficere nunquam poſſe, ut nihil extra nos indigeamus ad noſtrum eſſe conſervandum, & ut ità vivamus, ut nullum commercium

cium cum rebus, quæ extra nos ſunt, habeamus; &, ſi præterea noſtram Mentem ſpectemus, ſanè noſter intellectus imperfectior eſſet, ſi Mens ſola eſſet, nec quicquam præter ſe ipſam intelligeret. Multa igitur extra nos dantur, quæ nobis utilia, quæque propterea appetenda ſunt. Ex his nulla præſtantiora excogitari poſſunt, quàm ea, quæ cum noſtrâ naturâ prorſùs conveniunt. Si enim duo ex. gr. ejuſdem prorſùs naturæ individua invicem junguntur, individuum componunt ſingulo duplò potentius. Homini igitur nihil homine utilius; nihil, inquam, homines præſtantius ad ſuum eſſe conſervandum, optare poſſunt, quàm quòd omnes in omnibus ità conveniant, ut omnium Mentes & Corpora unam quaſi Mentem, unumque Corpus componant, & omnes ſimul, quantùm poſſunt, ſuum eſſe conſervare conentur, omnesque ſimul omnium commune utile ſibi quærant; ex quibus ſequitur, homines, qui ratione gubernantur, hoc eſt, homines, qui ex ductu rationis ſuum utile quærunt, nihil ſibi appetere, quod reliquis hominibus non cupiant, atque adeò eoſdem juſtos, fidos, atque honeſtos eſſe.

Hæc illa rationis dictamina ſunt, quæ hic paucis oſtendere propoſueram, antequam eadem prolixiori ordine demonſtrare inciperem, quod eâ de cauſâ feci, ut, ſi fieri poſſet, eorum attentionem mihi conciliarem, qui credunt, hoc principium, quòd ſcilicet unusquiſque ſuum utile quærere tenetur, impietatis; non autem virtutis, & pietatis eſſe fundamentum. Poſtquam igitur rem ſeſe contrà habere breviter oſtenderim, pergo ad eandem eâdem viâ, quâ huc uſque progreſſi ſumus, demonſtrandum.

Propositio XIX.

Id unuſquiſque ex legibus ſuæ naturæ neceſſariò appetit, vel averſatur, quod bonum, vel malum eſſe judicat.

Demonstratio.

Boni, & mali cognitio eſt (*per Prop.* 8. *hujus*) ipſe Lætitiæ, vel Triſtitiæ affectus, quatenus ejuſdem ſumus conſcii; ac proinde (*per Prop.* 28. *p.* 3.) id unuſquiſque neceſſariò appetit, quod

bonum, & contrà id averſatur, quod malum eſſe judicat. Sed hic appetitus nihil aliud eſt, quàm ipſa hominis eſſentia, ſeu natura (*per Defin. App. quam vide in Schol. Prop.* 9. *p.* 3. *&* 1. *Aff. Defin.*) Ergo unuſquiſque ex ſolis ſuæ naturæ legibus id neceſſariò appetit, vel averſatur, &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XX.

Quò magis unuſquiſque ſuum utile quærere, hoc eſt, ſuum eſſe conſervare conatur, & poteſt, eò magis virtute præditus eſt; & contrà quatenus unusquiſque ſuum utile, hoc eſt, ſuum eſſe conſervare negligit, eatenus eſt impotens.

DEMONSTRATIO.

Virtus eſt ipſa humana potentia, quæ ſolâ hominis eſſentiâ definitur, (*per Defin.* 8. *hujus*) hoc eſt, (*per Prop.* 7. *p.* 3.) quæ ſolo conatu, quo homo in ſuo eſſe perſeverare conatur, definitur. Quò ergo unuſquiſque magis ſuum eſſe conſervare conatur, & poteſt, eò magis virtute præditus eſt, & conſequenter, (*per Prop.* 4. *&* 6. *p.* 3.) quatenus aliquis ſuum eſſe conſervare negligit, eatenus eſt impotens. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Nemo igitur, niſi à cauſis externis, & ſuæ naturæ contrariis victus, ſuum utile appetere, ſive ſuum eſſe conſervare negligit. Nemo, inquam, ex neceſſitate ſuæ naturæ; ſed à cauſis externis coactus alimenta averſatur, vel ſe ipſum interficit, quod multis modis fieri poteſt; nempe interficit aliquis ſe ipſum coactus ab alio, qui ejus dexteram, quâ enſem caſu prehenderat, contorquet, & cogit verſus cor ipſum gladium dirigere; vel quòd ex mandato Tyranni, ut Seneca, cogatur venas aperire ſuas, hoc eſt, majus malum minore vitare cupiat; vel denique ex eo, quòd cauſæ latentes externæ ejus imaginationem ità diſponunt, & Corpus ità afficiunt, ut id aliam naturam priori contrariam induat, & cujus idea in Mente dari nequit. (*per Prop.* 10. *p.* 3.) At quòd homo ex neceſſitate ſuæ naturæ conetur non exiſtere, vel in aliam formam mutari, tam eſt impoſ-

impossibile, quàm quòd ex nihilo aliquid fiat, ut unusquisque mediocri meditatione videre potest.

PROPOSITIO XXI.

Nemo potest cupere beatum esse, bene agere, & bene vivere, qui simul non cupiat, esse, agere, & vivere, hoc est, actu existere.

DEMONSTRATIO.

Hujus Propositionis Demonstratio, seu potiùs res ipsa per se patet, & etiam ex Cupiditatis definitione. Est enim Cupiditas (*per* 1. *Aff. Defin.*) beatè, seu bene vivendi, agendi, &c. ipsa hominis essentia, hoc est, (*per Prop.* 7. *p.* 3.) conatus, quo unusquisque suum esse conservare conatur. Ergo nemo potest cupere, &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXII.

Nulla virtus potest prior hâc (nempe conatu sese conservandi) concipi.

DEMONSTRATIO.

Conatus sese conservandi est ipsa rei essentia. (*per Prop.* 7. *p.* 3.) Si igitur aliqua virtus posset hâc, nempe hoc conatu, prior concipi; conciperetur ergo (*per Defin.* 8. *hujus*) ipsa rei essentia se ipsâ prior, quod (*ut per se notum*) est absurdum. Ergo nulla virtus, &c. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Conatus sese conservandi primum, & unicum virtutis est fundamentum. Nam hoc principio nullum aliud potest priùs concipi, (*per Prop. præc.*) & absque ipso (*per Prop.* 21. *hujus*) nulla virtus potest concipi.

PROPOSITIO XXIII.

Homo, quatenus ad aliquid agendum determinatur ex eo, quòd ideas habet inadæquatas, non potest absolutè dici, ex virtute agere; sed tantùm, quatenus determinatur ex eo, quòd intelligit.

DEMONSTRATIO.

Quatenus homo ad agendum determinatur ex eo, quòd inadæquatas habet ideas, eatenus (*per Prop.* 1. *p.* 3.) patitur, hoc est, (*per Defin.* 1. & 2. *p.* 3.) aliquid agit, quod per solam ejus essentiam non potest percipi, hoc est, (*per Defin.* 8. *hujus*) quod ex ipsius virtute non sequitur. At quatenus ad aliquid agendum determinatur ex eo, quòd intelligit, eatenus (*per eandem Prop.* 1. *p.* 3.) agit, hoc est, (*per Defin.* 2. *p.* 3.) aliquid agit, quod per solam ipsius essentiam percipitur, sive (*per Defin.* 8. *hujus*) quod ex ipsius virtute adæquatè sequitur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXIV.

Ex virtute absolutè agere nihil aliud in nobis est, quàm ex ductu rationis agere, vivere, suum esse conservare (hæc tria idem significant) ex fundamento proprium utile quærendi.

DEMONSTRATIO.

Ex virtute absolutè agere, nihil aliud est, (*per Defin.* 8. *hujus*) quàm ex legibus propriæ naturæ agere. At nos eatenus tantummodò agimus, quatenus intelligimus; (*per Prop.* 3. *p.* 3.) Ergo ex virtute agere, nihil aliud in nobis est, quàm ex ductu rationis agere, vivere, suum esse conservare, idque (*per Coroll. Prop.* 22. *hujus*) ex fundamento suum utile quærendi. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXV.

Nemo suum esse alterius rei causâ conservare conatur.

DEMONSTRATIO.

Conatus, quo unaquæque res in suo esse perseverare conatur; solâ ipsius rei essentiâ definitur, (*per Prop.* 7. *p.* 3.) eâque solâ datâ, non autem ex alterius rei essentiâ necessariò sequitur, (*per Prop.* 6. *p.* 3.) ut unusquisque suum esse conservare conetur. Patet præterea hæc Propositio ex Coroll. Prop. 22. hujus Partis. Nam si homo alterius rei causâ suum esse conservare conaretur, tum res illa primum

esset

eſſet virtutis fundamentum, (*ut per ſe notum*) quod (*per prædictum Coroll.*) eſt abſurdum. Ergo nemo ſuum eſſe &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXVI.

Quicquid ex ratione conamur, nihil aliud eſt, quàm intelligere; nec Mens, quatenus ratione utitur, aliud ſibi utile eſſe judicat, niſi id, quod ad intelligendum conducit.

DEMONSTRATIO.

Conatus ſeſe conſervandi nihil eſt præter ipſius rei eſſentiam, (*per Prop. 7. p. 3.*) quæ quatenus talis exiſtit, vim habere concipitur ad perſeverandum in exiſtendo, (*per Prop. 6. p. 3.*) & ea agendum, quæ ex datâ ſuâ naturâ neceſſariò ſequuntur. (*vide Defin. Appetitûs in Schol. Prop. 9. p. 3.*) At rationis eſſentia nihil aliud eſt, quàm Mens noſtra, quatenus clarè, & diſtinctè intelligit: (*vide ejus Defin. in 2. Schol. Prop. 40. p. 2.*) Ergo (*per Prop. 40. p. 2.*) quicquid ex ratione conamur, nihil aliud eſt, quàm intelligere. Deinde quoniam hic Mentis conatus, quo Mens, quatenus ratiocinatur, ſuum eſſe conatur conſervare, nihil aliud eſt, quàm intelligere; (*per primam partem hujus*) eſt ergo hic intelligendi conatus (*per Coroll. Prop. 22. hujus*) primum, & unicum virtutis fundamentum, nec alicujus finis cauſâ (*per Prop. 25. hujus*) res intelligere conabimur; ſed contrà Mens, quatenus ratiocinatur, nihil ſibi bonum eſſe concipere poterit, niſi id, quod ad intelligendum conducit, (*per Defin. 1. hujus*) *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXVII.

Nihil certò ſcimus bonum, aut malum eſſe, niſi id, quod ad intelligendum reverâ conducit, vel quod impedire poteſt, quò minùs intelligamus.

DEMONSTRATIO.

Mens, quatenus ratiocinatur nihil aliud appetit, quàm intelligere, nec aliud ſibi utile eſſe judicat, niſi id, quod ad intelligendum conducit. (*per Prop. præc.*) At Mens (*per Prop. 41. & 43. p. 2.*

cujus

cujus etiam Schol. vide) rerum certitudinem non habet, nisi quatenus ideas habet adæquatas, sive *(quod per Schol. Prop.* 40. *p.* 2. *idem est*) quatenus ratiocinatur; ergo nihil certò scimus bonum esse, nisi id, quod ad intelligendum reverâ conducit; & contrà id malum, quod impedire potest, quò minùs intelligamus. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XXVIII.

Summum Mentis bonum est Dei cognitio, & summa Mentis virtus Deum cognoscere.

DEMONSTRATIO.

Summum, quod Mens intelligere potest, Deus est, hoc est, (*per Defin.* 6. *p.* 1.) Ens absolutè infinitum, & sine quo (*per Prop.* 15. *p.* 1.) nihil esse, neque concipi potest; adeóque (*per Prop.* 26. *& 27. hujus*) summum Mentis utile, sive (*per Defin.* 1. *hujus*) bonum est Dei cognitio. Deinde Mens, quatenus intelligit, eatenus tantùm agit, (*per Prop.* 1. *&* 3. *p.* 3.) & eatenus tantùm (*per Prop.* 23. *hujus*) potest absolutè dici, quòd ex virtute agit. Est igitur Mentis absoluta virtus intelligere. At summum, quod Mens intelligere potest, Deus est: (*ut jam jam Demonstravimus*) Ergo Mentis summa virtus est Deum intelligere, seu cognoscere. *Q.E.D.*

PROPOSITIO XXIX.

Res quæcunque singularis, cujus natura à nostrâ prorsùs est diversa, nostram agendi potentiam nec juvare, nec coërcere potest, & absolutè res nulla potest nobis bona, aut mala esse, nisi commune aliquid nobiscum habeat.

DEMONSTRATIO.

Cujuscunque rei singularis, & consequenter (*per Coroll. Prop.* 10. *p.* 2.) hominis potentia, quâ existit, & operatur, non determinatur nisi ab aliâ re singulari, (*per Prop.* 28. *p.* 1.) cujus natura (*per Prop.* 6. *p.* 2.) per idem attributum debet intelligi, per quod natura

natura humana concipitur. Noſtra igitur agendi potentia, quomodocunque ea concipiatur, determinari, & conſequenter juvari, vel coërceri poteſt potentiâ alterius rei ſingularis, quæ aliquid commune nobiſcum habet, & non potentiâ rei, cujus natura à noſtrâ prorſùs eſt diverſa; & quia id bonum, aut malum vocamus, quod cauſa eſt Lætitiæ, aut Triſtitiæ, (*per Prop.* 8. *hujus*) hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 11. *p.* 3.) quod noſtram agendi potentiam auget, vel minuit, juvat, vel coërcet; ergo res, cujus natura à noſtrâ prorſùs eſt diverſa, nobis neque bona, neque mala eſſe poteſt. *Q. E. D.*

Propositio XXX.

Res nulla per id, quod cum noſtrâ naturâ commune habet, poteſt eſſe mala; ſed quatenus nobis mala eſt, eatenus eſt nobis contraria.

Demonstratio.

Id malum vocamus, quod cauſa eſt Triſtitiæ, (*per Prop.* 8. *hujus*) hoc eſt, (*per ejus Defin. quam vide in Schol. Prop.* 11. *p.* 3.) quod noſtram agendi potentiam minuit, vel coërcet. Si igitur res aliqua per id, quod nobiscum habet commune, nobis eſſet mala; poſſet ergo res id ipſum, quod nobiscum commune habet, minuere, vel coërcere, quod (*per Prop.* 4. *p.* 3.) eſt abſurdum. Nulla igitur res per id, quod nobiſcum commune habet, poteſt nobis eſſe mala; ſed contrà quatenus mala eſt, hoc eſt, (*ut jam jam oſtendimus*) quatenus noſtram agendi potentiam minuere, vel coërcere poteſt, eatenus (*per Prop.* 5. *p.* 3.) nobis eſt coutraria. *Q. E. D.*

Propositio XXXI.

Quatenus res aliqua cum noſtrâ naturâ convenit, eatenus neceſſariò bona eſt.

Demonstratio.

Quatenus enim res aliqua cum noſtrâ naturâ convenit, non poteſt, (*per Prop. præc.*) eſſe mala. Erit ergo neceſſariò vel bona, vel

indifferens. Si hoc ponatur, nempe, quòd neque bona ſit, neque mala; nihil ergo (*per Axiom.* 3. *hujus*) ex ipſius naturâ ſequetur, quod noſtræ naturæ conſervationi inſervit, hoc eſt, (*per Hypotheſin*) quod ipſius rei naturæ conſervationi inſervit; ſed hoc eſt abſurdum; (*per Prop.* 6. *p.* 3.) erit ergo, quatenus cum noſtrâ naturâ convenit, neceſſariò bona. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, quòd, quò res aliqua magis cum noſtrâ naturâ convenit, eò nobis eſt utilior, ſeu magis bona, & contrà quò res aliqua nobis eſt utilior, eatenus cum noſtrâ naturâ magis convenit. Nam quatenus cum noſtrâ naturâ non convenit, erit neceſſariò à noſtrâ naturâ diverſa, vel eidem contraria. Si diverſa, tum (*per Prop.* 29. *hujus*) neque bona, neque mala eſſe poterit; ſi autem contraria, erit ergo etiam ei contraria, quæ cum noſtrâ naturâ convenit, hoc eſt, (*per Prop. præced.*) contraria bono, ſeu mala. Nihil igitur, niſi quatenus cum noſtrâ naturâ convenit, poteſt eſſe bonum, atque adeò, quò res aliqua magis cum noſtrâ naturâ convenit, eò eſt utilior, & contrà. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXII.

Quatenus homines paſſionibus ſunt obnoxii, non poſſunt eatenus dici, quòd naturâ conveniant.

DEMONSTRATIO.

Quæ naturâ convenire dicuntur, potentiâ convenire intelliguntur; (*per Prop.* 7. *p.* 3.) non autem impotentiâ, ſeu negatione, & conſequenter (*vide Schol. Prop.* 3. *p.* 2.) neque etiam paſſione; quare homines, quatenus paſſionibus ſunt obnoxii, non poſſunt dici, quòd naturâ conveniant. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Res etiam per ſe patet; qui enim ait, album, & nigrum in eo ſolummodò convenire, quòd neutrum ſit rubrum; is abſolutè affirmat album, & nigrum nullâ in re convenire. Sic etiam ſi quis ait, lapidem, & hominem in hoc tantùm convenire, quòd uter-

que

que ſit finitus, impotens, vel quòd ex neceſſitate ſuæ naturæ non exiſtit, vel denique quòd à potentiâ cauſarum externarum indefinitè ſuperatur; is omninò affirmat, lapidem, & hominem nullâ in re convenire; quæ enim in ſolâ negatione, ſive in eo, quod non habent, conveniunt, ea reverâ nullâ in re conveniunt.

Propositio XXXIII.

Homines naturâ diſcrepare poſſunt, quatenus affectibus, qui paſſiones ſunt, conflictantur, & eatenus etiam unus, idemque homo varius eſt, & inconſtans.

Demonstratio.

Affectuum natura, ſeu eſſentia non poteſt per ſolam noſtram eſſentiam, ſeu naturam explicari; (*per Defin.* 1. *&* 2. *p.* 3.) ſed potentiâ, hoc eſt, (*per Prop.* 7. *p.* 3.) naturâ cauſarum externarum, cum noſtrâ comparatâ, definiri debet; unde fit, ut uniuscujuſque affectûs tot ſpecies dentur, quot ſunt ſpecies objectorum, à quibus afficimur; (*vide Prop.* 56. *p.* 3.) & ut homines ab uno, eodemque objecto diverſimodè afficiantur; (*vide Prop.* 51. *p.* 3.) atque eatenus naturâ diſcrepent, & denique ut unus, idemque homo (*per eandem Prop.* 51. *p.* 3.) erga idem objectum diverſimodè afficiatur, atque eatenus varius ſit, &c. *Q. E. D.*

Propositio XXXIV.

Quatenus homines affectibus, qui paſſiones ſunt, conflictantur, poſſunt invicem eſſe contrarii.

Demonstratio.

Homo ex. gr. Petrus poteſt eſſe cauſa, ut Paulus contriſtetur, propterea quòd aliquid habet ſimile rei, quam Paulus odit; (*per Prop.* 16. *p.* 3.) vel propterea quòd Petrus ſolus re aliquâ potitur, quam ipſe Paulus etiam amat, (*vide Prop.* 32. *p.* 3. *cum ejuſdem Schol.*) vel ob alias cauſas; (*harum præcipuas vide in Schol. Prop.* 55. *p.* 3.) atque adeò inde fiet, (*per Defin.* 7. *affect.*) ut Paulus Petrum odio habeat, & conſequenter facilè fiet, (*per Prop.* 40. *p.* 3.

cum ejus Schol.) ut Petrus Paulum contrà odio habeat, atque adeò (*per Prop.* 39. *p.* 3.) ut invicem malum inferre conentur, hoc eſt, (*per Prop.* 30. *hujus*) ut invicem ſint contrarii. At affectus Triſtitiæ ſemper paſſio eſt; (*per Prop.* 59. *p.* 3.) ergo homines, quatenus conflictantur affectibus, qui paſſiones ſunt, poſſunt invicem eſſe contrarii. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Dixi, quòd Paulus odio Petrum habeat, quia imaginatur, id eundem poſſidere, quod ipſe Paulus etiam amat; unde primâ fronte videtur ſequi, quòd hi duo ex eo, quòd idem amant, & conſequenter ex eo, quòd naturâ conveniunt, ſibi invicem damno ſint; atque adeò, ſi hoc verum eſt, falſæ eſſent Propoſitio 30. & 31. hujus Partis. Sed ſi rem æquâ lance examinare velimus, hæc omnia convenire omninò videbimus. Nam hi duo non ſunt invicem moleſti, quatenus naturâ conveniunt, hoc eſt, quatenus uterque idem amat; ſed quatenus ab invicem diſcrepant. Nam quatenus uterque idem amat, eo ipſo utriuſque amor fovetur, (*per Prop.* 31. *p.* 3.) hoc eſt, (*per Defin.* 6. *affect.*) eo ipſo utriuſque Lætitia fovetur. Quare longè abeſt, ut quatenus idem amant, & naturâ conveniunt, invicem moleſti ſint. Sed hujus rei cauſa, ut dixi, nulla alia eſt, quàm quia naturâ diſcrepare ſupponuntur. Supponimus namque Petrum ideam habere rei amatæ jam poſſeſſæ, & Paulum contrà ideam rei amatæ amiſſæ. Unde fit, ut hic Triſtitiâ, & ille contrà Lætitiâ afficiatur; atque eatenus invicem contrarii ſint. Et ad hunc modum oſtendere facilè poſſumus reliquas odii cauſas ab hoc ſolo pendêre, quòd homines naturâ diſcrepant, & non ab eo, in quo conveniunt.

PROPOSITIO XXXV.

Quatenus homines ex ductu rationis vivunt, eatenus tantùm naturâ ſemper neceſſariò conveniunt.

DEMONSTRATIO.

Quatenus homines affectibus, qui paſſiones ſunt, conflictantur, poſſunt eſſe naturâ diverſi, (*per Prop.* 33. *hujus*) & invicem contrarii.

trarii. (*per Prop. præced.*) Sed eatenus homines tantùm agere dicuntur, quatenus ex ductu rationis vivunt, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) atque adeò quicquid ex humanâ naturâ, quatenus ratione definitur, ſequitur, id (*per Defin.* 2. *p.* 3.) per ſolam humanam naturam, tanquam per proximam ſuam cauſam, debet intelligi. Sed quia unusquiſque ex ſuæ naturæ legibus id appetit, quod bonum, & id amovere conatur, quod malum eſſe judicat; (*per Prop.* 19. *hujus*) & cùm præterea id, quod ex dictamine rationis bonum, aut malum eſſe judicamus, neceſſariò bonum, aut malum ſit; (*per Prop.* 41. *p.* 2.) Ergo homines, quatenus ex ductu rationis vivunt, eatenus tantùm ea neceſſariò agunt, quæ humanæ naturæ, & conſequenter unicuique homini neceſſariò bona ſunt, hoc eſt, (*per Coroll. Prop.* 31. *hujus*) quæ cum naturâ uniuscujuſque hominis conveniunt; atque adeò homines etiam inter ſe, quatenus ex ductu rationis vivunt, neceſſariò ſemper conveniunt. *Q. E. D.*

Corollarium I.

Nihil ſingulare in rerum naturâ datur, quod homini ſit utilius, quàm homo, qui ex ductu rationis vivit. Nam id homini utiliſſimum eſt, quod cum ſuâ naturâ maximè convenit, (*per Coroll. Prop.* 31. *hujus*) hoc eſt, (*ut per ſe notum*) homo. At homo ex legibus ſuæ naturæ abſolutè agit, quando ex ductu rationis vivit, (*per Defin.* 2. *p.* 3.) & eatenus tantùm cum naturâ alterius hominis neceſſariò ſemper convenit; (*per Prop. præced.*) ergo homini nihil inter res ſingulares utilius datur, quàm homo &c. *Q. E. D.*

Corollarium II.

Cùm maximè unusquiſque homo ſuum ſibi utile quærit, tum maximè homines ſunt ſibi invicem utiles. Nam quò magis unusquiſque ſuum utile quærit, & ſe conſervare conatur, eò magis virtute præditus eſt, (*per Prop.* 20. *hujus*) ſive quod idem eſt, (*per Defin.* 8. *hujus*) eò majore potentiâ præditus eſt ad agendum ex ſuæ naturæ legibus, hoc eſt, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) ad vivendum ex ductu rationis. At homines tum maximè naturâ conveniunt, cùm ex ductu rationis vivunt; (*per Prop. præced.*) ergo (*per præc. Coroll.*) tum maximè homines erunt ſibi invicem utiles, cùm maximè unusquiſque ſuum utile ſibi quærit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Quæ modò oſtendimus, ipſa etiam experientia quotidie tot, tamque luculentis teſtimoniis teſtatur, ut omnibus ferè in ore ſit: hominem homini Deum eſſe. Fit tamen rarò, ut homines ex ductu rationis vivant; ſed cum iis ità comparatum eſt, ut plerumque invidi, atque invicem moleſti ſint. At nihilominùs vitam ſolitariam vix tranſigere queunt, ità ut pleriſque illa definitio, quòd homo ſit animal ſociale, valdè arriſerit; & reverâ res ità ſe habet, ut ex hominum communi ſocietate multò plura commoda oriantur, quàm damna. Rideant igitur, quantùm velint, res humanas Satyrici, easque deteſtentur Theologi, & laudent, quantùm poſſunt, Melancholici vitam incultam, & agreſtem, hominesque contemnant, & admirentur bruta; experientur tamen homines mutuo auxilio ea, quibus indigent, multò faciliùs ſibi parare, & non niſi junctis viribus pericula, quæ ubique imminent, vitare poſſe; ut jam taceam, quòd multò præſtabilius ſit, & cognitione noſtrâ magis dignum, hominum, quàm brutorum facta contemplari. Sed de his aliàs prolixiùs.

PROPOSITIO XXXVI.

Summum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, omnibus commune eſt, eoque omnes æquè gaudere poſſunt.

DEMONSTRATIO.

Ex virtute agere eſt ex ductu rationis agere, *(per Prop. 24. hujus)* & quicquid ex ratione conamur agere, eſt intelligere; *(per Prop. 26. hujus)* atque adeò *(per Prop. 28. hujus)* ſummum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, eſt Deum cognoſcere, hoc eſt, *(per Prop. 47. p. 2. & ejuſdem Schol.)* bonum, quod omnibus hominibus commune eſt, & ab omnibus hominibus, quatenus ejuſdem ſunt naturæ, poſſideri æquè poteſt. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Si quis autem roget, quid ſi ſummum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, non eſſet omnibus commune? an non inde, ut

ſuprà

ſuprà (*vide Prop.* 34. *hujus*) ſequeretur, quòd homines, qui ex ductu rationis vivunt, hoc eſt, (*per Prop.* 35. *hujus*) homines, quatenus naturâ conveniunt, eſſent invicem contrarii? Is hoc ſibi reſponſum habeat, non ex accidenti; ſed ex ipſâ naturâ rationis oriri, ut hominis ſummum bonum omnibus ſit commune, nimirùm, quia ex ipſâ humanâ eſſentiâ, quatenus ratione definitur, deducitur; & quia homo nec eſſe, nec concipi poſſet, ſi poteſtatem non haberet gaudendi hoc ſummo bono. Pertinet namque (*per Prop.* 47. *p.* 2.) ad Mentis humanæ eſſentiam, adæquatam habere cognitionem æternæ, & infinitiæ eſſentiæ Dei.

Propositio XXXVII.

Bonum, quod unuſquiſque, qui ſectatur virtutem, ſibi appetit, reliquis hominibus etiam cupiet, & eò magis, quò majorem Dei habuerit cognitionem.

Demonstratio.

Homines, quatenus ex ductu rationis vivunt, ſunt homini utiliſſimi, (*per Coroll.* 1. *Prop.* 35. *hujus*) atque adeò (*per Prop.* 19. *hujus*) ex ductu rationis conabimur neceſſariò efficere, ut homines ex ductu rationis vivant. At bonum, quod unuſquiſque, qui ex rationis dictamine vivit, hoc eſt, (*per Prop.* 24. *hujus*) qui virtutem ſectatur, ſibi appetit, eſt intelligere; (*per Prop.* 26. *hujus*) ergo bonum, quod unuſquiſque, qui virtutem ſectatur, ſibi appetit, reliquis hominibus etiam cupiet. Deinde Cupiditas, quatenus ad Mentem refertur, eſt ipſa Mentis eſſentia; (*per* 1. *Affect. Defin.*) Mentis autem eſſentia in cognitione conſiſtit, (*per Prop.* 11. *p.* 2.) quæ Dei cognitionem involvit, (*per Prop.* 47. *p.* 2.) & ſine quâ (*per Prop.* 15. *p.* 1.) nec eſſe, nec concipi poteſt; adeoque quò Mentis eſſentia majorem Dei cognitionem involvit, eò Cupiditas, quâ is, qui virtutem ſectatur, bonum, quod ſibi appetit, alteri cupit, etiam major erit. *Q. E. D.*

Aliter.

Bonum, quod homo ſibi appetit, & amat, conſtantiùs amabit, ſi vi-

si viderit, alios idem amare; (*per Prop.* 31. *p.* 3.) atque adeò (*per Coroll. ejusdem Prop.*) conabitur, ut reliqui idem ament; & quia hoc bonum (*per Prop. præc.*) omnibus commune est, eoque omnes gaudere possunt; conabitur ergo, (*per eandem rationem*) ut omnes eodem gaudeant, & (*per Prop.* 37. *p.* 3.) eò magis, quò hoc bono magis fruetur. Q. *E. D.*

Scholium I.

Qui ex solo affectu conatur, ut reliqui ament, quod ipse amat, & ut reliqui ex ipsius ingenio vivant, solo impetu agit, & ideò odiosus est, præcipuè iis, quibus alia placent, quique propterea etiam studeant, & eodem impetu conantur, ut reliqui contrà ex ipsorum ingenio vivant. Deinde quoniam summum, quod homines ex affectu appetunt, bonum sæpe tale est, ut unus tantùm ejus possit esse compos, hinc fit, ut qui amant, mente sibi non constent, & dum laudes rei, quam amant, narrare gaudent, timeant credi. At qui reliquos conatur ratione ducere, non impetu; sed humaniter, & benignè agit, & sibi mente maximè constat. Porrò quicquid cupimus, & agimus, cujus causâ sumus, quatenus Dei habemus ideam, sive quatenus Deum cognoscimus, ad Religionem refero. Cupiditatem autem bene faciendi, quæ ex eo ingeneratur, quòd ex rationis ductu vivimus, Pietatem voco. Cupiditatem deinde, quâ homo, qui ex ductu rationis vivit, tenetur, ut reliquos sibi amicitiâ jungat, Honestatem voco, & id honestum, quod homines, qui ex ductu rationis vivunt, laudant, & id contrà turpe, quod conciliandæ amicitiæ repugnat. Præter hæc, civitatis etiam quænam sint fundamenta ostendi. Differentia deinde inter veram virtutem, & impotentiam facilè ex suprà dictis percipitur; nempe quòd vera virtus nihil aliud sit, quàm ex solo rationis ductu vivere; atque adeò impotentia in hoc solo consistit, quòd homo à rebus, quæ extra ipsum sunt, duci se patiatur, & ab iis ad ea agendum determinetur, quæ rerum externarum communis constitutio; non autem ea, quæ ipsa ipsius natura, in se solâ considerata, postulat. Atque hæc illa sunt, quæ in Scholio Propositionis 18. hujus Partis demonstrare promisi, ex quibus apparet legem illam de non mactandis brutis, magis vanâ superstitione, & muliebri misericordiâ, quàm sanâ

ſanâ ratione fundatam eſſe. Docet quidem ratio noſtrum utile quærendi neceſſitudinem cum hominibus jungere; ſed non cum brutis, aut rebus, quarum natura à naturâ humanâ eſt diverſa; ſed idem jus, quod illa in nos habent, nos in ea habere. Imò quia uniuscujusque jus virtute, ſeu potentiâ uniuscujuſque definitur, longè majus homines in bruta, quàm hæc in homines jus habent. Nec tamen nego bruta ſentire; ſed nego, quòd propterea non liceat noſtræ utilitati conſulere, & iisdem ad libitum uti, eademque tractare, prout nobis magis convenit; quandoquidem nobiſcum naturâ non conveniunt, & eorum affectûs ab affectibus humanis ſunt naturâ diverſi. (*vide Schol. Prop.* 57. *p.* 3.) Supereſt, ut explicem, quid juſtum, quid injuſtum, quid peccatum, & quid denique meritum. ſit. Sed de his vide ſeq. Scholium.

Scholium II.

In Appendice Partis primæ explicare promiſi, quid laus, & vituperium, quid meritum, & peccatum, quid juſtum, & injuſtum ſit. Laudem, & vituperium quod attinet, in Scholio Propoſitionis 29. Partis 3. explicui; de reliquis autem hîc jam erit dicendi locus; Sed priùs pauca de ſtatu hominis naturali, & civili dicenda ſunt.

Exiſtit unuſquiſque ſummo naturæ jure, & conſequenter ſummo naturæ jure unusquiſque ea agit, quæ ex ſuæ naturæ neceſſitate ſequuntur; atque adeò ſummo naturæ jure unusquiſque judicat, quid bonum, quid malum ſit, ſuæque utilitati ex ſuo ingenio conſulit, (*vide Prop.* 19. *&* 20. *hujus*) ſeſeque vindicat, (*vide Coroll.* 2. *Prop.* 40. *p.* 3.) & id, quod amat, conſervare, & id, quod odio habet, deſtruere conatur. (*vide Prop.* 28. *p.* 3.) Quòd ſi homines ex ductu rationis viverent, potiretur unusquiſque (*per Coroll.* 1. *Prop.* 35. *hujus*) hoc ſuo jure abſque ullo alterius damno. Sed quia affectibus ſunt obnoxii, (*per Coroll. Prop.* 4. *hujus*) qui potentiam, ſeu virtutem humanam longè ſuperant, (*per Prop.* 6. *hujus*) ideò ſæpe diverſi trahuntur, (*per Prop.* 34. *hujus*) atque ſibi invicem ſunt contrarii, (*per Prop.* 34. *hujus*) mutuo dum auxilio indigent. (*per Schol. Prop.* 35. *hujus*) Ut igitur homines concorditer vivere, & ſibi auxilio eſſe poſſint, neceſſe eſt, ut jure ſuo naturali

turali cedant, & ſe invicem ſecuros reddant, ſe nihil acturos, quod poſſit in alterius damnum cedere. Quâ autem ratione hoc fieri poſſit, ut ſcilicet homines, qui affectibus neceſſariò ſunt obnoxii, (*per Coroll. Prop.* 4. *hujus*) atque inconſtantes, & varii, (*per Prop.* 33. *hujus*) poſſint ſe invicem ſecuros reddere, & fidem invicem habere, patet ex Propoſitione 7. hujus Partis & Propoſitione 39. Partis 3. Nempe quòd nullus affectus coërceri poteſt, niſi affectu fortiore, & contrario affectui coërcendo, & quòd unusquiſque ab inferendo damno abſtinet timore majoris damni. Hâc igitur lege Societas firmari poterit, ſi modò ipſa ſibi vendicet jus, quod unusquiſque habet, ſeſe vindicandi, & de bono, & malo judicandi; quæque adeò poteſtatem habeat communem vivendi rationem præſcribendi, legesque ferendi, easque non ratione, quæ affectûs coërcere nequit; (*per Schol. Prop.* 17. *hujus*) ſed minis firmandi. Hæc autem Societas, legibus, & poteſtate ſeſe conſervandi firmata, Civitas appellatur, &, qui ipſius jure defenduntur, Cives; ex quibus facilè intelligimus, nihil in ſtatu naturali dari, quod ex omnium conſenſu bonum, aut malum ſit; quandoquidem unusquiſque, qui in ſtatu eſt naturali, ſuæ tantummodò utilitati conſulit, & ex ſuo ingenio, & quatenus ſuæ utilitatis tantùm habet rationem, quid bonum, quidve malum ſit, decernit, & nemini, niſi ſibi ſoli, obtemperare lege ullâ tenetur; atque adeò in ſtatu naturali peccatum concipi nequit; At quidem in ſtatu Civili, ubi & communi conſenſu decernitur, quid bonum, quidve malum ſit, & unusquiſque Civitati obtemperare tenetur. Eſt itaque peccatum nihil aliud, quàm inobedientia, quæ propterea ſolo Civitatis jure punitur, & contrà obedientia Civi meritum ducitur, quia eo ipſo dignus judicatur, qui Civitatis commodis gaudeat. Deinde in ſtatu naturali nemo ex communi conſenſu alicujus rei eſt Dominus, nec in Naturâ aliquid datur, quod poſſit dici hujus hominis eſſe, & non illius; ſed omnia omnium ſunt; ac proinde in ſtatu naturali nulla poteſt concipi voluntas unicuique ſuum tribuendi, aut alicui id, quod ejus ſit, eripiendi, hoc eſt, in ſtatu naturali nihil fit, quod juſtum, aut injuſtum poſſit dici; at quidem in ſtatu civili, ubi ex communi conſenſu decernitur,

quid

quid hujus, quidve illius sit. Ex quibus apparet, justum, & injustum, peccatum, & meritum notiones esse extrinsecas; non autem attributa, quæ Mentis naturam explicent. Sed de his satis.

Propositio XXXVIII.

Id, quod Corpus humanum ità disponit, ut pluribus modis possit affici, vel quod idem aptum reddit ad Corpora externa pluribus modis afficiendum, homini est utile; & eò utilius, quò Corpus ab eo aptius redditur, ut pluribus modis afficiatur, aliáque corpora afficiat, & contrà id noxium est, quod Corpus ad hæc minùs aptum reddit.

Demonstratio.

Quò Corpus ad hæc aptius redditur, eò Mens aptior ad percipiendum redditur; (*per Prop.* 14. *p.* 2.) adeoque id, quod Corpus hâc ratione disponit, aptumque ad hæc reddit, est necessariò bonum, seu utile, (*per Prop.* 26. *&* 27. *hujus*) & eò utilius, quò Corpus ad hæc aptius potest reddere, & contrà (*per eandem Prop.* 14. *p.* 2. *inversam, & Prop.* 26. *&* 27. *hujus*) noxium, si corpus ad hæc minus aptum reddat. *Q. E. D.*

Propositio XXXIX.

Quæ efficiunt, ut motûs, & quietis ratio, quam Corporis humani partes ad invicem habent, conservetur, bona sunt; & ea contrà mala, quæ efficiunt, ut Corporis humani partes aliam ad invicem motûs, & quietis habeant rationem.

Demonstratio.

Corpus humanum indiget, ut conservetur, plurimis aliis corporibus. (*per Postul.* 4. *p.* 2.) At id, quod formam humani Corporis constituit, in hoc consistit, quòd ejus Partes motus suos certâ quâdam ratione sibi invicem communicent; (*per Defin. ante Lem.* 4. *quam vide post Prop.* 13. *p.* 2.) Ergo quæ efficiunt, ut motûs, &

quietis ratio, quam Corporis humani Partes ad invicem habent, conſervetur, eadem humani Corporis formam conſervant, & conſequenter efficiunt, (*per Poſt.* 3. *&* 6. *p.* 2.) ut Corpus humanum multis modis affici, & ut idem corpora externa multis modis afficere poſſit; adeoque (*per Prop. præc.*) bona ſunt. Deinde, quæ efficiunt, ut Corporis humani partes aliam motûs, & quietis rationem obtineant, eadem (*per eandem Defin. p.* 2.) efficiunt, ut Corpus humanum aliam formam induat, hoc eſt, (*ut per ſe notum, & in fine præfationis, hujus partis monuimus*) ut Corpus humanum deſtruatur, & conſequenter ut omninò ineptum reddatur, ne poſſit pluribus modis affici, ac proinde (*per Prop. præc.*) mala ſunt. *Q. E. D.*

Scholium.

Quantùm hæc Menti obeſſe, vel prodeſſe poſſunt in Quintâ Parte explicabitur. Sed hîc notandum, quòd Corpus tum mortem obire intelligam, quando ejus partes ità diſponuntur, ut aliam motûs, & quietis rationem ad invicem obtineant. Nam negare non audeo Corpus humanum, retentâ ſanguinis circulatione, & aliis, propter quæ Corpus vivere exiſtimatur, poſſe nihilominùs in aliam naturam à ſuâ prorſùs diverſam mutari. Nam nulla ratio me cogit, ut ſtatuam Corpus non mori, niſi mutetur in cadaver; quin ipſa experientia aliud ſuadere videtur. Fit namque aliquando, ut homo tales patiatur mutationes, ut non facilè eundum illum eſſe dixerim, ut de quodam Hiſpano Poëtâ narrare audivi, qui morbo correptus fuerat, & quamvis ex eo convaluerit, manſit tamen præteritæ ſuæ vitæ tam oblitus, ut Fabulas, & Tragœdias, quas fecerat, ſuas non crediderit eſſe, & ſanè pro infante adulto haberi potuiſſet, ſi vernaculæ etiam linguæ fuiſſet oblitus. Et ſi hoc incredibile videtur, quid de infantibus dicemus? Quorum naturam homo provectæ ætatis à ſuâ tam diverſam eſſe credit, ut perſuaderi non poſſet, ſe unquam infantem fuiſſe, niſi ex aliis de ſe conjecturam faceret. Sed ne ſuperſtioſis materiam ſuppeditem movendi novas quæſtiones, malo hæc in medio relinquere.

Propositio XL.

Quæ ad hominum communem Societatem conducunt, ſive quæ efficiunt, ut homines concorditer vivant, utilia ſunt, & illa contrà mala, quæ diſcordiam in Civitatem inducunt.

Demonstratio.

Nam quæ efficiunt, ut homines concorditer vivant, ſimul efficiunt, ut ex ductu rationis vivant, (*per Prop.* 35. *hujus*) atque adeò (*per Prop.* 26. *&* 27. *hujus*) bona ſunt, & (*per eandem rationem*) illa contrà mala ſunt, quæ diſcordias concitant. *Q. E. D.*

Propositio XLI.

Lætitia directè mala non eſt, ſed bona; Triſtitia autem contrà directè eſt mala.

Demonstratio.

Lætitia (*per Prop.* 11. *p.* 3. *cum ejuſdem Schol.*) eſt affectus, quo corporis agendi potentia augetur, vel juvatur; Triſtitia autem contrà eſt affectus, quo corporis agendi potentia minuitur, vel coërcetur; adeoque (*per Prop.* 38. *hujus*) Lætitia directè bona eſt, &c. *Q. E. D.*

Propositio XLII.

Hilaritas exceſſum habere nequit; ſed ſemper bona eſt, & contrà melancholia ſemper mala.

Demonstratio.

Hilaritas (*vide ejus Defin. in Schol. Prop.* 11. *p.* 3.) eſt Lætitia, quæ, quatenus ad Corpus refertur, in hoc conſiſtit, quòd Corporis omnes partes pariter ſint affectæ, hoc eſt, (*per Prop.* 11. *p.* 3.) quòd Corporis agendi potentia augetur, vel juvatur, ità ut omnes ejus partes eandem ad invicem motûs, & quietis rationem obtineant; atque adeò (*per Prop.* 39. *hujus*) Hilaritas ſemper eſt bona, nec exceſſum habere poteſt. At Melancholia (*cujus etiam*

Defin. vide in eodem Schol. Prop. 11. *p.* 3.) eſt Triſtitia, quæ, quatenus ad Corpus refertur, in hoc conſiſtit, quòd Corporis agendi potentia abſolutè minuitur, vel coërcetur; adeoque (*per Prop.* 38. *hujus*) ſemper eſt mala. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLIII.

Titillatio exceſſum habere poteſt, & mala eſſe; Dolor autem eatenus poteſt eſſe bonus, quatenus Titillatio, ſeu Lætitia eſt mala.

DEMONSTRATIO.

Titillatio eſt Lætitia, quæ, quatenus ad Corpus refertur, in hoc conſiſtit, quòd una, vel aliquot ejus partes præ reliquis afficiuntur, (*vide ejus Defin. in Schol. Prop.* 11. *p.* 3.) cujus affectûs potentia tanta eſſe poteſt, ut reliquas Corporis actiones ſuperet, (*per Prop.* 6. *hujus*) eique pertinaciter adhæreat, atque adeò impediat, quò minùs Corpus aptum ſit, ut plurimis aliis modis afficiatur, adeoque (*per Prop.* 38. *hujus*) mala eſſe poteſt. Deinde Dolor, qui contrà Triſtitia eſt, in ſe ſolo conſideratus, non poteſt eſſe bonus. (*per Prop.* 41. *hujus*) Verùm quia ejus vis, & incrementum definitur potentiâ cauſæ externæ cum noſtrâ comparatâ, (*per Prop.* 5. *hujus*) poſſumus ergo hujus affectûs infinitos virium concipere gradus, & modos; (*per Prop.* 3. *hujus*) atque adeò eundem talem concipere, qui Titillationem poſſit coërcere, ut exceſſum non habeat, & eatenus (*per primam partem Prop. hujus*) efficere, ne corpus minùs aptum reddatur, ac proinde eatenus erit bonus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLIV.

Amor, & Cupiditas exceſſum habere poſſunt.

DEMONSTRATIO.

Amor eſt Lætitia, (*per Defin.* 6. *Affect.*) concomitante ideâ cauſæ externæ: Titillatio igitur, (*per Schol. Prop.* 11. *p.* 3.) concomitante ideâ cauſæ externæ Amor eſt; atque adeò Amor (*per Prop. prec.*) exceſſum habere poteſt. Deinde Cupiditas eò eſt major, quò affectus,

affectus, ex quo oritur, major est; (*per Prop. 37. p. 3.*) Quare ut affectus (*per Prop. 6. hujus*) reliquas hominis actiones superare potest; sic etiam Cupiditas, quæ ex eodem affectu oritur, reliquas Cupiditates superare, ac proinde eundem excessum habere poterit, quem in præcedenti Propositione Titillationem habere ostendimus. *Q. E. D.*

Scholium.

Hilaritas, quam bonam esse dixi, concipitur faciliùs, quàm observatur. Nam affectûs, quibus quotidie conflictamur, referuntur plerumque ad aliquam Corporis partem, quæ præ reliquis afficitur, ac proinde affectûs ut plurimùm excessum habent, & Mentem in solâ unius objecti contemplatione ità detinent, ut de aliis cogitare nequeat; & quamvis homines pluribus affectibus obnoxii sint, atque adeò rari reperiantur, qui semper uno, eodemque affectu conflictentur, non desunt tamen, quibus unus, idemque affectus pertinaciter adhæreat. Videmus enim homines aliquando ab uno objecto ità affici, ut quamvis præsens non sit, ipsum tamen coram habere credant, quod quando homini non dormienti accidit, eundem delirare dicimus, vel insanire; nec minùs insanire creduntur, qui Amore ardent, quique noctes, atque dies solam amasiam, vel meretricem somniant, quia risum movere solent. At cùm avarus de nullâ aliâ re, quàm de lucro, vel de nummis cogitet, & ambitiosus de gloriâ, &c. hi non creduntur delirare, quia molesti solent esse, & Odio digni æstimantur. Sed reverâ Avaritia, Ambitio, Libido, &c. delirii species sunt, quamvis inter morbos non numerentur.

Propositio XLV.

Odium nunquam potest esse bonum.

Demonstratio.

Hominem, quem odimus, destruere conamur (*per Prop. 39. p. 3.*) hoc est, *per Prop. 37. hujus*) aliquid conamur, quod malum est. Ergo &c. *Q. E. D.*

Scho-

SCHOLIUM.

Nota, me hîc, & in ſeqq. per Odium illud tantùm intelligere, quod eſt erga homines.

COROLLARIUM I.

Invidia, Irriſio, Contemptus, Ira, Vindicta, & reliqui affectûs, qui ad Odium referuntur, vel ex eodem oriuntur, mali ſunt, quod etiam ex Prop. 39. p. 3. & Prop. 37. hujus patet.

COROLLARIUM II.

Quicquid ex eo, quòd odio affecti ſumus, appetimus, turpe, & in Civitate injuſtum eſt. Quod etiam patet ex Prop. 39. p. 3. & ex Defin. turpis, & injuſti, quas vide in Schol. Prop. 37. hujus.

SCHOLIUM.

Inter Irriſionem, (quam in 1 Coroll. malam eſſe dixi) & riſum magnam agnoſco differentiam. Nam riſus, ut & jocus mera eſt Lætitia; adeóque, modo exceſſum non habeat, per ſe bonus eſt. (*per Prop.* 41. *hujus*) Nihil profectò niſi torva, & triſtis ſuperſtitio delectari prohibet. Nam quî magis decet famem, & ſitim extinguere, quàm melancholiam expellere? Mea hæc eſt ratio, & ſic animum induxi meum. Nullum numen, nec alius, niſi invidus, meâ impotentiâ, & incommodo delectatur, nec nobis lacrimas, ſingultûs, metum, & alia hujusmodi, quæ animi impotentis ſunt ſigna, virtuti ducit; ſed contrà, quo majori Lætitiâ afficimur, eò ad majorem perfectionem tranſimus, hoc eſt, eò nos magis de naturâ divinâ participare neceſſe eſt. Rebus itaque uti, & iis, quantùm fieri poteſt, delectari (non quidem ad nauſeam uſque. Nam hoc delectari non eſt) viri eſt ſapientis. Viri, inquam, ſapientis eſt, moderato, & ſuavi cibo, & potu ſe reficere, & recreare, ut & odoribus, plantarum virentium amænitate, ornatu, muſicâ, ludis exercitatoriis, theatris, & aliis hujusmodi, quibus unusquiſque abſque ullo alterius damno uti poteſt. Corpus namque humanum ex plurimis diverſæ naturæ partibus componitur, quæ continuò novo alimento indigent, & vario, ut totum Corpus ad omnia, quæ ex ipſius naturâ ſequi poſſunt, æquè aptum ſit, &

con-

consequenter ut Mens etiam æquè apta sit ad plura simul intelligendum. Hoc itaque vivendi institutum & cum nostris principiis, & cum communi praxi optimè convenit; quare, si quæ alia, hæc vivendi ratio optima est, & omnibus modis commendanda, nec opus est, de his clariùs, neque prolixiùs agere.

Propositio XLVI.

Qui ex ductu rationis vivit, quantùm potest, conatur alterius in ipsum Odium, Iram, Contemptum, &c. Amore contrà, sive Generositate compensare.

Demonstratio.

Omnes Odii affectûs mali sunt; (*per Coroll. 1. præc. Prop.*) adeóque, qui ex ductu rationis vivit, quantùm potest, conabitur efficere, ne Odii affectibus conflictetur, (*per Prop. 19. hujus*) & consequenter (*per Prop. 37. hujus*) conabitur, ne etiam alius eosdem patiatur affectûs. At Odium Odio reciproco augetur, & Amore contrà extingui potest, (*per Prop. 33. p. 3.*) ità ut Odium in Amorem transeat; (*per Prop. 44. p. 3.*) Ergo qui ex ductu rationis vivit, alterius Odium &c. Amore contrà compensare conabitur, hoc est, Generositate, (*Cujus Defin. vide in Schol. Prop. 59. p. 3.*) *Q. E. D.*

Scholium.

Qui injurias reciproco Odio vindicare vult, miserè profectò vivit. At qui contrà studet Odium Amore expugnare, ille sanè lætus, & securè pugnat; æquè facilè uni homini, ac pluribus resistit, & fortunæ auxilio quàm minimè indiget. Quos verò vincit, ii læti cedunt, non quidem ex defectu; sed ex incremento virium; quæ omnia adeò clarè ex solis Amoris, & intellectûs definitionibus sequuntur, ut opus non sit eadem sigillatim demonstrare.

Propositio XLVII.

Spei, & Metûs affectûs non possunt esse per se boni.

DEMONSTRATIO.

Spei, & Metûs affectûs ſine Triſtitiâ non dantur. Nam Metus eſt (*per* 13 *Affect. Defin.*) Triſtitia; & Spes (*vide Explicationem* 12 *&* 13. *Affect. Defin.*) non datur ſine Metu, ac proinde (*per Prop.* 41. *hujus*) hi affectûs non poſſunt eſſe per ſe boni; ſed tantùm quatenus Lætitiæ exceſſus coërcere poſſunt (*per Prop.* 43. *hujus*) *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Huc accedit, quòd hi affectûs cognitionis defectum, & Mentis impotentiam indicant; & hâc de cauſâ etiam Securitas, Deſperatio, Gaudium, & Conſcientiæ morſus animi impotentis ſunt ſigna. Nam, quamvis Securitas, & Gaudium affectûs ſint Lætitiæ, Triſtitiam tamen eoſdem præceſſiſſe ſupponunt, nempe Spem, & Metum. Quò itaque magis ex ductu rationis vivere conamur, eò magis Spe minùs pendere, & Metu nosmet liberare, & fortunæ, quantùm poſſumus, imperare conamur, noſtrasque actiones certo rationis conſilio dirigere.

PROPOSITIO XLVIII.

Affectûs Exiſtimationis, & Deſpectûs ſemper mali ſunt.

DEMONSTRATIO.

Hi enim affectus (*per* 21. *&* 22. *Affect. Defin.*) rationi repugnant; adeoque (*per Prop.* 26. *&* 27. *hujus*) mali ſunt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XLIX.

Exiſtimatio facilè hominem, qui exiſtimatur, ſuperbum reddit.

DEMONSTRATIO.

Si videntus, aliquem de nobis plùs juſto præ amore ſentire, facilè gloriabimur, (*per Schol. Prop.* 41. *p.* 3.) ſive Lætitiâ afficiemur; (*per* 29 *Affect. Defin.*) & id boni, quod de nobis prædicari audimus, facilè credemus; (*per Prop.* 25. *p.* 3.) atque adeò de nobis præ amore noſtri plùs juſto ſentiemus, hoc eſt, (*per Def.* 27. *Affect.*) facilè ſuperbiemus. *Q. E. D.*

PRO-

Propositio L.

Commiseratio in homine, qui ex ductu rationis vivit, per se mala, & inutilis est.

Demonstratio.

Commiseratio enim (*per* 18. *Affect. Defin.*) Tristitia est; ac proinde (*per Prop.* 41. *hujus*) per se mala; bonum autem, quod ex eâ sequitur, quòd scilicet hominem, cujus nos miseret à miseriâ liberare conamur, (*per Coroll.* 3. *Prop.* 27. *p.* 3.) ex solo rationis dictamine facere cupimus, (*per Prop.* 37. *hujus*) nec nisi ex solo rationis dictamine aliquid, quod certò scimus bonum esse, agere possumus; (*per Prop.* 27. *hujus*) atque adeò commiseratio in homine, qui ex ductu rationis vivit, per se mala est, & inutilis. *Q. E. D.*

Corollarium.

Hinc sequitur, quod homo, qui ex dictamine rationis vivit, conatur, quantùm potest, efficere, ne commiseratione tangatur.

Scholium.

Qui rectè novit omnia ex naturæ divinæ necessitate sequi, & secundùm æternas naturæ leges, & regulas fieri, is sanè nihil reperiet, quod Odio, Risu, aut Contemptu dignum sit, nec cujusquam miserebitur; sed, quantùm humana fert virtus, conabitur bene agere, ut ajunt, & lætari. Huc accedit, quod is, qui Commiserationis affectu facilè tangitur, & alterius miseriâ, vel lacrimis movetur, sæpe aliquid agit, cujus postea ipsum pœnitet; tam quia ex affectu nihil agimus, quod certò scimus bonum esse, quàm quia facilè falsis lacrimis decipimur. Atque hîc expressè loquor de homine, qui ex ductu rationis vivit. Nam, qui nec ratione, nec commiseratione movetur, ut aliis auxilio sit, is rectè inhumanus appellatur. Nam (*per Prop.* 27. *p.* 3.) homini dissimilis esse videtur.

PROPOSITIO LI.

Favor rationi non repugnat; ſed cum eâdem convenire, & ab eâdem oriri poteſt.

DEMONSTRATIO.

Eſt enim Favor Amor erga illum, qui alteri benefecit, (*per* 19. *Affect. Defin.*) atque adeò ad Mentem referri poteſt, quatenus hæc agere dicitur, (*per Prop.* 59. *p.* 3.) hoc eſt, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) quatenus intelligit, ac proinde cum ratione convenit, &c. *Q. E. D.*

Aliter.

Qui ex ductu rationis vivit, bonum, quod ſibi appetit, alteri etiam cupit; (*per Prop.* 37. *hujus*) quare ex eo, quòd ipſe aliquem videt alteri benefacere, ipſius benefaciendi conatus juvatur, hoc eſt, (*per Prop.* 11. *p.* 3.) lætabitur, idque (*ex Hypotheſi*) concomitante ideâ illius, qui alteri benefecit, ac proinde (*per* 19. *Affect. Defin.*) ei favet. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Indignatio, prout ipſa à nobis definitur, (*vide* 20. *Affect. Defin.*) eſt neceſſariò mala; (*per Prop.* 45. *hujus*) ſed notandum, quòd quando ſumma poteſtas deſiderio, quo tenetur, tutandæ pacis civem punit, qui alteri injuriam fecit, eandem civi indignari non dico, quia non Odio percita ad perdendum civem, ſed pietate mota eundem punit.

PROPOSITIO LII.

Acquieſcentia in ſe ipſo ex ratione oriri poteſt, & ea ſola acquieſcentia, quæ ex ratione oritur, ſumma eſt, quæ poteſt dari.

DEMONSTRATIO.

Acquieſcentia in ſe ipſo eſt Lætitia orta ex eo, quòd homo ſe ipſum, ſuamque agendi potentiam contemplatur. (*per* 25. *Affect. Defin.*) At vera hominis agendi potentia, ſeu virtus eſt ipſa ratio, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) quam homo clarè, & diſtinctè contemplatur; (*per*

(*per Prop.* 40. *&* 43. *p.* 2.) Ergo acquieſcentia in ſe ipſo ex ratione oritur. Deinde nihil homo, dum ſe ipſum contemplatur, clarè, & diſtinctè, ſive adæquatè percipit, niſi ea, quæ ex ipſius agendi potentiâ ſequuntur, (*per Defin.* 2. *p.* 3.) hoc eſt, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) quæ ex ipſius intelligendi potentiâ ſequuntur; adeoque ex ſolâ hâc contemplatione ſumma, quæ dari poteſt, acquieſcentia oritur. *Q. E. D.*

Scholium.

Eſt reverâ Acquieſcentia in ſe ipſo ſummum, quod ſperare poſſumus. Nam (*ut Prop.* 25. *hujus oſtendimus*) nemo ſuum eſſe alicujus finis cauſâ conſervare conatur, & quia hæc Acquieſcentia magis magiſque fovetur, & corroboratur laudibus, (*per Coroll. Prop.* 55. *p.* 3.) & contrà (*per Coroll. Prop.* 55. *p.* 3.) vituperio magis magiſque turbatur; ideo gloriâ maximè ducimur, & vitam cum probro vix ferre poſſumus.

Propositio LIII.

Humilitas virtus non eſt, ſive ex ratione non oritur.

Demonstratio.

Humilitas eſt Triſtitia, quæ ex eo oritur, quòd homo ſuam impotentiam contemplatur. (*per* 26. *Affect. Defin.*) Quatenus autem homo ſe ipſum verâ ratione cognoſcit, eatenus ſuam eſſentiam intelligere ſupponitur, hoc eſt, (*per Prop.* 7. *p.* 3.) ſuam potentiam. Quare ſi homo, dum ſe ipſum contemplatur, aliquam ſuam impotentiam percipit, id non ex eo eſt, quòd ſe intelligit; ſed (*ut Prop.* 55. *p.* 3. *oſtendimus*) ex eo, quòd ipſius agendi potentia coërcetur. Quod ſi ſupponamus, hominem ſuam impotentiam concipere ex eo, quòd aliquid ſe potentius intelligit, cujus cognitione ſuam agendi potentiam determinat, tum nihil aliud concipimus, quàm quòd homo ſe ipſum diſtinctè intelligit, (*per Prop.* 26. *hujus*) quòd ipſius agendi potentia juvatur. Quare Humilitas, ſeu Triſtitia quæ ex eo oritur, quod homo ſuam impotentiam contemplatur, non ex verâ contemplatione, ſeu ratione oritur, nec virtus; ſed paſſio eſt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO LIV.

Pœnitentia virtus non eſt, ſive ex ratione non oritur; ſed is, quem facti prœnitet, bis miſer, ſeu impotens eſt.

DEMONSTRATIO.

Hujus prima pars demonſtratur, ut præced. Propoſitio. Secunda autem ex ſolâ hujus affectûs Definitione, *(vide 27. Affect. Defin.)* patet. Nam primò prava Cupiditate, dein Triſtitiâ vinci ſe patitur.

SCHOLIUM.

Quia homines rarò ex dictamine rationis vivunt, ideò hi duo affectûs, nempe Humilitas, & Pœnitentia, & præter hos Spes, & Metus plus utilitatis, quàm damni afferunt; atque adeò, quandoquidem peccandum eſt, in iſtam partem potiùs peccandum. Nam, ſi homines animo impotentes æquè omnes ſuperbirent, nullius rei ipſos puderet, nec ipſi quicquam metuerent, quo vinculis conjungi, conſtringique poſſent? terret vulgus, niſi metuat; quare non mirum, quòd Prophetæ, qui non paucorum; ſed communi utilitati conſuluerunt, tantopere Humilitatem, Pœnitentiam, & Reverentiam commendaverint. Et reverâ, qui hiſce affectibus ſunt obnoxii, multò faciliùs, quàm alii, duci poſſunt, ut tandem ex ductu rationis vivant, hoc eſt, ut liberi ſint, & beatorum vitâ fruantur.

PROPOSITIO LV.

Maxima Superbia, vel Abjectio eſt maxima ſui ignorantia.

DEMONSTRATIO

Patet ex Defin. 28. & 29. Affect.

PROPOSITIO LVI.

Maxima Superbia, vel Abjectio maximam animi impotentiam indicat.

DEMON-

Demonstratio.

Primum virtutis fundamentum est suum esse conservare, (*per Coroll. Prop.* 22. *hujus*) idque ex ductu rationis. (*per Prop.* 24. *hujus*) Qui igitur se ipsum ignorat, omnium virtutum fundamentum, & consequenter omnes virtutes ignorat. Deinde ex virtute agere nihil aliud est, quàm ex ductu rationis agere, (*per Prop.* 24. *hujus*) & qui ex ductu rationis agit, scire necessariò debet se ex ductu rationis agere; (*per Prop.* 43. *p.* 2.) qui itaque se ipsum, & consequenter, (*ut jam jam ostendimus*) omnes virtutes maximè ignorat, is minimè ex virtute agit, hoc est, (*ut ex Defin.* 8. *hujus patet*) maximè animo est impotens; atque adeò (*per Prop. præc.*) maxima superbia, vel abjectio maximam animi impotentiam indicat. *Q. E. D.*

Corollarium.

Hinc clarissimè sequitur, superbos, & abjectos maximè affectibus esse obnoxios.

Scholium.

Abjectio tamen faciliùs corrigi potest; quàm superbia, quandoquidem hæc Lætitiæ, illa autem Tristitiæ est affectus; atque adeò (*per Prop.* 18. *hujus*) hâc illa fortior est.

Propositio LVII.

Superbus parasitorum, seu adulatorum præsentiam amat, generosorum autem odit.

Demonstratio.

Superbia est Lætitia orta ex eo, quòd homo de se plus justo sentit, (*per Defin.* 28. *&* 6. *Affect.*) quam opinionem homo superbus, quantùm potest, fovere conabitur; (*vide Schol. Prop.* 13. *p.* 3.) adeoque parasitorum, vel adulatorum (*horum Definitiones omisi, quia nimis noti sunt*) præsentiam amabunt, & generosorum, qui de ipsis, ut par est, sentiunt, fugient. *Q. E. D.*

Scho-

SCHOLIUM.

Nimis longum foret, hîc omnia Superbiæ mala enumerare, quandoquidem omnibus affectibus obnoxii ſunt ſuperbi; ſed nullis minùs, quàm affectibus Amoris, & Miſericordiæ. Sed hîc minimè tacendum eſt, quòd ille etiam ſuperbus vocetur, qui de reliquis minùs juſto ſentit, atque adeò hoc ſenſu Superbia definienda eſt, quòd ſit Lætitia orta ex falſâ opinione, quòd homo ſe ſupra reliquos eſſe putat. Et Abjectio huic Superbiæ contraria definienda eſſet Triſtitia orta ex falſâ opinione, quòd homo ſe infra reliquos eſſe credit. At hoc poſito facilè concipimus, ſuperbum neceſſariò eſſe invidum, *(vide Schol. Prop. 35. p. 3.)* & eos maximè odio habere, qui maximè ob virtutes laudantur, nec facilè eorum Odium Amore, aut beneficio vinci, *(vide Schol. Prop. 41. p. 3.)* & eorum tantummodò præſentiâ delectari, qui animo ejus impotenti morem gerunt, & ex ſtulto inſanum faciunt. Abjectio, quamvis Superbiæ ſit contraria, eſt tamen abjectus ſuperbo proximus. Nam, quandoquidem ejus Triſtitia ex eo oritur, quòd ſuam impotentiam ex aliorum potentiâ, ſeu virtute judicat, levabitur ergo ejus Triſtitia, hoc eſt, lætabitur, ſi ejus imaginatio in alienis vitiis contemplandis occupetur, unde illud proverbium natum: *ſolamen miſeris ſocios habuiſſe malorum*, & contrà eò magis contriſtabitur, quò ſe magis infra reliquos eſſe crediderit; unde fit, ut nulli ad Invidiam ſint proni, quàm abjecti; & ut iſti maximè hominum facta obſervare conentur ad carpendum magis, quàm ad eadem corrigendum, & ut tandem ſolam Abjectionem laudent, eâque glorientur; ſed ità, ut tamen abjecti videantur. Atque hæc ex hoc affectu tam neceſſariò ſequuntur, quàm ex naturâ trianguli, quòd ejus tres anguli æquales ſint duobus rectis; & jam dixi me hos, & ſimiles affectûs malos vocare, quatenus ad ſolam humanam utilitatem attendo. Sed naturæ leges communem naturæ ordinem, cujus homo pars eſt, reſpiciunt; quod hîc in tranſitu monere volui, ne quis putaret me hîc hominum vitia, & abſurda facta narrare; non autem rerum naturam, & proprietates demonſtrare voluiſſe. Nam, ut in Præfatione Partis Tertiæ dixi,

dixi, humanos affectûs, eorumque proprietates perinde conſidero, ac reliqua naturalia. Et ſanè humani affectûs, ſi non humanam, naturæ ſaltem potentiam, & artificium non minùs indicant, quàm multa alia, quæ admiramur, quorumque contemplatione delectamur. Sed pergo de affectibus ea notare, quæ hominibus utilitatem adferunt, vel quæ iiſdem damnum inferunt.

Propositio LVIII.

Gloria rationi non repugnat, ſed ab eâ oriri poteſt.

Demonstratio.

Patet ex 30 Affect. Defin. & ex definitione Honeſti, quam vide in Schol. 1. Prop. 37. hujus.

Scholium.

Vana, quæ dicitur, gloria eſt acquieſcentia in ſe ipſo, quæ ſolâ vulgi opinione fovetur, eâque ceſſante, ceſſat ipſa acquieſcentia, hoc eſt, (*per Schol. Prop. 52. hujus*) ſummum bonum, quod unusquiſque amat; unde fit, ut qui vulgi opinione gloriatur, quotidianâ curâ anxius nitatur, faciat, experiatur, ut famam conſervet. Eſt namque vulgus varius, & inconſtans, atque adeò, niſi conſervetur fama, citò aboleſcit; imò quia omnes vulgi captare applauſûs cupiunt, facilè unusquiſque alterius famam reprimit, ex quo, quandoquidem de ſummo, quod æſtimatur, bono certatur, ingens libido oritur ſe invicem quocunque modo opprimendi, & qui tandem victor evadit, gloriatur magis, quòd alteri obfuit, quàm quòd ſibi profuit. Eſt igitur hæc gloria, ſeu acquieſcentia reverâ vana, quia nulla eſt.

Quæ de Pudore notanda ſunt, colliguntur facilè ex iis, quæ de Miſericordiâ, & Pœnitentiâ diximus. Hoc tantùm addo, quòd ut Commiſeratio, ſic etiam Pudor, quamvis non ſit virtus, bonus tamen eſt, quatenus indicat, homini, qui Pudore ſuffunditur, cupiditatem ineſſe honeſtè vivendi, ſicut dolor, qui eatenus bonus dicitur, quatenus indicat, partem læſam nondum eſſe putrefactam; quare, quamvis homo, quem facti alicujus pudet, re-

verâ ſit triſtis, eſt tamen perfectior impudenti, qui nullam habet honeſtè virendi cupiditatem.

Atque hæc ſunt, quæ de affectibus Lætitiæ, & Triſtitiæ notare ſuſceperam. Ad cupiditates quod attinet, hæ ſanè bonæ, aut malæ ſunt, quatenus ex bonis, aut malis affectibus oriuntur. Sed omnes reverâ, quatenus ex affectibus, qui paſſiones ſunt, in nobis ingenerantur, cæcæ ſunt, (*ut facilè colligitur ex iis, quæ in Schol. Prop.* 44. *hujus diximus*) nec ullius uſus eſſent, ſi homines facilè duci poſſent, ut ex ſolo rationis dictamine viverent, ut jam paucis oſtendam.

PROPOSITIO LIX.

Ad omnes actiones, ad quas ex affectu, qui paßio eſt, determinamur, poſſumus abſque eo à ratione determinari.

DEMONSTRATIO.

Ex ratione agere nihil aliud eſt, (*per Prop.* 3. *& Defin.* 2. *p.* 3.) quàm ea agere, quæ ex neceſſitate noſtræ naturæ, in ſe ſolâ conſideratæ, ſequuntur. At Triſtitia eatenus mala eſt, quatenus hanc agendi potentiam minuit, vel coërcet; (*per Prop.* 41. *hujus*) ergo ex hoc affectu ad nullam actionem poſſumus determinari, quam non poſſemus agere, ſi ratione duceremur. Præterea Lætitia eatenus tantùm mala eſt, quatenus impedit, quò minùs homo ad agendum ſit aptus; (*per Prop.* 41. *&* 43. *hujus*) atque adeò eatenus etiam ad nullam actionem determinari poſſumus, quam non poſſemus agere, ſi ratione duceremur. Denique quatenus Lætitia bona eſt, eatenus cum ratione convenit, (conſiſtit enim in eo, quòd hominis agendi potentia augetur, vel juvatur) nec paſſio eſt, niſi quatenus hominis agendi potentia non eò uſque augetur, ut ſe, ſuasque actiones adæquatè concipiat. (*per Prop.* 3. *p.* 3. *cum ejus Schol.*) Quare ſi homo Lætitiâ affectus ad tantam perfectionem duceretur, ut ſe, ſuasque actiones adæquatè conciperet, ad eaſdem actiones, ad quas jam ex affectibus, qui paſſiones ſunt, determinatur, aptus, imo aptior eſſet. At omnes affectûs ad Lætitiam, Triſtitiam, vel Cupiditatem referuntur, (*vide explicationem quartæ*

Aff.

Aff. Defin.) & Cupiditas (*per* 1. *Affect. Defin.*) nihil aliud eſt, quàm ipſe agendi conatus; ergo ad omnes actiones, ad quas ex affectu, qui paſſio eſt, determinamur, poſſumus abſque eo ſolâ ratione duci. *Q. E. D.*

Aliter.

Actio quæcunque eatenus dicitur mala, quatenus ex eo oritur, quòd Odio, aut aliquo malo affectu affecti ſumus. (*vide Coroll.* 1. *Prop.* 45. *hujus*) At nulla actio, in ſe ſolâ conſiderata, bona, aut mala eſt: (*ut in Præfatione hujus oſtendimus*) ſed una, eademque actio jam bona, jam mala eſt; ergo ad eandem actionem, quæ jam mala eſt, ſive quæ ex aliquo malo affectu oritur, ratione duci poſſumus. (*per Prop.* 19. *hujus*) *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Explicantur hæc clariùs exemplo. Nempe verberandi actio, quatenus phyſicè conſideratur, & ad hoc tantùm attendimus, quòd homo brachium tollit, manum claudit, totumque brachium vi deorſum movet, virtus eſt, quæ ex Corporis humani fabricâ concipitur. Si itaque homo, Irâ, vel Odio commotus, determinatur ad claudendam manum, vel brachium movendum, id, ut in Parte ſecundâ oſtendimus, fit, quia una, eademque actio poteſt jungi quibuscunque rerum imaginibus; atque adeò tam ex iis imaginibus rerum, quas confuſè, quàm quas clarè, & diſtinctè concipimus, ad unam, eandemque actionem determinari poſſumus. Apparet itaque, quòd omnis Cupiditas, quæ ex affectu, qui paſſio eſt, oritur, nullius eſſet uſus, ſi homines ratione duci poſſent. Videamus jam, cur Cupiditas, quæ ex affectu, qui paſſio eſt, oritur, cæca à nobis appelletur.

PROPOSITIO LX.

Cupiditas, quæ oritur ex Lætitiâ, vel Triſtitiâ, quæ ad unam, vel ad aliquot, non autem ad omnes Corporis partes refertur, rationem utilitatis totius hominis non habet.

DEMONSTRATIO.

Ponatur ex. gr. Corporis pars A vi alicujus cauſæ externæ ità corroborari, ut reliquis prævaleat, (*per Prop.* 6. *hujus*) hæc pars vires ſuas amittere propterea non conabitur, ut reliquæ Corporis partes ſuo fungantur officio. Deberet enim vim, ſeu potentiam habere vires ſuas amittendi, quòd (*per Prop.* 6. *p.* 3.) eſt abſurdum. Conabitur itaque illa pars, & conſequenter (*per Prop.* 7. *&* 12. *p.* 3.) Mens etiam illum ſtatum conſervare; adeóque Cupiditas, quæ ex tali affectu Lætitiæ oritur, rationem totius non habet. Quòd ſi contrà ſupponatur pars A coërceri, ut reliquæ prævaleant, eodem modo demonſtratur, quòd nec Cupiditas, quæ ex Triſtitiâ oritur, rationem totius habeat. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cùm itaque Lætitia plerumque (*per Schol. Prop.* 44. *hujus*) ad unam Corporis partem referatur, cupimus ergo plerumque noſtrum eſſe conſervare, nullâ habitâ ratione integræ noſtræ valetudinis: ad quod accedit, quòd Cupiditates, quibus maximè tenemur, (*per Coroll. Prop.* 9. *hujus*) temporis tantùm præſentis, non autem futuri habent rationem.

PROPOSITIO LXI.

Cupiditas, quæ ex ratione oritur, exceſſum habere nequit.

DEMONSTRATIO.

Cupiditas, (*per* 1. *Affect. Def.*) abſolutè conſiderata, eſt ipſa hominis eſſentia, quatenus quocumque modo determinata concipitur ad aliquid agendum; adeoque Cupiditas, quæ ex ratione oritur, hoc eſt, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) quæ in nobis ingeneratur, quatenus agimus, eſt ipſa hominis eſſentia, ſeu natura, quatenus determinata concipitur ad agendum ea, quæ per ſolam hominis eſſentiam adæquatè concipiuntur: (*per Defin.* 2. *p.* 3.) ſi itaque hæc Cupiditas exceſſum habere poſſet, poſſet ergo humana natura, in ſe ſolâ conſiderata, ſe ipſam excedere, ſive plus poſſet, quàm poteſt, quod manifeſta eſt contradictio; ac proinde hæc Cupiditas exceſſum habere nequit. *Q. E. D.*

PRO-

Propositio LXII.

Quatenus Mens ex rationis dictamine res concipit, æquè afficitur, sive idea sit rei futuræ, vel præteritæ, sive præsentis.

Demonstratio.

Quicquid Mens ducente ratione concipit, id omne sub eâdem æternitatis, seu necessitatis specie concipit, (*per Coroll. 2. Prop. 44. p. 2.*) eâdemque certitudine afficitur. (*per Prop. 43. & ejus Schol.*) Quare, sive idea sit rei futuræ, vel præteritæ, sive præsentis, Mens eâdem necessitate rem concipit, eâdemque certitudine afficitur, &, sive idea sit rei futuræ, vel præteritæ, sive præsentis, erit nihilominùs æquè vera, (*per Prop. 41. p. 2.*) hoc est, (*per Defin. 4. p. 2.*) habebit nihilominùs semper easdem ideæ adæquatæ proprietates; atque adeò quatenus Mens ex rationis dictamine res concipit, eodem modo afficitur, sive idea sit rei futuræ, vel præteritæ, sive præsentis. *Q. E. D.*

Scholium.

Si nos de rerum duratione adæquatam cognitionem habere, earumque existendi tempora ratione determinare possemus; eodem affectu res futuras, ac præsentes contemplaremur, & bonum, quod Mens ut futurum conciperet, perinde, ac præsens, appeteret, & consequenter bonum præsens minus pro majori bono futuro necessariò negligeret, & quod in præsenti bonum esset, seu causa futuri alicujus mali, minimè appeteret, ut mox demonstrabimus. Sed nos de duratione rerum (*per Prop. 31. p. 2.*) non nisi admodùm inadæquatam cognitionem habere possumus, & rerum existendi tempora (*per Schol. Prop. 44. p. 2.*) solâ imaginatione determinamus, quæ non æquè afficitur imagine rei præsentis, ac futuræ; unde fit, ut vera boni, & mali cognitio, quam habemus, non nisi abstracta, sivè universalis sit, & judicium, quod de rerum ordine, & causarum nexu facimus, ut determinare possimus, quid nobis in præsenti bonum, aut malum sit, sit potius imaginarium, quàm reale; atque adeò mirum non est, si Cupiditas, quæ

ex boni, & mali cognitione, quatenus hæc futurum proſpicit, oritur, faciliùs rerum Cupiditate, quæ in præſentiâ ſuaves ſunt, coërceri poteſt, de quo vide Propoſitionem 18. hujus Partis.

PROPOSITIO LXIII.

Qui Metu ducitur, & bonum, ut malum vitet, agit, is ratione non ducitur.

DEMONSTRATIO.

Omnes affectûs, qui ad Mentem, quatenus agit, hoc eſt, (*per Prop. 3. p. 3.*) qui ad rationem referuntur, nulli alii ſunt, quàm affectûs Lætitiæ, & Cupiditatis; (*per Prop. 59. p. 3.*) atque adeò (*per 13. Affect. Defin.*) qui Metu ducitur, & bonum timore mali agit, is ratione non ducitur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Superſtitioſi, qui vitia exprobrare magis, quàm virtutes docere nôrunt; & qui homines non ratione ducere, ſed Metu ità continere ſtudent, ut malum potiùs fugiant, quàm virtutes ament, nil aliud intendunt, quàm ut reliqui æquè, ac ipſi, fiant miſeri, & ideò non mirum, ſi plerumque moleſti, & odioſi ſint hominibus.

COROLLARIUM.

Cupiditate, quæ ex ratione oritur, bonum directè ſequimur, & malum indirectè fugimus.

DEMONSTRATIO.

Nam Cupiditas, quæ ex ratione oritur, ex ſolo Lætitiæ affectu, quæ paſſio non eſt, oriri poteſt, (*per Prop. 59. p. 3.*) hoc eſt, ex Lætitiâ, quæ exceſſum habere nequit; (*per Prop. 61. hujus*) non autem ex Triſtitiâ, ac proinde hæc Cupiditas (*per Prop. 8. hujus*) ex cognitione boni; non autem mali oritur; atque adeò ex ductu rationis bonum directè appetimus, & eatenus tantùm malum fugimus. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Explicatur hoc Corollarium exemplo ægri, & ſani. Comedit æger id, quod averſatur, timore mortis; ſanus autem cibo gaudet,

det, & vitâ sic melius fruitur, quàm si mortem timeret, eamque directè vitare cuperet. Sic judex, qui non Odio, aut Irâ, &c. sed solo Amore salutis publicæ reum mortis damnat, solâ ratione ducitur.

Propositio LXIV.

Cognitio mali cognitio est inadæquata.

Demonstratio.

Cognitio mali (*per Prop.* 8. *hujus*) est ipsa Tristitia, quatenus ejusdem sumus conscii. Tristitia autem est transitio ad minorem perfectionem, (*per* 3. *Affect. Defin.*) quæ propterea per ipsam hominis essentiam intelligi nequit; (*per Prop.* 6. *&* 7. *p.* 3.) ac proinde (*per Defin.* 2. *p.* 3.) passio est, quæ (*per Prop.* 3. *p.* 3.) ab ideis inadæquatis pendet, & consequenter (*per Prop.* 29. *p.* 2.) ejus cognitio, nempe mali cognitio, est inadæquata. *Q. E. D.*

Corollarium.

Hinc sequitur, quòd si Mens humana non, nisi adæquatas, haberet ideas, nullam mali formaret notionem.

Propositio LXV.

De duobus bonis majus, & de duobus malis minus ex rationis ductu sequemur.

Demonstratio.

Bonum, quod impedit, quò minùs majore bono fruamur, est reverâ malum; malum enim, & bonum (*ut in Præfat. hujus ostendimus*) de rebus dicitur, quatenus easdem ad invicem comparamus, & (*per eandem rationem*) malum minus reverâ bonum est, quare (*per Coroll. Prop. præc.*) ex rationis ductu bonum tantùm majus, & malum minus appetemus, seu sequemur. *Q. E. D.*

Corollarium.

Malum minus pro majore bono ex rationis ductu sequemur, & bonum minus, quod causa est majoris mali, negligemus. Nam malum, quod hic dicitur minus, reverâ bonum est, & bonum

contrà

contrà malum, quare (*per Coroll. Prop. præc.*) illud appetemus, & hoc negligemus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO LXVI.

Bonum majus futurum præ minore præſenti, & malum præſens minus, quod cauſa eſt futuri alicujus mali, ex rationis ductu appetemus.

DEMONSTRATIO.

Si Mens rei futuræ adæquatam poſſet habere cognitionem, eodem affectu erga rem futuram, ac erga præſentem afficeretur; *(per Prop. 62. hujus)* quare quatenus ad ipſam rationem attendimus, ut in hâc Propoſitione nos facere ſupponimus, res eadem eſt, ſive majus bonum, vel malum futurum, ſive præſens ſupponatur; ac proinde (*per Prop. 65. hujus*) bonum futurum majus præ minore præſenti &c. appetemus. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Malum præſens minus, quod eſt cauſa majoris futuri boni ex rationis ductu appetemus, & bonum præſens minus, quod cauſa eſt majoris futuri mali negligemus. Hoc Coroll. ſe habet ad præced. Prop. ut Coroll. Prop. 65. ad ipſam Prop. 65.

SCHOLIUM.

Si igitur hæc cum iis conferantur, quæ in hâc parte uſque ad Propoſitionem 18. de affectuum viribus oſtendimus, facilè videbimus, quid homo, qui ſolo affectu, ſeu opinione, homini, qui ratione ducitur, interſit. Ille enim, velit nolit, ea, quæ maximè ignorat, agit; hic autem nemini, niſi ſibi, morem gerit, & ea tantùm agit, quæ in vitâ prima eſſe novit, quæque propterea maximè cupit, & ideò illum ſervum, hunc autem liberum voco, de cujus ingenio, & vivendi ratione pauca adhuc notare libet.

PRO-

Propositio LXVII.

Homo liber de nullâ re minùs, quàm de morte cogitat, & ejus ſapientia non mortis, ſed vitæ meditatio eſt.

Demonstratio.

Homo liber, hoc eſt, qui ex ſolo rationis dictamine vivit, mortis Metu non ducitur; (*per Prop.* 63. *hujus*) ſed bonum directè cupit, (*per Coroll. ejuſdem Prop.*) hoc eſt, (*per Prop.* 24. *hujus*) agere, vivere, ſuum eſſe conſervare ex fundamento proprium utile quærendi; atque adeò nihil minùs, quàm de morte cogitat; ſed ejus ſapientia vitæ eſt meditatio. *Q. E. D.*

Propositio LXVIII.

Si homines liberi naſcerentur, nullum boni, & mali formarent conceptum, quamdiu liberi eſſent.

Demonstratio.

Illum liberum eſſe dixi, qui ſolâ ducitur ratione; qui itaque liber naſcitur, & liber manet, non niſi adæquatas ideas habet, ac proinde mali conceptum habet nullum, (*per Coroll. Prop.* 64. *hujus*) & conſequenter (nam bonum, & malum correlata ſunt) neque boni. *Q. E. D.*

Scholium.

Hujus Propoſitionis hypotheſin falſam eſſe, nec poſſe concipi, niſi quatenus ad ſolam naturam humanam, ſeu potiùs ad Deum attendimus, non quatenus infinitus; ſed quatenus tantummodò cauſa eſt, cur homo exiſtat, patet ex 4 Propoſitione hujus Partis. Atque hoc, & alia, quæ jam demonſtravimus, videntur à Moſe ſignificari in illâ primi hominis hiſtoriâ. In eâ enim nulla alia Dei potentia concipitur, quàm illa, quâ hominem creavit, hoc eſt, potentia, quâ hominis ſolummodò utilitati conſuluit, atque eatenus narratur, quòd Deus homini libero prohibuerit, nè de arbore cognitionis boni, & mali comederet, & quòd, ſimulac de eâ comederet, ſtatim mortem metueret potiùs, quàm vivere cuperet.

Deinde, quòd inventâ ab homine uxore, quæ cum ſuâ naturâ prorſùs conveniebat, cognovit nihil poſſe in naturâ dari, quod ipſi poſſet illâ eſſe utilius; ſed quòd, poſtquam bruta ſibi ſimilia eſſe credidit, ſtatim eorum affectûs imitari inceperit, (*vide Prop.* 27. *p.* 3.) & libertatem ſuam amittere, quam Patriarchæ poſtea recuperaverunt, ducti Spiritu Chriſti, hoc eſt, Dei ideâ, à quâ ſolâ pendet, ut homo liber ſit, & ut bonum, quod ſibi cupit, reliquis hominibus cupiat, ut ſuprà (*per Prop.* 37. *hujus*) demonſtravimus.

PROPOSITIO LXIX.

Hominis liberi virtus æquè magna cernitur in declinandis, quàm in ſuperandis periculis.

DEMONSTRATIO.

Affectus coërceri, nec tolli poteſt, niſi affectu contrario, & fortiore affectu coërcendo. (*per Prop.* 9. *hujus*) At cæca Audacia & Metus affectûs ſunt, qui æquè magni poſſunt concipi: (*per Prop.* 5. *&* 3. *hujus*) Ergo æquè magna animi virtus, ſeu fortitudo (*hujus Definitionem vide in Schol. Prop.* 59. *p.* 3.) requiritur ad Audaciam, quàm ad Metum coërcendum, hoc eſt, (*per Defin.* 40. *&* 41. *Affect.*) homo liber eâdem animi virtute pericula declinat, quâ eadem ſuperare tentat. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Homini igitur libero æquè magnæ Animoſitati fuga in tempore, ac pugna ducitur: ſive homo liber eâdem Animoſitate, ſeu animi præſentiâ, quâ certamen, fugam eligit.

SCHOLIUM.

Quid Animoſitas ſit, vel quid per ipſam intelligam in Scholio Prop. 59. p. 3. explicui. Per periculum autem id omne intelligo, quod poteſt eſſe cauſa alicujus mali, nempe Triſtitiæ, Odii, Diſcordiæ, &c.

PROPOSITIO LXX.

Homo liber, qui inter ignaros vivit, eorum, quantum poteſt, beneficia declinare ſtudet.

DE-

Demonstratio.

Unusquisque ex suo ingenio judicat, quid bonum sit (*vide Schol. Prop.* 39. *p.* 3.) ignarus igitur, qui in aliquem beneficium contulit, id ex suo ingenio æstimabit, & si minoris ab eo, cui datum est, æstimari videt, contristabitur. (*per Prop.* 42. *p.* 3.) At homo liber reliquos homines amicitiâ sibi jungere, (*per Prop.* 37. *hujus*) nec paria hominibus beneficia ex eorum affectu referre; sed se, & reliquos libero rationis judicio ducere, & ea tantùm agere studet, quæ ipse prima esse novit: ergo homo liber, ne ignaris odio sit, & ne eorum appetitui; sed soli rationi obsequatur, eorum beneficia, quantum potest, declinare conabitur. *Q. E. D.*

Scholium.

Dico *quantum potest*. Nam quamvis homines ignari sint, sunt tamen homines, qui in necessitatibus humanum auxilium, quo nullum præstabilius est, adferre queunt; atque adeò sæpe fit, ut necesse sit ab iisdem beneficium accipere, & consequenter iisdem contrà ex eorum ingenio congratulari; ad quod accedit, quòd etiam in declinandis beneficiis cautio esse debet, ne videamur eosdem contemnere, vel præ Avaritiâ remunerationem timere, atque ità dum eorum Odium fugimus, eo ipso in eorum offensionem incurramus. Quare in declinandis beneficiis ratio utilis, & honesti habenda est.

Propositio LXXI.

Soli homines liberi erga se invicem gratissimi sunt.

Demonstratio.

Soli homines liberi sibi invicem utilissimi sunt, & maximâ amicitiæ necessitudine invicem junguntur, (*per Prop.* 35. *hujus*, *&* 1. *ejus Coroll.*) pariqúe amoris studio sibi invicem benefacere conantur; (*per Prop.* 37. *hujus*) adeóque (*per* 34. *Affect. Defin.*) soli homines liberi erga se invicem gratissimi sunt. *Q. E. D.*

Scholium.

Gratia, quam homines, qui cæcâ Cupiditate ducuntur, invi-

cem habent, mercatura, ſeu aucupium potiùs, quàm gratia plerumque eſt. Porrò ingratitudo affectus non eſt. Eſt tamen ingratitudo turpis, quia plerumque hominem nimio Odio, Irâ, vel Superbiâ, vel Avaritiâ &c. affectum eſſe indicat. Nam qui præſtultitiâ dona compenſare neſcit, ingratus non eſt, & multò minùs ille, qui donis non movetur meretricis, ut ipſius libidini inſerviat, nec furis, ut ipſius furta celet, vel alterius ſimilis. Nam hic contrà animum habere conſtantem oſtendit, qui ſcilicet ſe nullis donis ad ſuam, vel communem perniciem patitur corrumpi.

PROPOSITIO LXXII.

Homo liber nunquam dolo malo; ſed ſemper cum fide agit.

DEMONSTRATIO.

Si liber homo quicquam dolo malo, quatenus liber eſt, ageret, id ex dictamine rationis ageret: (nam eatenus tantùm liber à nobis appellatur) atque adeò dolo malo agere virtus eſſet, (*per Prop. 24. hujus*) & conſequenter (*per eandem Prop.*) unicuique ad ſuum eſſe conſervandum conſultius eſſet, dolo malo agere, hoc eſt, (*ut per ſe notum*) hominibus conſultius eſſet verbis ſolummodò convenire, re autem invicem eſſe contrarios, quod (*per Coroll. Prop. 31. hujus*) eſt abſurdum. Ergo homo liber &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Si jam quæratur, quid ſi homo ſe perfidiâ à præſenti mortis periculo poſſet liberare, an non ratio ſuum eſſe conſervandi omninò ſuadet, ut perfidus ſit? Reſpondebitur eodem modo, quòd ſi ratio id ſuadeat, ſuadet ergo id omnibus hominibus, atque adeò ratio omninò ſuadet hominibus, ne niſi dolo malo paciſcantur, vires conjungere, & jura habere communia, hoc eſt, ne reverâ jura habeant communia, quod eſt abſurdum.

PROPOSITIO LXXIII.

Homo, qui ratione ducitur, magis in civitate, ubi ex communi decreto vivit, quàm in ſolitudine, ubi ſibi ſoli obtemperat, liber eſt.

DE-

Demonstratio.

Homo, qui ratione ducitur, non ducitur Metu ad obtemperandum; (*per Prop.* 63. *hujus*) ſed quatenus ſuum eſſe ex rationis dictamine conſervare conatur, hoc eſt, (*per Schol. Prop.* 66. *hujus*) quatenus liberè vivere conatur, communis vitæ, & utilitatis rationem tenere, (*per Prop.* 37. *hujus*) & conſequenter (*ut in Schol.* 2. *Prop.* 37. *hujus oſtendimus*) ex communi civitatis decreto vivere cupit. Cupit ergo homo, qui ratione ducitur, ut liberiùs vivat, communia civitatis jura tenere. *Q. E. D.*

Scholium.

Hæc, & ſimilia, quæ de verâ hominis libertate oſtendimus, ad Fortitudinem, hoc eſt (*per Schol. Prop.* 59. *p.* 3.) ad Animoſitatem, & Generoſitatem referuntur. Nec operæ pretium duco, omnes Fortitudinis proprietates hîc ſeparatim demonſtrare, & multò minùs, quòd vir fortis neminem odio habeat, nemini iraſcatur, invideat, indignetur, neminem deſpiciat, miniméque ſuperbiat. Nam hæc, & omnia, quæ ad veram vitam, & Religionem ſpectant, facilè ex Propoſitione 37. & 46. hujus Partis convincuntur; nempe quòd Odium Amore contrà vincendum ſit, & quòd unusquiſque, qui ratione ducitur, bonum, quod ſibi appetit, reliquis etiam ut ſit, cupiat. Ad quod accedit id, quod in Scholio Propoſitionis 50. hujus Partis, & aliis in locis notavimus, quòd ſcilicet vir fortis hoc apprimè conſideret, nempe quòd omnia ex neceſſitate divinæ naturæ ſequantur, ac proinde quicquid moleſtum, & malum eſſe cogitat, & quicquid præterea impium, horrendum, injuſtum, & turpe videtur, ex eo oritur, quod res ipſas perturbatè, mutilatè, & confuſè concipit; & hâc de cauſâ apprimè conatur res, ut in ſe ſunt, concipere, & veræ cognitionis impedimenta amovere, ut ſunt Odium, Ira, Invidia, Irriſio, Superbia, & reliqua hujusmodi, quæ in præcedentibus notavimus; atque adeò, quantùm poteſt, conatur, uti diximus, benè agere, & lætari. Quòuſque autem humana virtus ad hæc conſequenda ſe extendat, & quid poſſit in ſequenti Parte demonſtrabo.

APPENDIX.

Quæ in hâc parte de rectâ vivendi ratione tradidi non ſunt ità diſpoſita, ut uno aſpectu videri poſſint; ſed diſperſè à me demonſtrata ſunt, prout ſcilicet unum ex alio faciliùs deducere potuerim. Eadem igitur hîc recolligere, & ad ſumma capita redigere propoſui.

CAPUT I.

Omnes noſtri conatûs, ſeu Cupiditates ex neceſſitate noſtræ naturæ ità ſequuntur, ut vel per ipſam ſolam, tanquam per proximam ſuam cauſam, poſſint intelligi, vel quatenus naturæ ſumus pars, quæ per ſe abſque aliis individuis non poteſt adæquatè concipi.

CAPUT II.

Cupiditates, quæ ex noſtrâ naturâ ita ſequuntur, ut per ipſam ſolam poſſint intelligi, ſunt illæ, quæ ad Mentem referuntur, quatenus hæc ideis adæquatis conſtare concipitur; reliquæ verò Cupiditates ad Mentem non referuntur, niſi quatenus res inadæquatè concipit, & quarum vis, & incrementum non humanâ; ſed rerum, quæ extra nos ſunt, potentiâ definiri debet; & ideò illæ rectè actiones, hæ autem paſſiones vocantur; illæ namque noſtram potentiam ſemper indicant, & hæ contra noſtram impotentiam, & mutilatam cognitionem.

CAPUT III.

Noſtræ actiones, hoc eſt, Cupiditates illæ, quæ hominis potentiâ, ſeu ratione definiuntur, ſemper bonæ ſunt, reliquæ autem tam bonæ, quàm malæ poſſunt eſſe. CA-

Caput IV.

In vitâ itaque apprimè utile eſt, intellectum, ſeu rationem, quantùm poſſumus, perficere, & in hoc uno ſumma hominis felicitas, ſeu beatitudo conſiſtit; quippe beatitudo nihil aliud eſt, quàm ipſa animi acquieſcentia, quæ ex Dei intuitivâ cognitione oritur: at intellectum perficere nihil etiam aliud eſt, quàm Deum, Deiqúe attributa, & actiones, quæ ex ipſius naturæ neceſſitate conſequuntur, intelligere. Quare hominis, qui ratione ducitur, finis ultimus, hoc eſt, ſumma Cupiditas, quâ reliquas omnes moderari ſtudet, eſt illa, quâ fertur ad ſe, resque omnes, quæ ſub ipſius intelligentiam cadere poſſunt, adæquatè concipiendum.

Caput V.

Nulla igitur vita rationalis eſt ſine intelligentiâ, & res eatenus tantùm bonæ ſunt, quatenus hominem juvant, ut Mentis vitâ fruatur, quæ intelligentiâ definitur. Quæ autem contrà impediunt, quò minùs homo rationem perficere, & rationali vitâ frui poſſit, eas ſolummodo malas eſſe dicimus.

Caput VI.

Sed quia omnia illa, quorum homo efficiens eſt cauſa, neceſſariò bona ſunt; nihil ergo mali homini evenire poteſt, niſi à cauſis externis; nempe quatenus pars eſt totius naturæ, cujus legibus humana natura obtemperare, & cui infinitis modis penè ſeſe accommodare cogitur.

Ca-

CAPUT VII.

Nec fieri poteſt, ut homo non ſit naturæ pars, & communem ejus ordinem non ſequatur; ſed ſi inter talia individua verſetur, quæ cum ipſius hominis naturâ conveniunt, eo ipſo hominis agendi potentia juvabitur, & fovebitur. At ſi contrà inter talia ſit, quæ cum ipſius naturâ minimè conveniunt, vix abſque magnâ ipſius mutatione iiſdem ſeſe accommodare poterit.

CAPUT VIII.

Quicquid in rerum naturâ datur, quod judicamus malum eſſe, ſive poſſe impedire, quò minùs exiſtere, & vitâ rationali frui queamus, id à nobis removere eâ viâ, quæ ſecurior videtur, licet, & quicquid contrà datur, quod judicamus bonum, ſive utile eſſe ad noſtrum eſſe conſervandum, & vitâ rationali fruendum, id ad noſtrum uſum capere, & eo quocumque modo uti nobis licet; & abſolutè id unicuique ſummo naturæ jure facere licet, quod ad ipſius utilitatem conferre judicat.

CAPUT IX.

Nihil magis cum naturâ alicujus rei convenire poteſt, quàm reliqua ejuſdem ſpeciei individua; adeoque *(per Caput 7.)* nihil homini ad ſuum eſſe conſervandum, & vitâ rationali fruendum utilius datur, quàm homo, qui ratione ducitur. Deinde quia inter res ſingulares nihil novimus, quòd homine, qui ratione ducitur, ſit præſtantius, nullâ ergo re magis poteſt unusquiſque oſtendere, quantùm

tùm arte, & ingenio valeat, quàm in hominibus ità educandis, ut tandem ex proprio rationis imperio vivant.

Caput X.

Quatenus homines Invidiâ, aut aliquo Odii affectu in se invicem feruntur, eatenus invicem contrarii sunt, & consequenter eò magis timendi, quò plùs possunt, quàm reliqua naturæ individua.

Caput XI.

Animi tamen non armis, sed Amore, & Generositate vincuntur.

Caput XII.

Hominibus apprimè utile est, consuetudines jungere, seseque iis vinculis astringere, quibus aptiùs de se omnibus unum efficiant, & absolutè ea agere, quæ firmandis amicitiis inserviunt.

Caput XIII.

Sed ad hæc ars, & vigilantia requiritur. Sunt enim homines varii, (nam rari sunt, qui ex rationis præscripto vivunt) & tamen plerumque invidi, & magis ad vindictam, quàm ad Misericordiam proclives. Unumquemque igitur ex ipsius ingenio ferre, & sese continere, ne eorum affectûs imitetur, singularis animi potentiæ opus est. At qui contrà homines carpere, & vitia potiùs exprobrare, quàm virtutes docere, & hominum animos non firmare; sed frangere nôrunt, ii & sibi, & reliquis molesti sunt; unde multi præ nimiâ scilicet animi impatientiâ, falsoque

religionis ſtudio, inter bruta potiùs, quàm inter homines vivere maluerunt; ut pueri, vel adoleſcentes, qui parentum jurgia æquo animo ferre nequeunt, militatum confugiunt, & incommoda belli, & imperium tyrannidis præ domeſticis commodis, & paternis admonitionibus eligunt, & quidvis oneris ſibi imponi patiuntur, dummodò parentes ulciſcantur.

CAPUT XIV.

Quamvis igitur homines omnia plerumque ex ſuâ libidine moderentur, ex eorum tamen communi ſocietate multò plura commoda, quàm damna ſequuntur. Quare ſatiùs eſt eorum injurias æquo animo ferre, & ſtudium iis adhibere, quæ concordiæ, & amicitiæ conciliandæ inſerviunt.

CAPUT XV.

Quæ concordiam gignunt ſunt illa, quæ ad juſtitiam, æquitatem, & honeſtatem referuntur. Nam homines præter id, quod injuſtum, & iniquum eſt, etiam ægrè ferunt, quod turpe habetur, ſive quod aliquis receptos civitatis mores aſpernatur. Amori autem conciliando illa apprimè neceſſaria ſunt, quæ ad Religionem, & Pietatem ſpectant. De quibus vide Schol. 1. & 2. Prop. 37. & Schol. Prop. 46. & Schol. Prop. 73. p. 4.

CAPUT XVI.

Solet præterea concordia ex Metu plerumque gigni; ſed ſine fide. Adde, quòd Metus ex animi impotentiâ oritur,

tur, & propterea ad rationis usum non pertinet; ut nec Commiseratio, quamvis Pietatis speciem præ se ferre videatur.

Caput XVII.

Vincuntur præterea homines etiam largitate, præcipuè ii, qui non habent, unde comparare possint illa, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt. Attamen unicuique indigenti auxilium ferre, vires & utilitatem viri privati longè superat. Divitiæ namque viri privati longè impares sunt ad id suppeditandum. Unius præterea viri facultas ingenii limitatior est, quàm ut omnes sibi possit amicitiâ jungere; quare pauperum cura integræ societati incumbit, & ad communem tantùm utilitatem spectat.

Caput XVIII.

In beneficiis accipiendis & gratiâ referendâ alia prorsùs debet esse cura, de quâ vide Schol. Pr. 70. & Sch. Pr. 71. p. 4.

Caput XIX.

Amor præterea meretricius, hoc est, generandi libido, quæ ex formâ oritur, & absolutè omnis Amor, qui aliam causam præter animi libertatem agnoscit, facilè in Odium transit, nisi, quod pejus est, species delirii sit, atque tum magis discordiâ, quam concordiâ fovetur. Vid. Coroll. Prop. 31. p. 3.

Caput XX.

Ad matrimonium quod attinet, certum est, ipsum cum ratione convenire, si Cupiditas miscendi corpora non ex

ſolâ formâ; ſed etiam ex Amore liberos procreandi, & ſapienter educandi, ingeneretur; & præterea, ſi utriusque, viri ſcilicet & fœminæ, Amor, non ſolam formam; ſed animi præcipuè libertatem pro cauſâ habeat.

CAPUT XXI.

Gignit præterea adulatio concordiam; ſed fœdo ſervitutis crimine, vel perfidiâ; nulli quippe magis adulatione capiuntur, quàm ſuperbi, qui primi eſſe volunt, nec ſunt.

CAPUT XXII.

Abjectioni falſa pietatis, & religionis ſpecies ineſt. Et quamvis Abjectio Superbiæ ſit contraria, eſt tamen abjectus ſuperbo proximus. Vide Schol. Prop. 57. p. 4.

CAPUT XXIII.

Confert præterea concordiæ Pudor in iis tantùm, quæ celari non poſſunt. Deinde, quia ipſe Pudor ſpecies eſt Triſtitiæ ad rationis uſum non ſpectat.

CAPUT XXIV.

Cæteri Triſtitiæ erga homines affectûs directè juſtitiæ, æquitati, honeſtati, pietati & religioni opponuntur, &, quamvis Indignatio æquitatis ſpeciem præ ſe ferre videatur, ibi tamen ſine lege vivitur, ubi unicuique de factis alterius judicium ferre, & ſuum, vel alterius jus vindicare licet.

CAPUT XXV.

Modeſtia, hoc eſt, Cupiditas hominibus placendi, quæ

ex

ex ratione determinatur, ad Pietatem (ut in Schol. Prop. 37. p. 4. diximus) refertur. Sed, si ex affectu oriatur, Ambitio est, sive Cupiditas, quâ homines falsâ Pietatis imagine plerumque discordias, & seditiones concitant. Nam qui reliquos consilio, aut re juvare cupit, ut simul summo fruantur bono, is apprimè studebit, eorum sibi Amorem conciliare; non autem eos in admirationem traducere, ut disciplina ex ipso habeat vocabulum, nec ullas absolutè Invidiæ causas dare. In communibus deinde colloquiis cavebit hominum vitia referre, & de humanâ impotentiâ non nisi parcè loqui curabit: at largiter de humanâ virtute, seu potentiâ, & quâ viâ possit perfici, ut sic homines, non ex Metu, aut aversione, sed solo Lætitiæ affectu moti, ex rationis præscripto, quantùm in se est, conentur vivere.

Caput XXVI.

Præter homines nihil singulare in naturâ novimus, cujus Mente gaudere, & quod nobis amicitiâ, aut aliquo consuetudinis genere jungere possumus; adeoque quicquid in rerum naturâ extra homines datur, id nostræ utilitatis ratio conservare non postulat; sed pro ejus vario usu conservare, destruere, vel quocunque modo ad nostrum usum adaptare nos docet.

Caput XXVII.

Utilitas, quam ex rebus, quæ extra nos sunt, capimus, est præter experientiam, & cognitionem, quam acquirimus ex eo, quòd easdem observamus, & ex

his formis in alias mutamus, præcipua corporis conſervatio; & hâc ratione res illæ imprimis utiles ſunt, quæ Corpus ità alere, & nutrire poſſunt, ut ejus omnes partes officio rectè fungi queant. Nam quò Corpus aptius eſt, ut pluribus modis poſſit affici, & corpora externa pluribus modis afficere, eò Mens ad cogitandum eſt aptior. (vide Prop. 38. & 39. p. 4.) At hujus notæ perpauca in naturâ eſſe videntur, quare ad Corpus, ut requiritur, nutriendum neceſſe eſt multis naturæ diverſæ alimentis uti. Quippe humanum Corpus ex plurimis diverſæ naturæ partibus componitur, quæ continuo alimento indigent, & vario, ut totum Corpus ad omnia, quæ ex ipſius naturâ ſequi poſſunt, æquè aptum ſit, & conſequenter ut Mens etiam æquè apta ſit ad plura concipiendum.

CAPUT XXVIII.

Ad hæc autem comparandum vix uniuscujusque vires ſufficerent, niſi homines operas mutuas traderent. Verùm omnium rerum compendium pecunia attulit, unde factum, ut ejus imago Mentem vulgi maximè occupare ſoleat; quia vix ullam Lætitiæ ſpeciem imaginari poſſunt, niſi concomitante nummorum ideâ, tanquam cauſâ.

CAPUT XXIX.

Sed hoc vitium eorum tantùm eſt, qui non ex indigentiâ, nec propter neceſſitates nummos quærunt; ſed quia lucri artes didicerunt, quibus ſe magnificè efferunt. Cæterum corpus ex conſuetudine paſcunt; ſed parcè, quia tantùm

tum de ſuis bonis ſe perdere credunt, quantum ſui Corporis conſervationi impendunt. At qui verum nummorum uſum nôrunt, & divitiarum modum ex ſolâ indigentiâ moderantur, paucis contenti vivunt.

Caput XXX.

Cùm igitur res illæ ſint bonæ, quæ Corporis partes juvant, ut ſuo officio fungantur, & Lætitia in eo conſiſtat, quòd hominis potentia, quatenus Mente & Corpore conſtat, juvatur, vel augetur; ſunt ergo illa omnia, quæ Lætitiam afferunt, bona. Attamen, quoniam contrà non eum in finem res agunt, ut nos Lætitiâ afficiant, nec earum agendi potentia ex noſtrâ utilitate temperatur, & denique, quoniam Lætitia plerumque ad unam Corporis partem potiſſimùm refertur; habent ergo plerumque Lætitiæ affectûs, (niſi ratio, & vigilantia adſit) & conſequenter Cupiditates etiam, quæ ex iiſdem generantur, exceſſum; ad quod accedit, quòd ex affectu id primum habeamus, quod in præſenti ſuave eſt, nec futura æquali animi affectu æſtimare poſſumus. Vide Schol. Pr. 44. & Schol. Pr. 60. p. 3.

Caput XXXI.

At ſuperſtitio id contrà videtur ſtatuere bonum eſſe, quod Triſtitiam, & id contrà malum, quod Lætitiam affert. Sed, ut jam diximus, (vide Schol. Prop. 45. p. 4.) nemo, niſi invidus, meâ impotentiâ, & incommodo delectatur. Nam quò majori Lætitiâ afficimur, eò ad majorem perfectionem tranſimus; & conſequenter eò magis de naturâ divinâ participamus, nec Lætitia unquam mala eſſe

esse potest, quam nostræ utilitatis vera ratio moderatur. At qui contrà Metu ducitur, & bonum, ut malum vitet, agit, is ratione non ducitur.

CAPUT XXXII.

Sed humana potentia admodùm limitata est, & à potentiâ causarum externarum infinitè superatur; atque adeò potestatem absolutam non habemus, res quæ extra nos sunt ad nostrum usum aptandi. Attamen ea, quæ nobis eveniunt contra id, quod nostræ utilitatis ratio postulat, æquo animo feremus, si conscii simus nos functos nostro officio fuisse, & potentiam, quam habemus, non potuisse se eò usque extendere, ut eadem vitare possemus, nosque partem totius naturæ esse, cujus ordinem sequimur. Quod si clarè, & distinctè intelligamus, pars illa nostri, quæ intelligentiâ definitur, hoc est, pars melior nostri in eo planè acquiescet, & in eâ acquiescentiâ perseverare conabitur. Nam, quatenus intelligimus, nihil appetere, nisi id, quod necessarium est, nec absolutè, nisi in veris acquiescere possumus; adeóque quatenus hæc rectè intelligimus, eatenus conatus melioris partis nostri cum ordine totius naturæ convenit.

Finis Quartæ Partis.

ETHI-

ETHICES

Pars Quinta,

DE

Potentiâ Intellectûs, *seu de* Libertate Humanâ.

PRÆFATIO.

TRanseo tandem ad alteram Ethices partem, quæ est de modo, sive viâ, quæ ad Libertatem ducit. In hâc ergo de potentiâ rationis agam, ostendens, quid ipsa ratio in affectûs possit, & deinde, quid Mentis Libertas seu beatitudo sit, ex quibus videbimus, quantùm sapiens potior sit ignaro. Quomodò autem, & quâ viâ debeat intellectus perfici, & quâ deinde arte Corpus sit curandum, ut possit suo officio rectè fungi, huc non pertinet; hoc enim ad Medicinam, illud autem ad Logicam spectat. Hîc igitur, ut dixi de solâ Mentis, seu rationis potentiâ agam, & ante omnia, quantum, & quale imperium in affectûs habeat, ad eosdem coërcendum, & moderandum, ostendam. Nam nos in ipsos imperium absolutum non habere, jam suprà demonstravimus. Stoici tamen putârunt, eosdem à nostrâ voluntate absolutè pendêre, nosque iis absolutè imperare posse. Attamen ab experientiâ reclamante, non verò ex suis principiis coacti sunt fateri, usum, & studium non parvum requiri ad eosdem coërcendum, & moderandum; quod quidam exemplo duorum canum (si rectè memini)

unius

unius ſcilicet domeſtici, alterius venatici, conatus eſt oſtendere; nempe quia uſu efficere tandem potuit, ut domeſticus venari, venaticus contrà à leporibus ſectandis abſtinere aſſueſceret. Huic opinioni non parùm favet Carteſius. Nam ſtatuit Animam, ſeu Mentem unitam præcipuè eſſe cuidam parti cerebri, glandulæ ſcilicet pineali dictæ, cujus ope Mens motûs omnes, qui in corpore excitantur, & objecta externa ſentit, quamque Mens eo ſolo, quòd vult, variè movere poteſt. Hanc glandulam in medio cerebri ità ſuſpenſam eſſe ſtatuit, ut minimo ſpirituum animaliùm motu poſſit moveri. Deinde ſtatuit, quòd hæc glans tot variis modis in medio cerebro ſuſpendatur, quot variis modis ſpiritûs animales in eandem impingunt, & quòd præterea tot varia veſtigia in eâdem imprimantur, quot varia objecta externa ipſos ſpiritûs animales verſùs eandem propellunt, unde fit, ut ſi glans poſtea ab Animæ voluntate, illam diverſimodè movente, hoc, aut illo modo ſuſpendatur, quo ſemel fuit ſuſpenſa à ſpiritibus, hoc, aut illo modo agitatis, tum ipſa glans ipſos ſpiritûs animales eodem modo propellet, & determinabit, ac antea à ſimili glandulæ ſuſpenſione repulſi fuerant. Præterea ſtatuit, unamquamque Mentis voluntatem naturâ eſſe unitam certo cuidam glandis motui. Ex. gr. Si quis voluntatem habet objectum remotum intuendi, hæc voluntas efficiet, ut pupilla dilatetur; ſed ſi de ſolâ dilatandâ pupilla cogitet, nihil proderit ejus rei habere voluntatem, quia natura non junxit motum glandis, qui inſervit impellendis ſpiritibus verſùs nervum Opticum modo conveniente dilatandæ, vel contrahendæ pupillæ cum voluntate eandem dilatandi, vel contrahendi; ſed demum cum voluntate intuendi objecta remota, vel proxima. Denique ſtatuit, quòd, etſi unusquiſque motus hujus glandulæ videatur

con-

connexus esse per naturam singulis ex nostris cogitationibus ab initio nostræ vitæ, aliis tamen per habitum possunt jungi, quod probare conatur art. 50. *p.* 1. *de Pass. Animæ. Ex his concludit, nullam esse tam imbecillem Animam, quæ non possit, cùm bene dirigitur, acquirere potestatem absolutam in suas Passiones. Nam hæ, ut ab eo definiuntur, sunt* perceptiones, aut sensûs, aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur, conservantur, & corroborantur, per aliquem motum spirituum. *(vide art.* 27. *p.* 1. *Pass. Anim.) At quandoquidem cuilibet voluntati possumus jungere motum quemcunque glandis, & consequenter spirituum; & determinatio voluntatis à solâ nostrâ potestate pendet; si igitur nostram voluntatem certis, & firmis judiciis, secundùm quæ nostræ vitæ actiones dirigere volumus, determinemus, & motûs passionum, quas habere volumus, hisce judiciis jungamus, imperium acquiremus absolutum in nostras Passiones. Hæc est clarissimi hujus Viri sententia, (quantum ex ipsius verbis conjicio) quam ego vix credidissem à tanto Viro prolatam esse, si minùs acuta fuisset. Profectò mirari satis non possum, quòd vir Philosophus, qui firmiter statuerat, nihil deducere, nisi ex principiis per se notis, & nihil affirmare, nisi quod clarè, & distinctè perciperet, & qui toties Scholasticos reprehenderat, quòd per occultas qualitates res obscuras voluerint explicare, Hypothesin sumat omni occultâ qualitate occultiorem. Quid quæso? per Mentis, & Corporis unionem intelligit? quem, inquam, clarum, & distinctum conceptum habet cogitationis arctissimè unitæ cuidam quantitatis portiuncula? vellem sanè, ut hanc unionem per proximam suam causam explicuisset. Sed ille Mentem à Corpore adeò distinctam*

conceperat, ut nec hujus unionis, nec ipsius Mentis ullam singularem causam assignare potuerit; sed necesse ipsi fuerit, ad causam totius Universi, hoc est, ad Deum recurrere. Deinde pervelim scire, quot motûs gradûs potest glandulæ isti pineali Mens tribuere, & quantâ cum vi eandem suspensam tenere potest. Nam nescio an hæc glans tardiùs, vel celeriùs à Mente circumagatur, quàm à spiritibus animalibus, & an motûs Passionum, quos firmis judiciis arctè junximus, non possint ab iisdem iterùm à causis corporeis disjungi, ex quo sequeretur, ut, quamvis Mens firmiter proposuerit contra pericula ire, atque huic decreto motûs audaciæ junxerit, viso tamen periculo, glans ità suspendatur, ut Mens non, nisi de fugâ, possit cogitare; & sanè, cùm nulla detur ratio voluntatis ad motum, nulla etiam datur comparatio inter Mentis, & Corporis potentiam, seu vires; & consequenter hujus vires nequaquam viribus illius determinari possunt. His adde, quòd nec hæc glans ità in medio cerebro sita reperiatur, ut tam facile, totque modis circumagi possit, & quòd non omnes nervi ad cavitates usque cerebri protendantur. Denique omnia, quæ de voluntate, ejusque libertate asserit, omitto, quandoquidem hæc falsa esse, satis superque ostenderim. Igitur quia Mentis potentia, ut suprà ostendi, solâ intelligentiâ definitur, affectuum remedia, quæ omnes experiri quidem; sed non accuratè observare, nec distinctè videre credo, solâ Mentis cognitione determinabus, & ex eâdem illa omnia, quæ ad ipsius beatudinem spectant, deducemus.

AXIO-

Axiomata.

I. Si in eodem ſubjecto duæ contrariæ actiones excitentur, debebit neceſſariò vel in utrâque, vel in unâ ſolâ mutatio fieri, donec deſinant contrariæ eſſe.

II. Effectûs potentia definitur potentiâ ipſius cauſæ, quatenus ejus eſſentia per ipſius cauſæ eſſentiam explicatur, vel definitur.

Patet hoc Axioma ex Prop. 7. Part. 3.

Propositio I.

Prout cogitationes, rerumque ideæ ordinantur, & concatenantur in Mente, ità corporis affectiones, ſeu rerum imagines ad amuſſim ordinantur, & concatenantur in Corpore.

Demonstratio.

Ordo, & connexio idearum idem eſt, (*per Prop. 7. p. 2.*) ac ordo, & connexio rerum, & vice verſâ, ordo, & connexio rerum idem eſt, *(per Coroll. Prop. 6. & 7. p. 2.)* ac ordo, & connexio idearum. Quare ſicuti ordo, & connexio idearum in Mente fit ſecundùm ordinem, & concatenationem affectionum Corporis, (*per Prop. 18. p. 2.*) ſic vice verſâ (*per Prop. 2. p. 3.*) ordo, & connexio affectionum Corporis fit, prout cogitationes, rerumque ideæ ordinantur, & concatenantur in Mente. *Q. E. D.*

Propositio II.

Si animi commotionem, ſeu affectum à cauſæ externæ cogitatione amoveamus, & aliis jungamus cogitationibus, tum Amor, ſeu Odium erga cauſam externam, ut & animi fluctuationes, quæ ex his affectibus oriuntur, deſtruentur.

DEMONSTRATIO.

Id enim, quod formam Amoris, vel Odii conſtituit, eſt Lætitia, vel Triſtitia, concomitante ideâ cauſæ externæ; (*per Defin.* 6. & 7. *Affect.*) hâc igitur ſublatâ, Amoris, vel Odii forma ſimul tollitur; adeoque hi affectûs, & qui ex his oriuntur, deſtruuntur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO III.

Affectus, qui paſſio eſt, deſinit eſſe paſſio, ſimulatque ejus claram, & diſtinctam formamus ideam.

DEMONSTRATIO.

Affectus, qui paſſio eſt, idea eſt confuſa. (*per gener. Affect. Defin.*) Si itaque ipſius affectûs claram, & diſtinctam formemus ideam, hæc idea ab ipſo affectu, quatenus ad ſolam Mentem refertur, non niſi ratione diſtinguetur; (*per Prop.* 22. *p.* 2. *cum ejuſdem Schol.*) adeoque (*per Prop.* 3. *p.* 3.) affectus deſinet eſſe paſſio. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Affectus igitur eò magis in noſtrâ poteſtate eſt, & Mens ab eo minùs patitur, quò nobis eſt notior.

PROPOSITIO IV.

Nulla eſt Corporis affectio, cujus aliquem clarum, & diſtinctum non poſſumus formare conceptum.

DEMONSTRATIO.

Quæ omnibus communia ſunt, non poſſunt concipi niſi adæquatè; (*per Prop.* 38. *p.* 2.) adeoque (*per Prop.* 12. *& Lemma* 2. *quod habetur poſt Schol. Prop.* 13. *p.* 2.) nulla eſt Corporis affectio, cujus aliquem clarum, & diſtinctum non poſſumus formare conceptum. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc ſequitur, nullum eſſe affectum, cujus non poſſumus aliquem clarum, & diſtinctum formare conceptum. Eſt namque affectus

fectus Corporis affectionis idea, (*per gen. Affect. Defin.*) quæ propterea (*per Prop. præc.*) aliquem clarum, & distinctum involvere debet conceptum.

Scholium.

Quandoquidem nihil datur, ex quo aliquis effectus non sequatur, (*per Prop.* 36. *p.* 3.) & quicquid ex ideâ, quæ in nobis est adæquata, sequitur, id omne clarè, & distinctè intelligimus; (*per Prop.* 40. *p.* 2.) hinc sequitur, unumquemque potestatem habere se, suosque affectûs, si non absolutè, ex parte saltem clarè, & distinctè intelligendi, & consequenter efficiendi, ut ab iisdem minùs patiatur. Huic igitur rei præcipuè danda est opera, ut unumquemque affectum, quantùm fieri potest, clarè, & distinctè cognoscamus, ut sic Mens ex affectu ad illa cogitandum determinetur, quæ clarè, & distinctè percipit, & in quibus planè acquiescit; atque adeò, ut ipse affectus à cogitatione causæ externæ separetur, & veris jungatur cogitationibus; ex quo fiet, ut non tantùm Amor, Odium, &c. destruantur; (*per Prop.* 2. *hujus*) sed ut etiam appetitûs, seu Cupiditates, quæ ex tali affectu oriri solent, excessum habere nequeant. (*per Prop.* 62. *p.* 4.) Nam apprimè notandum est, unum, eundemque esse appetitum, per quem homo tam agere, quàm pati dicitur. Ex. gr. cum naturâ humanâ ità comparatum esse ostendimus, ut unusquisque appetat, ut reliqui ex ipsius ingenio vivant; (*vide Schol. Prop.* 31. *p.* 3.) qui quidem appetitus in homine, qui ratione non ducitur, passio est, quæ Ambitio vocatur, nec multùm à Superbiâ discrepat; & contrà in homine, qui ex rationis dictamine vivit, actio, seu virtus est, quæ Pietas appellatur. (*Vide Schol.* 1. *Prop.* 37. *p.* 4. *&* 2 *Demonstrat. ejusdem Prop.*) Et hoc modo omnes appetitûs, seu Cupiditates eatenus tantùm passiones sunt, quatenus ex ideis inadæquatis oriuntur; atque eædem virtuti accensentur, quando ab ideis adæquatis excitantur, vel generantur. Nam omnes Cupiditates, quibus ad aliquid agendum determinamur, tam oriri possunt ab adæquatis, quàm ab inadæquatis ideis. (*vide Prop.* 59. *p.* 4.) Atque hôc (ut eò, unde digressus sum, revertar) affectuum remedio, quod scilicet in eorum verâ cognitione consistit, nullum præstantius aliud, quod à nostrâ

pote-

poteſtate pendeat, excogitari poteſt, quandoquidem nulla alia Mentis potentia datur, quàm cogitandi, & adæquatas ideas formandi, ut ſuprà *(per Prop. 3. p. 3.)* oſtendimus.

PROPOSITIO V.

Affectus erga rem, quam ſimpliciter, & non ut neceſſariam, neque ut poſſibilem, neque ut contingentem imaginamur, cæteris paribus, omnium eſt maximus.

DEMONSTRATIO.

Affectus erga rem, quàm liberam eſſe imaginamur, major eſt, quàm erga neceſſariam, *(per Prop. 49. p. 3.)* & conſequenter adhuc major, quàm erga illam, quam ut poſſibilem, vel contingentem imaginamur. *(per Prop. 11. p. 4.)* At rem aliquam ut liberam imaginari nihil aliud eſſe poteſt, quàm quòd rem ſimpliciter imaginamur, dum cauſas, à quibus ipſa ad agendum determinata fuit, ignoramus; *(per illa, quæ in Schol. Prop. 35. p. 2. oſtendimus)* ergo affectus erga rem, quam ſimpliciter imaginamur, cæteris paribus major eſt, quàm erga neceſſariam, poſſibilem, vel contingentem, & conſequenter maximus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO VI.

Quatenus Mens res omnes, ut neceſſarias intelligit, eatenus majorem in affectûs potentiam habet, ſeu minùs ab iiſdem patitur.

DEMONSTRATIO.

Mens res omnes neceſſarias eſſe intelligit, *(per Prop. 29. p. 1.)* & infinito cauſarum nexu determinari ad exiſtendum, & operandum; *(per Prop. 28. p. 1.)* adeoque *(per Prop. præc.)* eatenus efficit, ut ab affectibus, qui ex iis oriuntur, minùs patiatur, & *(per Prop. 48. p. 3.)* minùs erga ipſas afficiatur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Quò hæc cognitio, quòd ſcilicet res neceſſariæ ſint, magis circa

res

res ſingulares, quas diſtinctiùs, & magis vividè imaginamur, verſatur, eò hæc Mentis in affectûs potentia major eſt, quòd ipſa etiam experientia teſtatur. Videmus enim Triſtitiam boni alicujus, quod periit, mitigari, ſimulac homo, qui id perdidit, conſiderat bonum illud ſervari nullâ ratione potuiſſe. Sic etiam videmus, quòd nemo miſeretur infantis, propterea quòd neſcit loqui, ambulare, ratiocinari, & quòd denique tot annos quaſi ſui inſcius vivat. At ſi plerique adulti, & unus, aut alter infans naſcerentur, tum unumquemque miſereret infantum; quia tum ipſam infantiam, non ut rem naturalem, & neceſſariam, ſed ut naturæ vitium, ſeu peccatum conſideraret; & ad hunc modum plura alia notare poſſemus.

Propositio VII.

Affectûs, qui ex ratione oriuntur, vel excitantur, ſi ratio temporis habeatur, potentiores ſunt iis, qui ad res ſingulares referuntur, quas ut abſentes contemplamur.

Demonstratio.

Rem aliquam abſentem non contemplamur ex affectu, quo eandem imaginamur; ſed ex eo, quòd Corpus alio afficitur affectu, qui ejuſdem rei exiſtentiam ſecludit. (*per Prop.* 17. *p.* 2.) Quare affectus, qui ad rem, quam ut abſentem contemplamur, refertur, ejus naturæ non eſt, ut reliquas hominis actiones, & potentiam ſuperet; (*de quibus vide Prop.* 6. *p.* 4.) ſed contrà ejus naturæ eſt, ut ab iis affectionibus, quæ exiſtentiam externæ ejus cauſæ ſecludunt, coërceri aliquo modo poſſit. (*per Prop.* 9. *p.* 4.) At affectus, qui ex ratione oritur, refertur neceſſariò ad communes rerum proprietates, (*vide rationis Defin. in* 2 *Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) quas ſemper ut præſentes contemplamur, (Nam nihil dari poteſt, quod earum præſentem exiſtentiam ſecludat) & quas ſemper eodem modo imaginamur: (*per Prop.* 38. *p.* 2.) Quare talis affectus idem ſemper manet, & conſequenter (*per Ax.* 1. *hujus*) affectûs, qui eidem ſunt contrarii, quique à ſuis cauſis externis non foventur, eidem magis magisque ſeſe accommodare debebunt,

donec non ampliùs ſint contrarii, & eatenus affectus, qui ex ratione oritur, eſt potentior. *Q. E. D.*

PROPOSITIO VIII.

Quò affectus aliquis à pluribus cauſis ſimul concurrentibus excitatur, eò major eſt.

DEMONSTRATIO.

Plures cauſæ ſimul plùs poſſunt, quàm ſi pauciores eſſent: (*per Prop. 7. p. 3.*) adeoque, (*per Prop. 5. p. 4.*) quò affectus aliquis à pluribus cauſis ſimul excitatur, eò fortior eſt. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Propoſitio patet etiam ex Axiomate 2. hujus Partis.

PROPOSITIO IX.

Affectus, qui ad plures, & diverſas cauſas refertur, quas Mens cum ipſo affectu ſimul contemplatur, minùs noxius eſt, & minùs per ipſum patimur, & erga unamquamque cauſam minùs afficimur, quàm alius æquè magnus affectus, qui ad unam ſolam, vel pauciores cauſas refertur.

DEMONSTRATIO.

Affectus eatenus tantùm malus, ſeu noxius eſt, quatenus Mens ab eo impeditur, quò minùs poſſit cogitare: (*per Prop. 26. & 27. p. 4.*) adeoque ille affectus, à quo Mens ad plura ſimul objecta contemplandum determinatur, minùs noxius eſt, quàm alius æquè magnus affectus, qui Mentem vi ſolâ unius, aut pauciorum objectorum contemplatione ità detinet, ut de aliis cogitare nequeat, quod erat primum. Deinde, quia Mentis eſſentia, hoc eſt, (*per Prop. 7. p. 3.*) potentia in ſolâ cogitatione conſiſtit; (*per Prop. 11. p. 3.*) ergo Mens per affectum, à quo ad plura ſimul contemplandum determinatur, minùs patitur, quàm per æquè magnum affectum, qui Mentem in ſolâ unius, aut pauciorum objectorum contemplatione occupatam tenet, quod erat ſecundum. Denique

hic

hic affectus, (*per Prop.* 48. *p.* 3.) quatenus ad plures causas externas refertur, est etiam erga unamquamque minor. *Q. E. D.*

Propositio X.

Quamdiu affectibus, qui nostræ naturæ sunt contrarii, non conflictamur, tamdiu potestatem habemus ordinandi, & concatenandi Corporis affectiones secundùm ordinem ad intellectum.

Demonstratio.

Affectûs, qui nostræ naturæ sunt contrarii, hoc est, (*per Prop.* 30. *p.* 4.) qui mali sunt, eatenus mali sunt, quatenus impediunt, quò minùs Mens intelligat. (*per Prop.* 37. *p.* 4.) Quamdiu igitur affectibus, qui nostræ naturæ contrarii sunt, non conflictamur, tamdiu Mentis potentia, quâ res intelligere conatur, (*per Prop.* 26. *p.* 4.) non impeditur, atque adeò tamdiu potestatem habet claras, & distinctas ideas formandi, & alias ex aliis deducendi; (*vide* 2. *Schol. Prop.* 40. *& Schol. Prop.* 47. *p.* 2.) & consequenter, (*per Prop.* 1. *hujus*) tamdiu potestatem habemus ordinandi, & concatenandi affectiones Corporis secundùm ordinem ad intellectum. *Q. E. D.*

Scholium.

Hâc potestate rectè ordinandi, & concatenandi Corporis affectiones efficere possumus, ut non facilè malis affectibus afficiamur. Nam (*per Prop.* 7. *hujus*) major vis requiritur ad Affectûs, secundùm ordinem ad intellectum ordinatos, & concatenatos coërcendum, quàm incertos, & vagos. Optimum igitur, quod efficere possumus, quamdiu nostrorum affectuum perfectam cognitionem non habemus, est rectam vivendi rationem, seu certa vitæ dogmata concipere, eaque memoriæ mandare, & rebus particularibus, in vitâ frequenter obviis, continuò applicare, ut sic nostra imaginatio latè iisdem afficiatur, & nobis in promptu sint semper. Ex. gr. inter vitæ dogmata posuimus, (*vide Prop.* 46. *p.* 4. *cum ejusdem Schol.*) Odium Amore, seu Generositate vincendum, non autem reciproco Odio compensandum. Ut autem hoc rationis præscriptum

ptum ſemper in promptu habeamus, ubi uſus erit, cogitandæ, & ſæpe meditandæ ſunt communes hominum injuriæ, & quomodò, & quâ viâ Generoſitate optimè propulſentur ; ſic enim imaginem injuriæ imaginationi hujus dogmatis jungemus, & nobis (*per Prop.* 18.*p.*2.) in promptu ſemper erit, ubi nobis injuria afferetur. Quòd ſi etiam in promptu habuerimus rationem noſtri veri utilis, ac etiam boni, quod ex mutuâ amicitiâ, & communi ſocietate ſequitur, & præterea quòd ex rectâ vivendi ratione ſumma animi acquieſcentia oriatur, (*per Prop.* 52.*p.*4.) & quòd homines, ut reliqua, ex naturæ neceſſitate agant : tum injuria, ſive Odium, quod ex eâdem oriri ſolet, minimam imaginationis partem occupabit, & facilè ſuperabitur ; vel ſi Ira, quæ ex maximis injuriis oriri ſolet, non adeò facilè ſuperetur, ſuperabitur tamen, quamvis non ſine animi fluctuatione, longè minore temporis ſpatio, quàm ſi hæc non ità præmeditata habuiſſemus, ut patet ex Propoſitione 6. 7. & 8. hujus Partis. De Animoſitate ad Metum deponendum eodem modo cogitandum eſt ; enumeranda ſcilicet ſunt, & ſæpe imaginanda communia vitæ pericula, & quomodò animi præſentiâ, & fortitudine optimè vitari, & ſuperari poſſunt. Sed notandum, quòd nobis in ordinandis noſtris cogitationibus, & imaginibus ſemper attendendum eſt, (*per Coroll. Prop.* 63. *p.* 4. *& Prop.* 59.*p.* 3.) ad illa, quæ in unâquâque re bona ſunt, ut ſic ſemper ex Lætitiæ affectu ad agendum determinemur. Ex. gr. ſi quis videt, ſe nimis gloriam ſectari, de ejus recto uſu cogitet, & in quem finem ſectanda ſit, & quibus mediis acquiri poſſit ; ſed non de ipſius abuſu, & vanitate, & hominum inconſtantiâ, vel aliis hujuſmodi, de quibus nemo, niſi ex animi ægritudine, cogitat ; talibus enim cogitationibus maximè ambitioſi ſe maximè afflictant, quando de aſſequendo honore, quem ambiunt, deſperant ; &, dum Iram evomunt, ſapientes videri volunt. Quare certum eſt, eos gloriæ maximè eſſe cupidos, qui de ipſius abuſu, & mundi vanitate maximè clamant. Nec hoc ambitioſis proprium, ſed omnibus commune eſt, quibus fortuna eſt adverſa, & animo impotentes ſunt. Nam pauper etiam avarus de abuſu pecuniæ, & divitum vitiis non ceſſat loqui ; quo nihil aliud efficit, quàm ſe afflictare, & aliis oſtendere, ſe non tantùm pau-

perta-

pertatem ſuam; ſed etiam aliorum divitias iniquo animo ferre. Sic etiam, qui malè ab amaſia excepti ſunt, nihil cogitant, quàm de mulierum inconſtantiâ, & fallaci animo, & reliquis earundem decantatis vitiis, quæ omnia ſtatim oblivioni tradunt, ſimulac ab amaſiâ iterum recipiuntur. Qui itaque ſuos affectûs, & appetitûs ex ſolo Libertatis amore moderari ſtudet, is, quantùm poteſt, nitetur, virtutes, earumque cauſas noſcere, & animum gaudio, quod ex earum verâ cognitione oritur, implere; at minimè hominum vitia contemplari, hominesque obtrectare, & falſâ libertatis ſpecie gaudere. Atque hæc qui diligenter obſervavit, (neque enim difficilia ſunt) & exercebit, næ ille brevi temporis ſpatio actiones ſuas ex rationis imperio plerumque dirigere poterit.

Propositio XI.

Quò imago aliqua ad plures res refertur, eò frequentior eſt, ſeu ſæpius viget, & Mentem magis occupat.

Demonstratio.

Quò enim imago, ſeu affectus ad plures res refertur, eò plures dantur cauſæ, à quibus excitari, & foveri poteſt, quas omnes Mens (*per Hypotheſin*) ex ipſo affectu ſimul contemplatur; atque adeò affectus eo frequentior eſt, ſeu ſæpius viget, & (*per Prop.* 8. *hujus*) Mentem magis occupat. *Q. E. D.*

Propositio XII.

Rerum imagines faciliùs imaginibus, quæ ad res referuntur, quas clarè, & diſtinctè intelligimus, junguntur, quàm aliis.

Demonstratio.

Res, quas clarè, & diſtinctè intelligimus, vel rerum communes proprietates ſunt, vel quæ ex iis deducuntur, (*vide rationis Defin. in* 2. *Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) & conſequenter ſæpius, (*per Prop. præc.*) in nobis excitantur; adeoque faciliùs fieri poteſt, ut res alias ſimul cum his, quàm cum aliis contemplemur, & conſequen-

quenter (*per Prop.* 18. *p.* 2.) ut faciliùs cum his, quàm cum aliis, jungantur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XIII.

Quò imago aliqua pluribus aliis juncta eſt, ſæpius viget.

DEMONSTRATIO.

Nam, quò imago aliqua pluribus aliis juncta eſt, eò (*per Prop.* 18. *p.* 2.) plures cauſæ dantur, à quibus excitari poteſt. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XIV.

Mens efficere poteſt, ut omnes Corporis affectiones, ſeu rerum imagines ad Dei ideam referantur.

DEMONSTRATIO.

Nulla eſt Corporis affectio, cujus aliquod clarum, & diſtinctum non poſſit Mens formare conceptum; (*per Prop.* 4. *hujus*) adeoque efficere poteſt, (*per Prop.* 15. *p.* 1.) ut omnes ad Dei ideam referuntur. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XV.

Qui ſe, ſuosque affectûs clarè, & diſtinctè intelligit, Deum amat, & eò magis, quò ſe, ſuosque affectûs magis intelligit.

DEMONSTRATIO.

Qui ſe, ſuosque affectûs clarè, & diſtinctè intelligit, lætatur, (*per Prop.* 53. *p.* 3.) idque concomitante ideâ Dei; (*per Prop. præced.*) atque adeò (*per* 6. *Affect. Defin.*) Deum amat, & (*per eandem rationem*) eò magis, quò ſe, ſuosque affectûs magis intelligit. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XVI.

Hic erga Deum Amor Mentem maximè occupare debet.

DEMONSTRATIO.

Eſt enim hic Amor junctus omnibus Corporis affectionibus, (*per*

(*per Prop.* 14. *hujus*) quibus omnibus fovetur; (*per Prop.* 15. *hujus*) atque adeò (*per Prop.* 11. *hujus*) Mentem maximè occupare debet. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XVII.

Deus expers eſt paſſionum, nec ullo Lætitiæ, aut Triſtitiæ affectu afficitur.

DEMONSTRATIO.

Ideæ omnes, quatenus ad Deum referuntur, veræ ſunt, (*per Prop.* 32. *p.* 2.) hoc eſt, (*per Defin.* 4. *p.* 2.) adæquatæ; atque adeò (*per Affect. gen. Defin.*) Deus expers eſt paſſionum. Deinde Deus neque ad majorem, neque ad minorem perfectionem tranſire poteſt; (*per* 2 *Coroll. Prop.* 20. *p.* 1.) adeóque (*per* 2 *&* 3. *Affect. Defin.*) nullo Lætitiæ, neque Triſtitiæ affectu afficitur. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Deus propriè loquendo neminem amat, neque odio habet. Nam Deus (*per Prop. præc.*) nullo Lætitiæ, neque Triſtitiæ affectu afficitur, & conſequenter (*per* 6 *&* 7. *Affect. Defin.*) neminem etiam amat, neque odio habet.

PROPOSITIO XVIII.

Nemo poteſt Deum odio habere.

DEMONSTRATIO.

Idea Dei, quæ in nobis eſt, eſt adæquata, & perfecta; (*per Prop.* 46 *&* 47. *p.* 2.) adeoque quatenus Deum contemplamur, eatenus agimus, (*per Prop.* 3. *p.* 3.) & conſequenter (*per Prop.* 59. *p.* 3.) nulla poteſt dari Triſtitia concomitante ideâ Dei, hoc eſt, (*per* 7 *Affect. Defin.*) nemo Deum odio habere poteſt. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Amor erga Deum in odium verti nequit.

SCHOLIUM.

At objici poteſt, quòd dum Deum omnium rerum cauſam intelli-

telligimus, eo ipso Deum Tristitiæ causam considéramus. Sed ad hoc respondeo, quòd quatenus Tristitiæ causas intelligimus, eatenus (*per Prop.* 3. *hujus*) ipsa desinit esse passio, hoc est, (*per Prop.* 59. *p.* 3.) eatenus desinit esse Tristitia; atque adeò, quatenus Deum Tristitiæ causam esse intelligimus, eatenus lætamur.

PROPOSITIO XIX.

Qui Deum amat, conari non potest, ut Deus ipsum contrà amet.

DEMONSTRATIO.

Si homo id conaretur, cuperet ergo, (*per Coroll. Prop.* 17. *hujus*) ut Deus, quem amat, non esset Deus, & consequenter, (*per Prop.* 19. *p.* 3.) contristari cuperet, quod (*per Prop.* 28. *p.* 3.) est absurdum. Ergo, qui Deum amat, &c. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XX.

Hic erga Deum Amor, neque Invidiæ, neque Zelotypiæ affectu inquinari potest; sed eò magis fovetur, quò plures homines eodem Amoris vinculo cum Deo junctos imaginamur.

DEMONSTRATIO.

Hic erga Deum Amor summum bonum est, quod ex dictamine rationis appetere possumus, (*per Prop.* 28. *p.* 4.) & omnibus hominibus commune est, (*per Prop.* 36. *p.* 4.) & omnes, ut eodem gaudeant, cupimus; (*per Prop.* 37. *p.* 4.) atque adeò (*per* 23. *Aff. Defin.*) Invidiæ affectu maculari nequit, neque etiam (*per Prop.* 18. *hujus*, *& Defin. Zelotypiæ*, *quam vide in Schol. Prop.* 35. *p.* 3.) Zelotypiæ affectu; sed contrà (*per Prop.* 31. *p.* 3.) eò magis foveri debet, quò plures homines eodem gaudere imaginamur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Possumus hôc eodem modo ostendere, nullum dari affectum, qui huic Amori directè sit contrarius, à quo hic ipse Amor possit destrui; atque adeò concludere possumus, hunc erga Deum Amorem

rem omnium affectuum esse constantissimum, nec, quatenus ad Corpus refertur, posse destrui, nisi cum ipso Corpore. Cujus autem naturæ sit, quatenus ad solam Mentem refertur, postea videbimus. Atque his omnia affectuum remedia, sive id omne, quod Mens, in se solâ considerata, adversûs affectûs potest, comprehendi; ex quibus apparet, Mentis in affectûs potentiam consistere. I°. In ipsâ affectuum cognitione. (*vide Schol. Prop.* 4. *hujus*) II°. In eo, quòd affectûs à cogitatione causæ externæ, quam confuse imaginamur, separat. (*vide Prop.* 2. *cum eodem Schol. & Prop.* 4. *hujus*) III°. In tempore, quo affectiones, quæ ad res, quas intelligimus, referuntur, illas superant, quæ ad res referuntur, quas confuse, seu mutilatè concipimus. (*vide Prop.* 7. *hujus*) IV°. In multitudine causarum, à quibus affectiones, quæ ad rerum communes proprietates, vel ad Deum referuntur, foventur. (*vide Prop.* 9 *&* 11. *hujus*) V°. Denique in ordine, quo Mens suos affectûs ordinare, & invicem concatenare potest. (*vide Schol. Prop.* 10 *& insuper Prop.* 12. 13. *&* 14. *hujus*) Sed ut hæc Mentis in affectûs potentia meliùs intelligatur, venit apprimè notandum, quòd affectûs à nobis magni appellantur, quando unius hominis affectum cum affectu alterius comparamus, & unum magis, quàm alium eodem affectu conflictari videmus; vel quando unius, ejusdemque hominis affectûs ad invicem comparamus, eundemque uno affectu magis, quàm alio affici, sive moveri comperimus. Nam (*per Prop.* 5. *p.* 4.) vis cujuscunque affectûs definitur potentiâ causæ externæ cum nostrâ comparatâ. At Mentis potentia solâ cognitione definitur; impotentia autem, seu passio à solâ cognitionis privatione, hoc est, ab eo, per quod ideæ dicuntur inadæquatæ, æstimatur; ex quo sequitur, Mentem illam maximè pati, cujus maximam partem ideæ inadæquatæ constituunt, ità ut magis per id, quod patitur, quàm per id, quod agit, dignoscatur; & illam contrà maximè agere, cujus maximam partem ideæ adæquatæ constituunt, ità ut, quamvis huic tot inadæquatæ ideæ, quàm illi insint, magis tamen per illas, quæ humanæ virtuti tribuuntur, quàm per has, quæ humanam impotentiam arguunt, dignoscatur. Deinde notandum, animi ægritudines, & infortunia

potiſſimùm originem trahere ex nimio Amore erga rem, quæ multis variationibus eſt obnoxia, & cujus nunquam compotes eſſe poſſumus. Nam nemo de re ullâ, niſi quam amat, ſollicitus, anxiusve eſt, neque injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, &c. oriuntur, niſi ex Amore erga res, quarum nemo poteſt reverâ eſſe compos. Ex his itaque facilè concipimus, quid clara, & diſtincta cognitio, & præcipuè tertium illud cognitionis genus, (*de quo vide Schol. Prop.* 47. *p.* 2.) cujus fundamentum eſt ipſa Dei cognitio, in affectûs poteſt, quos nempe, quatenus paſſiones ſunt, ſi non abſolutè tollit, (*vide Prop.* 3. *cum Schol. Prop.* 4. *hujus*) ſaltem efficit, ut minimam Mentis partem conſtituant. (*vide Prop.* 14. *hujus*) Deinde Amorem gignit erga rem immutabilem, & æternam, (*vide Prop.* 15. *hujus*) & cujus reverâ ſumus compotes, (*vide Prop.* 45. *p.* 2.) & propterea nullis vitiis, quæ in communi Amore inſunt, inquinari; ſed qui ſemper major, ac major eſſe poteſt, (*per Prop.* 15. *hujus*) & Mentis maximam partem occupare, (*per Prop.* 16. *hujus*) lateque afficere. Atque his omnia, quæ præſentem hanc vitam ſpectant, abſolvi. Nam quod in hujus Scholii principio dixi, me his paucis omnia affectuum remedia amplexum eſſe, facilè poterit unusquiſque videre, qui ad hæc, quæ in hoc Scholio diximus, & ſimul ad Mentis, ejusque affectuum definitiones, & denique ad Propoſitiones 1. & 3. Partis 3. attenderit. Tempus igitur jam eſt, ut ad illa tranſeam, quæ ad Mentis durationem ſine relatione ad Corpus pertinent.

PROPOSITIO XXI.

Mens nihil imaginari poteſt, neque rerum præteritarum recordari, niſi durante Corpore.

DEMONSTRATIO.

Mens actualem ſui Corporis exiſtentiam non exprimit, neque etiam Corporis affectiones, ut actuales, concipit, niſi durante Corpore, (*per Coroll. Prop.* 8. *p.* 2.) & conſequenter (*per Prop.* 26. *p.* 2.) nullum corpus, ut actu exiſtens, concipit, niſi durante ſuo Corpore, ac proinde nihil imaginari, (*vide Imaginat. Defin. in Schol.*

Prop.

Pr. 17 *p.* 2.) neque rerum præteritarum recordari poteſt, niſi durante Corpore. (*Vide Defin. Memoriæ in Schol. Prop.* 18. *p.* 2.) *Q.E.D.*

Propositio XXII.

In Deo tamen datur neceſſariò idea, quæ hujus, & illius Corporis humani eſſentiam ſub æternitatis ſpecie exprimit.

Demonstratio.

Deus non tantùm eſt cauſa hujus, & illius Corporis humani exiſtentiæ; ſed etiam eſſentiæ, (*per Prop.* 25. *p.* 1.) quæ propterea per ipſam Dei eſſentiam neceſſariò debet concipi, (*per Axiom.* 4. *p.* 1.) idque æternâ quâdam neceſſitate, (*per Prop.* 16. *p.* 1.) qui quidem conceptus neceſſariò in Deo dari debet, (*per Prop.* 3. *p.* 2.) *Q.E.D.*

Propositio XXIII.

Mens humana non poteſt cum Corpore abſolutè deſtrui; ſed ejus aliquid remanet, quod æternum eſt.

Demonstratio.

In Deo datur neceſſariò conceptus, ſeu idea, quæ Corporis humani eſſentiam exprimit, (*per Prop. præc.*) quæ propterea aliquid neceſſariò eſt, quod ad eſſentiam Mentis humanæ pertinet. (*per Prop.* 13. *p.* 2.) Sed Menti humanæ nullam durationem, quæ tempore definiri poteſt, tribuimus, niſi quatenus Corporis actualem exiſtentiam, quæ per durationem explicatur, & tempore definiri poteſt, exprimit, hoc eſt, (*per Coroll. Prop.* 8. *p.* 2.) ipſi durationem non tribuimus, niſi durante Corpore. Cum tamen aliquid nihilominus ſit id, quod æternâ quâdam neceſſitate per ipſam Dei eſſentiam concipitur, (*per Prop. præc.*) erit neceſſariò hoc aliquid, quod ad Mentis eſſentiam pertinet, æternum. *Q.E.D.*

Scholium.

Eſt, uti diximus, hæc idea, quæ Corporis eſſentiam ſub ſpecie æternitatis exprimit, certus cogitandi modus, qui ad Mentis eſſentiam pertinet, quique neceſſariò æternus eſt. Nec tamen fieri poteſt,

potest, ut recordemur nos ante Corpus exstitisse, quandoquidem nec in corpore ulla ejus vestigia dari, nec æternitas tempore definiri, nec ullam ad tempus relationem habere potest. At nihilominùs sentimus, experimurque, nos æternos esse. Nam Mens non minùs res illas sentit, quas intelligendo concipit, quàm quas in memoriâ habet. Mentis enim oculi, quibus res videt, observatque, sunt ipsæ demonstrationes, Quamvis itaque non recordemur nos ante Corpus exstitisse, sentimus tamen Mentem nostram, quatenus Corporis essentiam sub æternitatis speciè involvit, æternam esse, & hanc ejus existentiam tempore definiri, sive per durationem explicari non posse. Mens igitur nostra eatenus tantùm potest dici durare, ejusque existentia certo tempore definiri potest, quatenus actualem Corporis existentiam involvit, & eatenus tantùm potentiam habet rerum existentiam tempore determinandi, easque sub duratione concipiendi.

PROPOSITIO XXIV.

Quò magis res singulares intelligimus, eò magis Deum intelligimus.

DEMONSTRATIO

Patet ex Coroll. Prop. 25. p. 1.

PROPOSITIO XXV.

Summus Mentis conatus, summaque virtus est res intelligere tertio cognitionis genere.

DEMONSTRATIO.

Tertium cognitionis genus procedit ab adæquatâ ideâ quorumdam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem essentiæ rerum; (*vide hujus Defin. in* 2. *Schol. Prop.* 40. *p.*2.) & quò magis hoc modo res intelligimus, eò magis (*per Prop. præc.*) Deum intelligimus, ac proinde (*per Prop.* 28. *p.*4.) summa Mentis virtus, hoc est, (*per Defin.*8.*p.*4.) Mentis potentia, seu natura, sive (*per Prop.* 7. *p.* 3.) summus conatus est res intelligere tertio cognitionis genere. *Q.E.D.*

PRO-

Propositio XXVI.

Quò Mens aptior est ad res tertio cognitionis genere intelligendum, eò magis cupit, res eodem hoc cognitionis genere intelligere.

Demonstratio

Patet. Nam quatenus concipimus Mentem aptam esse ad res hoc cognitionis genere intelligendum, eatenus eandem determinatam concipimus ad res eodem cognitionis genere intelligendum, & consequenter, (*per* 1. *Affect. Defin.*) quò Mens ad hoc aptior est, eò magis hoc cupit. *Q. E. D.*

Propositio XXVII.

Ex hoc tertio cognitionis genere summa, quæ dari potest, Mentis acquiescentia oritur.

Demonstratio.

Summa Mentis virtus est Deum cognoscere, (*per Prop.* 28. *p.* 4.) sive res tertio cognitionis genere intelligere; (*per Prop.* 25. *hujus*) quæ quidem virtus eò major est, quò Mens hoc cognitionis genere magis res cognoscit; (*per Prop.* 24. *hujus*) adeoque qui res hoc cognitionis genere cognoscit, is ad summam humanam perfectionem transit, & consequenter, (*per* 2. *Affect. Defin.*) summâ Lætitiâ afficitur, idque (*per Prop.* 43. *p.* 2.) concomitante idea sui, suæque virtutis, ac proinde (*per* 25. *Affect. Defin.*) ex hoc cognitionis genere summa, quæ dari potest, oritur acquiescentia. *Q. E. D.*

Propositio XXVIII.

Conatus, seu Cupiditas cognoscendi res tertio cognitionis genere, oriri non potest ex primo; at quidem ex secundo cognitionis genere.

Demonstratio.

Hæc Propositio per se patet. Nam quicquid clarè, & distinctè intel-

intelligimus, id vel per ſe, vel per aliud, quod per ſe concipitur, intelligimus, hoc eſt, ideæ, quæ in nobis claræ, & diſtinctæ ſunt, ſive quæ ad tertium cognitionis genus referuntur, (*vide* 2. *Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) non poſſunt ſequi ex ideis mutilatis, & confuſis, quæ (*per idem Schol.*) ad primum cognitionis genus referuntur; ſed ex ideis adæquatis, ſive (*per idem Schol.*) ex ſecundo, & tertio cognitionis genere; ac proinde (*per* 1. *Affect. Defin.*) Cupiditas cognoſcendi res tertio cognitionis genere non poteſt oriri ex primo; at quidem ex ſecundo. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXIX.

Quicquid Mens ſub ſpecie æternitatis intelligit, id ex eo non intelligit, quòd Corporis præſentem actualem exiſtentiam concipit; ſed ex eo, quòd Corporis eſſentiam concipit ſub ſpecie æternitatis.

DEMONSTRATIO.

Quateuus Mens præſentem ſui Corporis exiſtentiam concipit, eatenus durationem concipit, quæ tempore determinari poteſt, & eatenus tantùm potentiam habet concipiendi res cum relatione ad tempus. (*per Prop.* 21. *hujus & Prop.* 26. *p.* 2.) At æternitas per durationem explicari nequit. (*per Defin.* 8. *p.* 1. *& ipſius explication.*) Ergo Mens eatenus poteſtatem non habet concipiendi res ſub ſpecie æternitatis; ſed quia de naturâ rationis eſt res ſub ſpecie æternitatis concipere, (*per* 2. *Coroll. Prop.* 44. *p.* 2.) & ad Mentis naturam etiam pertinet Corporis eſſentiam ſub ſpecie æternitatis concipere, (*per Prop.* 23. *hujus*) & præter hæc duo nihil aliud ad Mentis eſſentiam pertinet. (*per Prop.* 13. *p.* 2.) Ergo hæc potentia concipiendi res ſub ſpecie æternitatis ad Mentem non pertinet, niſi quatenus Corporis eſſentiam ſub ſpecie æternitatis concipit. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Res duobus modis à nobis ut actuales concipiuntur, vel quatenus eaſdem cum relatione ad certum tempus, & locum exiſtere, vel quatenus ipſas in Deo contineri, & ex naturæ divinæ neceſſitate con-

conſequi concipimus. Quæ autem hôc ſecundo modo ut veræ, ſeu reales concipiuntur, eas ſub æternitatis ſpecie concipimus, & earum ideæ æternam, & infinitam Dei eſſentiam involvunt, ut Propoſitione 45. Partis 2. oſtendimus, cujus etiam Scholium vide.

Propositio XXX.

Mens noſtra, quatenus ſe, & Corpus ſub æternitatis ſpecie cognoſcit, eatenus Dei cognitionem neceſſariò habet, ſcitque ſe in Deo eſſe, & per Deum concipi.

Demonstratio.

Æternitas eſt ipſa Dei eſſentia, quatenus hæc neceſſariam involvit exiſtentiam. (*per Defin.* 8. *p.* 1.) Res igitur ſub ſpecie æternitatis concipere, eſt res concipere, quatenus per Dei eſſentiam, ut entia realia, concipiuntur, ſive quatenus per Dei eſſentiam involvunt exiſtentiam; adeoque Mens noſtra, quatenus ſe, & Corpus ſub ſpecie æternitatis concipit, eatenus Dei cognitionem neceſſariò habet, ſcitque &c. *Q. E. D.*

Propositio XXXI.

Tertium cognitionis genus pendet à Mente, tanquam à formali cauſâ, quatenus Mens ipſa æterna eſt.

Demonstratio.

Mens nihil ſub æternitatis ſpecie concipit, niſi quatenus ſui Corporis eſſentiam ſub æternitatis ſpecie concipit, (*per Prop.* 29. *hujus*) hoc eſt, (*per Prop.* 21. *&* 23. *hujus*) niſi quatenus æterna eſt; adeoque (*per Prop. præc.*) quatenus æterna eſt, Dei habet cognitionem, quæ quidem cognitio eſt neceſſariò adæquata, (*per Prop.* 46. *p.* 2.) ac proinde Mens, quatenus æterna eſt, ad illa omnia cognoſcendum eſt apta, quæ ex datâ hâc Dei cognitione conſequi poſſunt, (*per Prop.* 40. *p.* 2.) hoc eſt, ad res tertio cognitionis genere cognoſcendum, (*vide hujus Defin. in* 2. *Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) cujus propterea Mens, (*per Defin.* 1. *p.* 3.) quatenus æterna eſt, cauſa eſt adæquata, ſeu formalis. *Q. E. D.*

Scho-

SCHOLIUM.

Quò igitur unusquisque hoc cognitionis genere plùs pollet, eò melius sui, & Dei conscius est, hoc est, eò est perfectior, & beatior, quod adhuc clariùs ex seqq. patebit. Sed hîc notandum, quòd, tametsi jam certi sumus, Mentem æternam esse, quatenus res sub æternitatis specie concipit, nos tamen, ut ea, quæ ostendere volumus, faciliùs explicentur, & meliùs intelligantur, ipsam, tanquam jam inciperet esse, & res sub æternitatis specie intelligere jam inciperet, considerabimus, ut huc usque fecimus; quod nobis absque ullo erroris periculo facere licet, modò nobis cautio sit nihil concludere, nisi ex perspicuis præmissis.

PROPOSITIO XXXII.

Quicquid intelligimus tertio cognitionis genere, eo delectamur, & quidem concomitante ideâ Dei, tanquam causâ.

DEMONSTRATIO.

Ex hôc cognitionis genere summa, quæ dari potest, Mentis acquiescentia, hoc est, (*per* 25. *Affect. Defin.*) Lætitia oritur, eaque concomitante ideâ sui, (*per Prop.* 27. *hujus*) & consequenter (*per Prop.* 30. *hujus*) concomitante etiam ideâ Dei, tanquam causâ. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Ex tertio cognitionis genere oritur necessariò Amor Dei intellectualis. Nam ex hoc cognitionis genere oritur (*per Prop. præc.*) Lætitia concomitante ideâ Dei, tanquam causâ, hoc est, (*per* 6. *Affect. Defin.*) Amor Dei, non quatenus ipsum ut præsentem imaginamur; (*per Prop.* 29. *hujus*) sed quatenus Deum æternum esse intelligimus, & hoc est, quod amorem Dei intellectualem voco.

PROPOSITIO XXXIII.

Amor Dei intellectualis, qui ex tertio cognitionis genere oritur, est æternus.

DE-

Demonstratio.

Tertium enim cognitionis genus, (*per Prop.* 31. *hujus, & Axiom.* 3. *p.* 1.) est æternum; adeóque (*per idem Axiom. p.* 1.) Amor, qui ex eodem oritur, est etiam necessariò æternus. *Q. E. D.*

Scholium.

Quamvis hic erga Deum Amor principium non habuerit, (*per Prop. præc.*) habet tamen omnes Amoris perfectiones, perinde ac si ortus fuisset, sicut in Coroll. Prop. præc. finximus. Nec ulla hîc est differentia, nisi quòd Mens easdem has perfectiones, quas eidem jam accedere finximus, æternas habuerit, idque concomitante ideâ Dei tanquam causâ æternâ. Quòd si Lætitia in transitione ad majorem perfectionem consistit, beatitudo sanè in eo consistere debet, quòd Mens ipsâ perfectione sit prædita.

Propositio XXXIV.

Mens non nisi durante corpore obnoxia est affectibus, qui ad passiones referuntur.

Demonstratio.

Imaginatio est idea, quâ Mens rem aliquam ut præsentem contemplatur, (*vide ejus Defin. in Schol. Prop.* 17. *p.* 2.) quæ tamen magis Corporis humani præsentem constitutionem, quàm rei externæ naturam indicat. (*per* 2 *Coroll. Prop.* 16. *p.* 2.) Est igitur affectus (*per gen. Affect. Defin.*) imaginatio, quatenus Corporis præsentem constitutionem indicat; atque adeò (*per Prop.* 21. *hujus*) Mens non nisi durante corpore obnoxia est affectibus, qui ad passiones referuntur. *Q. E. D.*

Corollarium.

Hinc seqnitur nullum Amorem præter Amorem intellectualem esse æternum.

Scholium.

Si ad hominum communem opinionem attendamus, videbimus, eos suæ Mentis æternitatis esse quidem conscios; sed ipsos eandem

cum duratione confundere, eamque imaginationi, seu memoriæ tribuere, quam post mortem remanere credunt.

PROPOSITIO XXXV.

Deus se ipsum Amore intellectuali infinito amat.

DEMONSTRATIO.

Deus est absolutè infinitus, (*per Defin.* 6. *p.* 1.) hoc est, (*per Defin.* 6. *p.* 2.) Dei natura gaudet infinitâ perfectione, idque (*per Prop.* 3. *p.* 2.) concomitante ideâ sui, hoc est, (*per Prop.* 11. *& Axiom.* 1. *p.* 1.) ideâ suæ causæ, & hoc est, quod in Coroll. Prop. 32. hujus Amorem intellectualem esse diximus.

PROPOSITIO XXXVI.

Mentis Amor intellectualis erga Deum est ipse Dei Amor, quo Deus se ipsum amat, non quatenus infinitus est; sed quatenus per essentiam humanæ Mentis, sub specie æternitatis consideratam, explicari potest, hoc est, Mentis erga Deum Amor intellectualis pars est infiniti amoris, quo Deus se ipsum amat.

DEMONSTRATIO.

Hic Mentis Amor ad Mentis actiones referri debet, (*per Coroll. Prop.* 32. *hujus, & per Prop.* 3. *p.* 3.) qui proinde actio est, quâ Mens se ipsam contemplatur, concomitante ideâ Dei tanquam causâ, (*per Prop.* 32. *hujus, & ejus Coroll.*) hoc est, (*per Coroll. Prop.* 25. *p.* 1. *& Coroll. Prop.* 11. *p.* 2.) actio, quâ Deus, quatenus per Mentem humanam explicari potest, seipsum contemplatur, concomitante ideâ sui; atque adeò (*per Prop. præc.*) hic Mentis Amor pars est infiniti amoris, quo Deus seipsum amat. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, quòd Deus, quatenus seipsum amat, homines amat, & consequenter quòd amor Dei erga homines, & Mentis erga Deum Amor intellectualis unum, & idem sit.

SCHO-

Scholium.

Ex his clarè intelligimus, quâ in re noſtra ſalus, ſeu beatitudo, ſeu Libertas conſiſtit, nempe in conſtanti, & æterno erga Deum Amore, ſive in Amore Dei erga homines. Atque hic Amor, ſeu beatitudo in Sacris codicibus Gloria appellatur, nec immeritò. Nam ſive hic Amor ad Deum referatur, ſive ad Mentem, rectè animi acquieſcentia, quæ reverâ à Gloriâ, (*per* 25. *&* 30. *Aff. Defin.*) non diſtinguitur, appellari poteſt. Nam quatenus ad Deum refertur, eſt (*per Prop.* 35. *hujus*) Lætitia, liceat hôc adhuc vocabulo uti, concomitante ideâ ſui, ut & quatenus ad Mentem refertur. (*per Prop.* 27. *hujus*) Deinde quia noſtræ Mentis eſſentia in ſolâ cognitione conſiſtit, cujus principium, & fundamentum Deus eſt: (*per Prop.* 15. *p.* 1. *& Schol. Prop.* 47. *p.* 2.) hinc perſpicuum nobis fit, quomodò, & quâ ratione Mens noſtra ſecundùm eſſentiam, & exiſtentiam ex naturâ divinâ ſequatur, & continuò à Deo pendeat; quod hîc notare operæ pretium duxi, ut hôc exemplo oſtenderem, quantùm rerum ſingularium cognitio, quam intuitivam, ſive tertii generis appellavi, (*vide* 2. *Schol. Prop.* 40. *p.* 2.) polleat, potiorque ſit cognitione univerſali, quam ſecundi generis eſſe dixi. Nam quamvis in primâ Parte generaliter oſtenderim, omnia (& conſequenter Mentem etiam humanam) à Deo ſecundùm eſſentiam, & exiſtentiam pendere; illa tamen demonſtratio, tametſi legitima ſit, & extra dubitationis aleam poſita, non ità tamen Mentem noſtram afficit, quàm quando id ipſum ex ipſâ eſſentiâ rei cujuscunque ſingularis, quam à Deo pendêre dicimus, concluditur.

Propositio XXXVII.

Nihil in naturâ datur, quod huic Amori intellectuali ſit contrarium, ſive quod ipſum poſſit tollere.

Demonstratio.

Hic intellectualis Amor ex Mentis naturâ neceſſariò ſequitur, quatenus ipſa, ut æterna veritas, per Dei naturam conſideratur; (*per Prop.* 33. *&* 29. *hujus.*) Siquid ergo daretur, quod huic Amori eſſet contrarium, id contrarium eſſet vero, & conſequenter id,

quod hunc Amorem posset tollere, efficeret, ut id, quod verum est, falsum esset, quod (*ut per se notum*) est absurdum. Ergo nihil in natura datur, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Partis Quartæ Axioma res singulares respicit, quatenus cum relatione ad certum tempus, & locum considerantur, de quo neminem dubitare credo.

PROPOSITIO XXXVIII.

Quò plures res secundo, & tertio cognitionis genere Mens intelligit, eò minùs ipsa ab affectibus, qui mali sunt patitur, & mortem minùs timet.

DEMONSTRATIO.

Mentis essentia in cognitione consistit; (*per Prop.* 11. *p.* 2.) quò igitur Mens plures res cognoscit secundo, & tertio cognitionis genere, eò major ejus pars remanet, (*per Prop.* 29. *& 23. hujus*) & consequenter (*per Prop. præc.*) eò major ejus pars non tangitur ab affectibus, qui nostræ naturæ sunt contrarii, hoc est, (*per Prop.* 30. *p.* 4.) qui mali sunt. Quò itaque Mens plures res secundo, & tertio cognitionis genere intelligit, eò major ejus pars illæsa manet, & consequenter minus ab affectibus patitur, &c. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hinc intelligimus id, quod in Schol. Prop. 39. p. 4. attigi, & quod in hâc Parte explicare promisi; nempe, quòd mors eò minùs est noxia, quò Mentis clara, & distincta cognitio major est, & consequenter, quò Mens magis Deum amat. Deinde, quia (*per Prop.* 27. *hujus*) ex tertio cognitionis genere summa, quæ dari potest, oritur acquiescentia, hinc sequitur Mentem humanam posse ejus naturæ esse, ut id, quod ejus cum corpore perire ostendimus, (*vide Prop.* 21. *hujus*) in respectu ad id, quod ipsius remanet, nullius sit momenti. Sed de his mox prolixiùs.

PROPOSITIO XXXIX.

Qui Corpus ad plurima aptum habet, is Mentem habet, cujus maxima pars est æterna.

DE-

Demonstratio.

Qui Corpus ad plurima agendum aptum habet, is minimè affectibus, qui mali sunt, conflictatur, (*per Prop.* 38. *p.* 4.) hoc est, (*per Prop.* 30. *p.* 4.) affectibus, qui naturæ nostræ sunt contrarii, atque adeò (*per Prop.* 10. *hujus*) potestatem habet ordinandi, & concatenandi Corporis affectiones secundùm ordinem ad intellectum, & consequenter efficiendi, (*per Prop.* 14. *hujus*) ut omnes Corporis affectiones ad Dei ideam referantur, ex quo fiet (*per Prop.* 15. *hujus*) ut erga Deum afficiatur Amore, qui (*per Prop.* 16. *hujus*) Mentis maximam partem occupare, sive constituere debet, ac proinde (*per Prop.* 33. *hujus*) Mentem habet, cujus maxima pars est æterna. *Q. E. D.*

Scholium.

Quia Corpora humana ad plurima apta sunt, non dubium est, quin ejus naturæ possint esse, ut ad Mentes referantur, quæ magnam sui, & Dei habeant cognitionem, & quarum maxima, seu præcipua pars est æterna, atque adeò ut mortem vix timeant. Sed ut hæc clariùs intelligantur animadvertendum hîc est, quòd nos in continuâ vivimus variatione, & prout in melius, sive in pejus mutamur, eò felices, aut infelices dicimur. Qui enim ex infante, vel puero in cadaver transiit, infelix dicitur, & contrà id felicitati tribuitur, quòd totum vitæ spatium Mente sanâ in Corpore sano percurrere potuerimus. Et reverâ qui Corpus habet, ut infans, vel puer, ad pauciſſima aptum, & maximè pendens à causis externis, Mentem habet, quæ in se solâ considerata nihil ferè sui, nec Dei, nec rerum sit conscia; & contrà, qui Corpus habet ad plurima aptum, Mentem habet, quæ in se solâ considerata multum sui, & Dei, & rerum sit conscia. In hâc vitâ igitur apprimè conamur, ut Corpus infantiæ in aliud, quantùm ejus natura patitur, eique conducit mutetur, quod ad plurima aptum sit, quodque ad Mentem referatur, quæ sui, & Dei, & rerum plurimùm sit conscia; atque ità ut id omne, quod ad ipsius memoriam, vel imaginationem refertur, in respectu ad intellectum vix alicujus sit momenti, ut in Schol. Prop. Præced. jam dixi.

PROPOSITIO XL.

Quò unaquæque res plus perfectionis habet, eò magis agit, & minùs patitur, & contrà, quò magis agit, eò perfectior est.

DEMONSTRATIO.

Quò unaquæque res perfectior est, eò plus habet realitatis, (*per Axiom.* 6. *p.* 2.) & consequenter (*per Prop.* 3. *p.* 3. *cum ejus Schol.*) eò magis agit, & minùs patitur; quæ quidem Demonstratio inverso ordine eodem modo procedit, ex quo sequitur, ut res contrà eò sit perfectior, quò magis agit. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc sequitur partem Mentis, quæ remanet, quantacunque ea sit, perfectiorem esse reliqua. Nam pars Mentis æterna, (*per Prop.* 23. *&* 29. *hujus*) est intellectus, per quem solum nos agere dicimur; (*per Prop.* 3. *p.* 3.) illa autem, quam perire ostendimus, est ipsa imaginatio, (*per Prop.* 21. *hujus*) per quam solam dicimur pati; (*per Prop.* 3. *p.* 3. *& gen. Affect. Defin.*) atque adeò (*per Prop. præc.*) illa, quantacunque ea sit, hâc est perfectior. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc sunt, quæ de Mente, quatenus sine relatione ad Corporis existentiam consideratur, ostendere constitueram: ex quibus, & simul ex Prop. 21. p. 1. & aliis apparet, quòd Mens nostra, quatenus intelligit, æternus cogitandi modus sit, qui alio æterno cogitandi modo determinatur, & hic iterum ab alio, & sic in infinitum; ità ut omnes simul Dei æternum, & infinitum intellectum constituant.

PROPOSITIO XLI.

Quamvis nesciremus, Mentem nostram æternam esse, Pietatem tamen, & Religionem, & absolutè omnia, quæ ad Animositatem, & Generositatem referri ostendimus in quartâ parte, prima haberemus.

DEMONSTRATIO.

Primum, & unicum virtutis, seu rectè vivendi rationis fundamentum, (*per Coroll. Prop.* 22. *& per Prop.* 24. *p.* 4.) est suum utile quærere. Ad illa autem determinandum, quæ ratio utilia esse dictat, nullam rationem habuimus Mentis æternitatis, quam demum

mum

mum in hâc Quintâ Parte novimus. Quamvis igitur tum temporis ignoraverimus, Mentem esse æternam, illa tamen, quæ ad Animositatem, & Generositatem referri ostendimus, prima habuimus; atque adeò, quamvis etiam nunc hoc ipsum ignoraremus, eadem tamen rationis præscripta prima haberemus. *Q. E. D.*

Scholium.

Communis vulgi persuasio alia videtur esse. Nam plerique videntur credere, se eatenus liberos esse, quatenus libidini parere licet, & eatenus de suo jure cedere, quatenus ex legis divinæ præscripto vivere tenentur. Pietas igitur, & Religio, & absolutè omnia, quæ ad animi Fortitudinem referuntur, onera esse credunt, quæ post mortem deponere, & pretium servitutis, nempe Pietatis, & Religionis accipere sperant, nec hâc spe solâ; sed etiam, & præcipuè metu, ne diris scilicet suppliciis post mortem puniantur, inducuntur, ut ex legis divinæ præscripto, quantùm eorum fert tenuitas, & impotens animus, vivant; & nisi hæc Spes, & Metus hominibus inessent; at contrà si crederent, mentes cum corpore interire, nec restare miseris, Pietatis onere confectis, vivere longiùs, ad ingenium redirent, & ex libidine omnia moderari, & fortunæ potiùs, quàm sibi parere, vellent. Quæ mihi non minùs absurda videntur, quàm si quis propterea, quòd non credit, se posse bonis alimentis corpus in æternum nutrire, venenis potiùs, & lethiferis se exsaturare vellet; vel quia videt Mentem non esse æternam, seu immortalem, ideò amens mavult esse, & sine ratione vivere: quæ adeò absurda sunt, ut vix recenseri mereantur.

Propositio XLII.

Beatitudo non est virtutis præmium; sed ipsa virtus; nec eâdem gaudemus, quia libidines coërcemus; sed contrà quia eâdem gaudemus, ideò libidines coërcere possumus.

Demonstratio.

Beatitudo in Amore erga Deum consistit, (*per Prop.* 36. *hujus, & ejus Schol.*) qui quidem Amor ex tertio cognitionis genere oritur; (*per*

(*per Coroll. Prop.* 32. *hujus*) atque adeò hic Amor (*per Prop.* 59. & 3. *p.* 3.) ad Mentem, quatenus agit, referri debet; ac proinde (*per Defin.* 8. *p.* 4.) ipsa virtus est, quod erat primum. Deinde quò Mens hoc Amore divino, seu beatitudine magis gaudet, eò plus intelligit, (*per Prop.* 32. *hujus*) hoc est, (*per Coroll. p.* 3. *hujus*) eò majorem in affectûs habet potentiam, & (*per Prop.* 38. *hujus*) eò minùs ab affectibus, qui mali sunt, patitur; atque adeò ex eo, quòd Mens hoc Amore divino, seu beatitudine gaudet, potestatem habet libidines coërcendi; & quia humana potentia ad coërcendos affectûs in solo intellectu consistit; ergo nemo beatitudine gaudet, quia affectûs coërcuit; sed contrà potestas libidines coërcendi ex ipsâ beatitudine oritur. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

His omnia, quæ de Mentis in affectûs potentiâ, quæque de Mentis Libertate ostendere volueram, absolvi. Ex quibus apparet, quantum Sapiens polleat, potiorque sit ignaro, qui solâ libidine agitur. Ignarus enim, præterquam à causis externis, multis modis agitatur, nec unquam verâ animi acquiescentiâ potitur, vivit præterea sui, & Dei, & rerum quasi inscius, & simulac pati desinit, simul etiam esse desinit. Cùm contrà sapiens, quatenus ut talis consideratur, vix animo movetur; sed sui, & Dei, & rerum æternâ quâdam necessitate conscius, nunquam esse desinit; sed semper verâ animi acquiescentiâ potitur. Si jam via, quam ad hæc ducere ostendi perardua videatur, inveniri tamen potest. Et sanè arduum debet esse, quod adeò rarò reperitur. Qui enim posset fieri, si salus in promptu esset, & sine magno labore reperiri posset, ut ab omnibus ferè negligeretur? Sed omnia præclara tam difficilia, quàm rara sunt.

FINIS.

TRACTATUS POLITICUS;

In quo demonstratur, quomodò Societas, ubi Imperium Monarchicum locum habet, sicut & ea, ubi Optimi imperant, debet institui, ne in Tyrannidem labatur, & ut Pax, Libertasque civium inviolata maneat.

Auctoris epiſtola ad Amicum, quæ Præfationis loco huic Tractatui Politico aptè præfigi, & inſervire poterit.

AMice dilecte, Grata tua mihi heri tradita eſt. Gratias pro curâ tam diligenti, quam pro me geris, ex animo ago. Hanc occaſionem, &c. non prætermitterem, niſi in quâdam re eſſem occupatus, quam utiliorem judico, quæque tibi, ut credo, magis arridebit, nempe in Tractatu Politico concinnando, quem ante aliquod tempus, te auctore, inchoavi. Hujus Tractatûs Capita ſex jam ſunt abſoluta. Primum *ad ipſum opus Introductionem quaſi continet:* ſecundum *tractat de Jure naturali:* tertium *de Jure Summarum Poteſtatum:* quartum, *quænam Negotia Politica à Summarum Poteſtatum gubernatione pendeant:* quintum, *quidnam ſit illud extremum, & ſummum, quod Societas poteſt conſiderare;* & ſextum, *quâ ratione Imperium Monarchicum debeat inſtitui, ne in Tyrannidem labatur. Impræſentiarum caput* ſeptimum *tracto, in quo omnia præcedentis ſexti capitis membra, ordinem benè ordinatæ Monarchiæ concernentia, Methodicè demonſtro. Poſtea ad* Ariſtocraticum & Populare Imperium, *denique ad Leges, aliaſque particulares Quæſtiones, Politicam ſpectantes, tranſibo. Hiſce vale, &c.*

Patet hinc Auctoris Scopus; ſed morbo impeditus, & morte abreptus hoc opus non ulteriùs, quàm ad finem Ariſtocratiæ, perducere valuit, quemadmodum Lector ipſe experietur.

TRAC-

TRACTATUS POLITICUS;

In quo demonstratur, quomodò Societas, ubi Imperium Monarchicum locum habet, sicut & ea, ubi Optimi imperant, debet institui, ne in Tyrannidem labatur, & ut Pax, Libertasque civium inviolata maneat.

CAPUT I.

§. I. AFfectûs, quibus conflictamur, concipiunt Philosophi veluti vitia, in quæ homines suâ culpâ labuntur; quos propterea ridere, flere, carpere, vel (qui sanctiores videri volunt) detestari solent. Sic ergo se rem divinam facere, & sapientiæ culmen attingere credunt, quando humanam naturam, quæ nullibi est, multis modis laudare, & eam, quæ reverâ est, dictis lacessere nôrunt. Homines namque, non ut sunt; sed, ut eosdem esse vellent, concipiunt: unde factum est, ut plerumque pro Ethicâ Satyram scripserint, & ut nunquam Politicam conceperint, quæ possit ad usum revocari; sed quæ pro Chimærâ haberetur, vel quæ in Utopiâ, vel in illo Poëtarum aureo seculo, ubi scilicet minimè necesse erat, institui potuisset. Cùm igitur omnium scientiarum, quæ usum habent, tum maximè Politices Theoria ab ipsius Praxi discrepare creditur, & regendæ Reipublicæ nulli minùs idonei æstimantur, quàm Theoretici, seu Philosophi.

§. II. At Politici contrà hominibus magis insidiari, quàm consulere creduntur, & potiùs callidi, quàm sapientes æstimantur. Docuit nimirùm eosdem experientia, vitia fore, donec homines. Humanam

nam igitur malitiam prævenire dum ſtudent, idque iis artibus, quas experentia longo uſu docuit, & quas homines, magis metu, quàm ratione ducti, exercere ſolent, Religioni adverſari videntur, Theologis præcipuè, qui credunt ſummas poteſtates debere negotia publica tractare ſecundùm eaſdem Pietatis regulas, quibus vir privatus tenetur. Ipſos tamen Politicos multò feliciùs de rebus Politicis ſcripſiſſe, quàm Philoſophos dubitari non poteſt. Nam quoniam experientiam magiſtram habuerunt, nihil docuerunt, quod ab uſu remotum eſſet.

§. III. Et ſanè mihi planè perſuadeo, experientiam omnia Civitatum genera, quæ concipi poſſunt, ut homines concorditer vivant, & ſimul media, quibus multitudo dirigi, ſeu quibus intra certos limites contineri debeat, oſtendiſſe: ità ut non credam, nos poſſe aliquid, quod ab experientiâ, ſive praxi non abhorreat, cogitatione de hâc re aſſequi, quòd nondum expertum, compertumque ſit. Nam homines ità comparati ſunt, ut extra commune aliquod jus vivere nequeant; jura autem communia, & negotia publica à viris acutiſſimis, ſive aſtutis, ſive callidis inſtituta, & tractata ſunt; adeoque vix credibile eſt, nos aliquid, quod communi Societati ex uſu eſſe queat, poſſe concipere, quod occaſio, ſeu caſus non obtulerit, quodque homines, communibus negotiis intenti, ſuæque ſecuritati conſulentes, non viderint.

§. IV. Cùm igitur animum ad Politicam applicuerim, nihil quòd novum, vel inauditum eſt; ſed tantùm ea, quæ cum praxi optimè conveniunt, certâ, & indubitatâ ratione demonſtrare, aut ex ipſâ humanæ naturæ conditione deducere, intendi; & ut ea, quæ ad hanc ſcientiam ſpectant, eâdem animi libertate, quâ res Mathematicas ſolemus, inquirerem, ſedulò curavi, humanas actiones non ridere, non lugere, neque deteſtari; ſed intelligere: atque adeò humanos affectûs, ut ſunt amor, odium, ira, invidia, gloria, miſericordia, & reliquæ animi commotiones, non ut humanæ naturæ vitia; ſed ut proprietates contemplatus ſum, quæ ad ipſam ità pertinent, ut ad naturam aëris æſtus, frigus, tempeſtas, tonitru, & alia hujusmodi, quæ, tametſi incommoda ſunt, neceſſaria tamen ſunt, certaſque habent cauſas, per quas eorum naturam intelligere conamur, &

Mens

Mens eorum verâ contemplatione æquè gaudet, ac earum rerum cognitione, quæ ſenſibus gratæ ſunt.

§. V. Eſt enim hoc certum, & in noſtrâ Ethicâ verum eſſe demonſtravimus, homines neceſſariò affectibus eſſe obnoxios, & ità conſtitutos eſſe, ut eorum, quibus malè eſt, miſereantur & quibus benè eſt, invideant, & ut ad vindictam magis, quàm ad miſericordiam ſint proni, & præterea unumquemque appetere, ut reliqui ex ipſius ingenio vivant, & ut probent, quod ipſe probat, & quod ipſe repudiat, repudient; unde fit, ut cùm omnes pariter appetant primi eſſe, in contentiones veniant, &, quantùm poſſunt, nitantur ſe invicem opprimere, &, qui victor evadit, magis glorietur, quòd alteri obfuit, quàm quòd ſibi profuit. Et quamvis omnes perſuaſi ſint, Religionem contrà docere, ut unusquiſque proximum, tanquam ſe ipſum amet, hoc eſt, ut jus alterius perinde, ac ſuum, defendat, hanc tamen perſuaſionem in affectûs parùm poſſe oſtendimus. Valet quidem in articulo mortis, quando ſcilicet morbus ipſos affectûs vicit, & homo ſegnis jacet, vel in templis, ubi homines nullum exercent commercium: at minimè in foro, vel in aulâ, ubi maximè neceſſe eſſet. Oſtendimus præterea, rationem multùm quidem poſſe affectûs coërcere, & moderari; ſed ſimul vidimus viam, quam ipſa ratio docet, perarduam eſſe; ità ut, qui ſibi perſuadent poſſe multitudinem, vel qui publicis negotiis diſtrahuntur, induci, ut ex ſolo rationis præſcripto vivant, ſeculum Poëtarum aureum, ſeu fabulam ſomnient.

§. VI. Imperium igitur, cujus ſalus ab alicujus fide pendet, & cujus negotia non poſſunt rectè curari, niſi ii, qui eadem tractant, fide velint agere, minimè ſtabile erit; ſed, ut permanere poſſit, res ejus publicæ ità ordinandæ ſunt, ut qui eaſdem adminiſtrant, ſive ratione ducantur, ſive affectu, induci nequeant, ut malè fidi ſint, ceu pravè agant. Nec ad imperii ſecuritatem refert, quo animo homines inducantur, ad res rectè adminiſtrandum, modò res rectè adminiſtrentur; animi enim libertas, ſeu fortitudo privata virtus eſt; at imperii virtus ſecuritas.

§. VII. Denique quia omnes homines, ſive Barbari, ſive culti

sint, consuetudines ubique jungunt, & statum aliquem civilem formant, ideò imperii causas, & fundamenta naturalia non ex rationis documentis petenda; sed ex hominum communi naturâ, seu conditione deducenda sunt, quod in sequenti capite facere constitui.

CAPUT II.

§. I. IN nostro Tractatu Theologico-politico de Jure Naturali, & Civili egimus, & in nostrâ Ethicâ explicuimus, quid peccatum, quid meritum, quid justitia, quid injustitia, & quid denique humana libertas sit. Sed ne ii, qui hunc tractatum legunt, opus habeant ea, quæ ad hunc ipsum tractatum maximè spectant, in aliis quærere, ea hic iterùm explicare, & apodicticè demonstrare constitui.

§. II. Res quæcunque naturalis potest adæquatè concipi, sive existat, sive non existat; ut igitur rerum naturalium existendi principium, sic earum in existendo perseverantia ex earum definitione non potest concludi. Nam earum essentia idealis eadem est, postquam existere inceperunt, quàm antequam existerent. Ut ergo earum existendi principium ex earum essentiâ sequi nequit, sic nec earum in existendo perseverantia: sed eâdem potentiâ, quâ indigent, ut existere incipiant, indigent, ut existere pergant. Ex quo sequitur, rerum naturalium potentiam, quâ existunt, & consequenter quâ operantur, nullam aliam esse posse, quàm ipsam Dei æternam potentiam. Nam si quæ alia creata esset, non posset seipsam, & consequenter neque res naturales conservare; sed ipsa etiam eâdem potentiâ, quâ indigeret, ut crearetur, indigeret, ut in existendo perseveraret.

§. III. Hinc igitur, quòd scilicet rerum naturalium potentia, quâ existunt, & operantur, ipsissima Dei sit potentia, facilè intelligimus, quid Jus naturæ sit. Nam quoniam Deus jus ad omnia habet, & jus Dei nihil aliud est, quàm ipsa Dei potentia, quatenus hæc absolutè libera consideratur, hinc sequitur, unamquamque rem naturalem tantum juris ex naturâ habere, quantum potentiæ habet ad existendum, & operandum: quandoquidem unius-

niuscujuſque rei naturalis potentia, quâ exiſtit, & operatur, nulla alia eſt, quàm ipſa Dei potentia, quæ abſolutè libera eſt.

§. IV. Per Jus itaque naturæ intelligo ipſas naturæ leges, ſeu regulas, ſecundùm quas omnia fiunt, hoc eſt, ipſam naturæ potentiam; atque adeò totius naturæ, & conſequenter uniuscujuſque invidui naturale Jus eò uſque ſe extendit, quò ejus potentia; & conſequenter quicquid unusquiſque homo ex legibus ſuæ naturæ agit, id ſummo naturæ jure agit, tantumque in naturam habet juris, quantum potentiâ valet.

§. V. Si igitur cum humanâ naturâ ità comparatum eſſet, ut homines ex ſolo rationis præſcripto viverent, nec aliud conarentur; tum naturæ Jus, quatenus humani generis proprium eſſe conſideratur, ſolâ rationis potentiâ determinaretur. Sed homines magis cæcâ cupiditate, quàm ratione ducuntur, ac proinde hominum naturalis potentia, ſive Jus non ratione; ſed quocunque appetitu, quo ad agendum determinantur, quoque ſe conſervare conantur, definiri debet. Equidem fateor, cupiditates illas, quæ ex ratione non oriuntur, non tam actiones, quàm paſſiones eſſe humanas. Verùm quia hîc de naturæ univerſali potentiâ, ſeu Jure agimus, nullam hîc agnoſcere poſſumus differentiam inter cupiditates, quæ ex ratione, & inter illas, quæ ex aliis cauſis in nobis ingenerantur: quandoquidem tam hæ, quàm illæ effectûs naturæ ſunt, vimque naturalem explicant, quâ homo in ſuo eſſe perſeverare conatur. Eſt enim homo, ſive ſapiens, ſive ignarus ſit, naturæ pars, & id omne, ex quo unusquiſque ad agendum determinatur, ad naturæ potentiam referri debet, nempe quatenus hæc per naturam hujus, aut illius hominis definiri poteſt. Nihil namque homo, ſeu ratione, ſeu ſolâ cupiditate ductus, agit, niſi ſecundùm leges, & regulas naturæ, hoc eſt, (*per Art. 4. hujus Cap.*) ex naturæ jure.

§. VI. At plerique, ignaros naturæ ordinem magis perturbare, quàm ſequi, credunt, & homines in naturâ veluti imperium in imperio concipiunt. Nam Mentem humanam à nullis cauſis naturalibus ſtatuunt produci; ſed à Deo immediatè creari, à reliquis rebus adeò independentem, ut abſolutam habeat poteſtatem ſeſe deter-

determinandi, & ratione rectè utendi. Sed experientia satis superque docet, quòd in nostrâ potestate non magis sit, Mentem sanam, quàm Corpus sanum habere. Deinde quandoquidem unaquæque res, quantùm in se est, suum esse conservare conatur, dubitare nequaquam possumus, quin, si æquè in nostrâ potestate esset, tam ex rationis præscripto vivere, quàm cæcâ cupiditate duci, omnes ratione ducerentur, & vitam sapienter instituerent, quod minimè fit. Nam trahit sua quemque voluptas. Nec Theologi hanc difficultatem tollunt, qui scilicet statuunt hujus impotentiæ causam humanæ naturæ vitium, seu peccatum esse, quod originem à primi parentis lapsu traxerit. Nam si etiam in primi hominis potestate fuit tam stare, quàm labi, & mentis compos erat, & naturâ integrâ, quî fieri potuit, ut sciens, prudensque lapsus fuerit? At dicunt, eum à Diabolo deceptum fuisse. Verùm quis ille fuit, qui ipsum Diabolum decepit? quis, inquam, ipsum omnium creaturarum intelligentium præstantissimum adeò amentem reddidit, ut Deo major esse voluerit? Nonne enim se ipsum, qui Mentem sanam habebat, suumque esse, quantùm in se erat, conservare conabatur? Deinde quî fieri potuit, ut ipse primus homo, qui mentis compos erat, & suæ voluntatis dominus, seduceretur, & mente pateretur capi? Nam, si potestatem habuit ratione rectè utendi, decipi non potuit: nam, quantum in se fuit, conatus est necessariò suum esse, Mentemque suam sanam conservare. Atqui supponitur eum hoc in potestate habuisse: ergo Mentem suam sanam necessariò conservavit, nec decipi potuit. Quod ex ipsius historiâ falsum esse constat; ac proinde fatendum est, quòd in primi hominis potestate non fuerit ratione rectè uti; sed quòd, sicuti nos, affectibus fuerit obnoxius.

§. VII. Quòd autem homo, ut reliqua individua, suum esse, quantum in se est, conservare conetur, negare nemo potest. Nam si hîc aliqua concipi posset differentia, inde oriri deberet, quòd homo voluntatem haberet liberam. Sed quò homo à nobis magis liber conciperetur, eò magis cogeremur statuere, ipsum sese necessariò debere conservare, & mentis compotem esse, quòd facile unusquisque, qui libertatem cum contingentiâ non confundit,

mihi

mihi concedet. Eſt namque libertas virtus, ſeu perfectio: quicquid igitur hominem impotentiæ arguit, id ad ipſius libertatem referri nequit. Quare homo minimè poteſt dici liber, propterea quòd poteſt non exiſtere, vel quòd poteſt non uti ratione; ſed tantùm quatenus poteſtatem habet exiſtendi, & operandi ſecundum humanæ naturæ leges. Quò igitur hominem magis liberum eſſe conſideramus, eò minùs dicere poſſumus, quòd poſſit ratione non uti, & mala præ bonis eligere; & ideò Deus, qui abſolutè liber exiſtit, intelligit, & operatur neceſſariò etiam, nempe ex ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, intelligit, & operatur. Nam non dubium eſt, quin Deus eâdem, quâ exiſtit, libertate operetur: ut igitur ex ipſius naturæ neceſſitate exiſtit, ex ipſius etiam naturæ neceſſitate agit, hoc eſt, liberè abſolutè agit.

§. VIII. Concludimus itaque, in poteſtate uniuscujuſque hominis non eſſe ratione ſemper uti, & in ſummo humanæ libertatis faſtigio eſſe; & tamen unumquemque ſemper, quantum in ſe eſt, conari ſuum eſſe conſervare, & (quia unusquiſque tantum juris habet, quantum potentiâ valet) quicquid unusquiſque, ſive ſapiens, ſive ignarus conatur, & agit, id ſummo naturæ jure conari, & agere. Ex quibus ſequitur Jus, & inſtitutum naturæ, ſub quo omnes naſcuntur homines, & maximâ ex parte vivunt, nihil, niſi quod nemo cupit, & quod nemo poteſt, prohibere, non contentiones, non odia, non iram, non dolos, nec abſolutè aliquid, quod appetitus ſuadet, averſari. Nec mirum; Nam natura non legibus humanæ rationis, quæ non niſi hominum verum utile, & conſervationem intendunt, continetur; ſed infinitis aliis, quæ totius naturæ, cujus homo particula eſt, æternum ordinem reſpiciunt, ex cujus ſolâ neceſſitate omnia individua certo modo determinantur ad exiſtendum, & operandum: Quicquid ergo nobis in naturâ ridiculum, abſurdum, aut malum videtur, id inde eſt, quòd res tantùm ex parte novimus, totiusque naturæ ordinem, & cohærentiam maximâ ex parte ignoramus, & quòd, omnia ex præſcripto noſtræ rationis ut dirigerentur, volumus: cùm tamen id, quod ratio malum eſſe dictat, non malum ſit reſpectu ordinis, & legum univerſæ naturæ; ſed tantùm ſolius noſtræ naturæ legum reſpectu.

§. IX. Præterea ſequitur, unumquemque tamdiu alterius eſſe juris, quamdiu ſub alterius poteſtate eſt, & eatenus ſui juris, quatenus vim omnem repellere, damnumque ſibi illatum ex ſui animi ſententiâ vindicare, & abſolutè, quatenus ex ſuo ingenio vivere poteſt.

§. X. Is alterum ſub poteſtate habet, quem ligatum tenet, vel cui arma, & media ſeſe defendendi, aut evadendi ademit, vel cui metum injecit, vel quem ſibi beneficio ità devinxit, ut ei potiùs, quàm ſibi morem gerere, & potiùs ex ipſius, quàm ex ſui animi ſententiâ vivere velit. Qui primo, vel ſecundo modo alterum in poteſtate habet, ejus tantùm Corpus, non Mentem tenet; tertio autem, vel quarto, tam ipſius Mentem, quàm Corpus ſui juris fecit; ſed non niſi durante metu, vel ſpe; hâc verò, aut illo adempto manet alter ſui juris.

§. XI. Judicandi facultas eatenus etiam alterius juris eſſe poteſt, quatenus Mens poteſt ab altero decipi: ex quo ſequitur, Mentem eatenus ſui juris omnino eſſe, quatenus rectè uti poteſt ratione. Imò quia humana potentia non tam ex Corporis robore, quàm ex Mentis fortitudine æſtimanda eſt; hinc ſequitur, illos maximè ſui juris eſſe, qui maximè ratione pollent, quique maximè eâdem ducuntur; atque adeò hominem eatenus liberum omnino voco, quatenus ratione ducitur; quia eatenus ex cauſis, quæ per ſolam ejus naturam poſſunt adæquatè intelligi, ad agendum determinatur, tametſi ex iis neceſſariò ad agendum determinetur. Nam libertas (*ut Art. 7. hujus Cap. oſtendimus*) agendi neceſſitatem non tollit; ſed ponit.

§. XII. Fides alicui data, quâ aliquis ſolis verbis pollicitus eſt, ſe hoc, aut illud facturum, quod pro ſuo jure omittere poterat, vel contrà, tamdiu rata manet, quamdiu ejus, qui fidem dedit, non mutatur voluntas. Nam qui poteſtatem habet ſolvendi fidem, is reverâ ſuo jure non ceſſit; ſed verba tantùm dedit. Si igitur ipſe, qui naturæ Jure ſui judex eſt, judicaverit, ſeu rectè, ſeu pravè (nam errare humanum eſt) ex fide datâ plus damni, quàm utilitatis ſequi, ex ſuæ mentis ſententiâ fidem ſolvendam eſſe cenſet, & naturæ Jure (*per Art. 9. hujus Cap.*) eandem ſolvet.

§. XIII. Si

§. XIII. Si duo ſimul conveniant, & vires jungant, plus ſimul poſſunt, & conſequenter plus juris in naturam ſimul habent, quàm uterque ſolus, & quò plures neceſſitudines ſic junxerint ſuas, eò omnes ſimul plus juris habebunt.

§. XIV. Quatenus homines irâ, invidiâ, aut aliquo odii affectu conflictantur, eatenus diverſè trahuntur, & invicem contrarii ſunt, & propterea eò plus timendi, quò plus poſſunt, magiſque callidi, & aſtuti ſunt, quàm reliqua animalia; & quia homines ut plurimum, (*ut in Art. 5. præc. Cap. diximus*) his affectibus naturâ ſunt obnoxii; ſunt ergo homines ex naturâ hoſtes. Nam is mihi maximus hoſtis, qui mihi maximè timendus, & à quo mihi maximè cavendum eſt.

§. XV. Cùm autem (*per Art. 9. hujus Cap.*) in ſtatu naturali tamdiu unuſquiſque ſui juris ſit, quamdiu ſibi cavere poteſt, ne ab alio opprimatur, & unus ſolus fruſtrà ab omnibus ſibi cavere conetur; hinc ſequitur, quamdiu jus humanum naturale uniuscujusque potentiâ determinatur, & uniuscujuſque eſt, tamdiu nullum eſſe; ſed magis opinione, quàm re conſtare, quandoquidem nulla ejus obtinendi eſt ſecuritas. Et certum eſt, unumquemque tantò minùs poſſe, & conſequenter tantò minus juris habere, quantò majorem timendi cauſam habet. His accedit, quòd homines vix abſque mutuo auxilio vitam ſuſtentare, & mentem colere poſſint; atque adeò concludimus Jus naturæ, quod humani generis proprium eſt, vix poſſe concipi, niſi ubi homines jura habent communia, qui ſimul terras, quas habitare, & colere poſſunt, ſibi vindicare, ſeſeque munire, vimque omnem repellere, & ex communi omnium ſententiâ vivere poſſunt. Nam (*per Art. 13. hujus Cap.*) quò plures in unum ſic conveniunt, eò omnes ſimul plus juris habent; & ſi Scholaſtici hâc de cauſâ, quòd ſcilicet homines in ſtatu naturali vix ſui juris eſſe poſſunt, velint hominem animal ſociale dicere, nihil habeo, quod ipſis contradicam.

§. XVI. Ubi homines jura communia habent, omneſque unâ veluti mente ducuntur, certum eſt (*per Art. 13. hujus Cap.*) eorùm unumquemque tantò minus habere juris, quantò reliqui ſimul ipſo potentiores ſunt, hoc eſt, illum reverâ jus nullum in naturam habere

bere præter id, quod ipſi commune concedit jus. Cæterùm quicquid ex communi conſenſu ipſi imperatur, teneri exequi, vel (*per Art. 4. hujus Cap.*) jure ad id cogi.

XVII. Hoc jus, quod multitudinis potentiâ definitur, Imperium appellari ſolet. Atque hoc is abſolutè tenet, qui curam Reipublicæ ex communi conſenſu habet, nempe jura ſtatuendi, interpretandi, & abolendi, urbes muniendi, de bello, & pace decernendi, &c. Quòd ſi hæc cura ad Concilium pertineat, quod ex communi multitudine compouitur, tum Imperium Democratia appellatur; ſi autem ex quibuſdam tantùm ſelectis, Ariſtocratia, & ſi denique Reipublicæ cura, & conſequenter imperium penes unum ſit, tum Monarchia appellatur.

§. XVIII. Ex his, quæ in hoc Capite oſtendimus, perſpicuum nobis fit, in ſtatu naturali non dari peccatum, vel ſi quis peccat, is ſibi non alteri peccat: quandoquidem nemo Jure naturæ alteri, niſi velit, morem gerere tenetur, nec aliquid bonum, aut malum habere, niſi quod ipſe ex ſuo ingenio bonum, aut malum eſſe, decernit; & nihil abſolutè naturæ Jure prohibetur, niſi quod nemo poteſt. (*vid. Art. 5. & 8. hujus Cap.*) At peccatum actio eſt, quæ jure fieri nequit. Quòd ſi homines ex naturæ inſtituto tenerentur ratione duci, tum omnes neceſſariò ratione ducerentur. Nam naturæ inſtituta Dei inſtituta ſunt, (*per Art. 2. & 3. hujus Cap.*) quæ Deus eâdem, quâ exiſtit, libertate inſtituit, quæque adeò ex naturæ divinæ neceſſitate conſequuntur, (*vide Art. 7. hujus Cap.*) & conſequenter æterna ſunt, nec violari poſſunt. Sed homines maximè appetitu ſine ratione ducuntur, nec tamen naturæ ordinem perturbant; ſed neceſſariò ſequuntur; ac proinde ignarus, & animo impotens non magis ex naturæ Jure tenetur, vitam ſapienter inſtituere, quàm æger tenetur ſano Corpore eſſe.

§. XIX. Peccatum itaque non niſi in Imperio concipi poteſt, ubi ſcilicet quid bonum, & quid malum ſit ex communi totius imperii jure decernitur, & ubi nemo (*per Art. 6. hujus Cap.*) jure quicquam agit, niſi quod ex communi decreto, vel conſenſu agit. Id enim (*ut in præc. Art. diximus*) peccatum eſt, quod jure fieri nequit, ſive quod jure prohibetur; obſequium autem eſt conſtans voluntas, id exequen-

exequendi, quod jure bonum est, & ex communi decreto fieri debet.

§. XX. Solemus tamen id etiam peccatum appellare, quod contra sanæ rationis dictamen fit, & obsequium constantem voluntatem moderandi appetitûs ex rationis præscripto; quod omnino probarem, si humana libertas in appetitûs licentiâ, & servitus in rationis imperio consisteret. Sed quia humana libertas eò major est, quo homo magis ratione duci, & appetitûs moderari potest, non possumus, nisi admodùm impropriè, vitam rationalem vocare obsequium, & peccatum id, quod reverâ Mentis impotentia; non autem contra se ipsam licentia est, & per quod homo servus potiùs, quam liber potest dici. *Vide Art. 7. & 11. hujus Cap.*

§. XXI. Verumenimverò, quia ratio pietatem exercere, & animo tranquillo, & bono esse docet, quod non nisi in imperio fieri potest, & præterea quia fieri nequit, ut multitudo unâ veluti mente ducatur, sicut in imperio requiritur, nisi jura habeat, quæ ex rationis præscripto instituta sint; non ergo adeò impropriè homines, qui in imperio vivere consueverunt, id peccatum vocant, quod contra rationis dictamen fit, quandoquidem optimi imperii jura, (*vide Art. 18. hujus Cap.*) ex rationis dictamine institui debent. Cur autem dixerim, (*Art. 18. hujus Cap.*) hominem in statu naturali sibi peccare, si quid peccat, de hoc vide Cap. 4. Art. 4. & 5. ubi ostenditur, quo sensu dicere possumus, eum, qui imperium tenet, & Jure naturæ potitur, legibus adstrictum esse, & peccare posse.

§. XXII. Ad Religionem quod attinet, certum etiam est, hominem eò magis esse liberum, & sibi maximè obsequentem, quò Deum magis amat, & animo magis integro colit. Verùm quatenus non ad naturæ ordinem, quem ignoramus; sed ad sola rationis dictamina, quæ Religionem concernunt, attendimus, & simul considerabamus, eadem nobis à Deo, quasi in nobis ipsis loquente, revelari, vel etiam hæc eadem Prophetis veluti jura fuisse revelata, eatenus, more humano loquendo, dicimus hominem Deo obsequi, qui ipsum integro animo amat, & contrà peccare, qui cæcâ cupiditate ducitur; sed interim memores esse debemus, quòd in

Dei poteſtate ſumus, ſicut lutum in poteſtate figuli, qui ex eâdem maſſâ alia vaſa ad decus, alia ad dedecus facit, atque adeò quòd homo contra hæc Dei decreta quidem, quatenus in noſtrâ, vel in Prophetarum Mente tanquam jura inſcripta fuerunt; at non contra æternum Dei decretum, quod in univerſâ naturâ inſcriptum eſt, quodque totius naturæ ordinem reſpicit, quidquam agere poteſt.

§. XXIII. Ut itaque peccatum, & obſequium ſtrictè ſumptum, ſic etiam juſtitia, & injuſtitia non niſi in imperio poſſunt concipi. Nam nihil in naturâ datur, quod jure poſſet dici hujus eſſe, & non alterius; ſed omnia omnium ſunt, qui ſcilicet poteſtatem habent ſibi eadem vendicandi. At in imperio ubi communi Jure decernitur, quid hujus, quidque illius ſit, ille juſtus vocatur, cui conſtans eſt voluntas tribuendi unicuique ſuum; injuſtus autem, qui contrà, conatur id, quod alterius eſt ſuum facere.

§. XXIV. Cæterùm laudem, & vituperium affectûs eſſe lætitiæ, & triſtitiæ, quos comitatur idea virtutis, aut impotentiæ humanæ tanquam cauſa, explicuimus in noſtrâ Ethicâ.

CAPUT III.

§. I. IMperii cujuscunque ſtatus dicitur Civilis; imperii autem integrum corpus Civitas appellatur, & communia imperii negotia, quæ ab ejus, qui imperium tenet, directione pendent, Respublica. Deinde homines, quatenus ex jure civili omnibus Civitatis commodis gaudent, cives appellamus, & ſubditos, quatenus civitatis inſtitutis, ſeu legibus parêre tenentur. Denique ſtatûs Civilis tria dari genera, nempe Democraticum, Ariſtocraticum & Monarchicum, in Art. 17. Cap. præced. diximus. Jam antequam de unoquoque ſeorſim agere incipiam, illa priùs demonſtrabo, quæ ad ſtatum civilem in genere pertinent; quorum ante omnia conſiderandum venit ſummum Civitatis, ſeu ſummarum poteſtatum jus.

§. II. Ex Art. 15. præced. Cap. patet imperii, ſeu ſummarum poteſtatum Jus nihil eſſe præter ipſum naturæ Jus, quod potentiâ, non quidem uniuscujuſque; ſed multitudinis, quæ unâ veluti

mente

mente ducitur, determinatur, hoc est, quòd unusquisque in statu naturali, sic etiam totius imperii corpus, & mens tantum juris habet, quantùm potentiâ valet; atque adeò unusquisque civis, seu subditus tantò minus juris habet, quantò ipsa Civitas ipso potentior est, (*vid. Art.* 16. *præced. Cap.*) & consequenter unusquisque civis nihil jure agit, nec habet præter id, quod communi Civitatis decreto defendere potest.

§. III. Si Civitas alicui concedat Jus, & consequenter potestatem (nam aliàs per Art. 12. præced. Cap. verba tantùm dedit) vivendi ex suo ingenio, eo ipso suo jure cedit, & in eum transfert, cui talem potestatem dedit. Si autem duobus, aut pluribus hanc potestatem dedit, ut scilicet unusquisque ex suo ingenio vivat, eo ipso imperium divisit, & si denique unicuique civium hanc eandem potestatem dedit, eo ipso sese destruxit, nec manet amplius Civitas; sed redeunt omnia ad statum naturalem, quæ omnia ex præcedentibus manifestissima fiunt; atque adeò sequitur, nullâ ratione posse concipi, quòd unicuique civi ex Civitatis instituto liceat ex suo ingenio vivere, & consequenter hoc Jus naturale, quòd scilicet unusquisque sui judex est, in statu civili necessariò cessat. Dico expresse *ex Civitatis instituto*; nam Jus naturæ uniuscujusque (si rectè rem perpendamus) in statu civili non cessat. Homo namque tam in statu naturali, quàm civili ex legibus suæ naturæ agit, suæque utilitati consulit. Homo, inquam, in utroque statu spe, aut metu ducitur ad hoc, aut illud agendum, vel omittendum; sed præcipua inter utrumque statum differentia est, quòd in statu civili omnes eadem metuant, & omnibus una, eademque securitatis sit causa, & vivendi ratio, quod sanè judicandi facultatem uniuscujusque non tollit. Qui enim omnibus Civitatis mandatis obtemperare constituit, sive ejus potentiam metuit, vel quia tranquillitatem amat, is profectò suæ securitati, suæque utilitati ex suo ingenio consulit.

§. IV. Præterea concipere etiam non possumus, quòd unicuique civi liceat Civitatis decreta, seu jura interpretari. Nam si hoc unicuique liceret, eo ipso sui judex esset; quandoquidem unusquisque facta sua specie juris nullo negotio excusare, seu adornare

posset,

poſſet, & conſequenter ex ſuo ingenio vitam inſtitueret, quod (*per Art. præced.*) eſt abſurdum.

§. V. Videmus itaque, unumquemque civem non ſui; ſed Civitatis juris eſſe, cujus omnia mandata tenetur exequi, nec ullum habere jus decernendi, quid æquum, quid iniquum, quid pium, quidve impium ſit; ſed contrà, quia imperii corpus unâ veluti mente duci debet, & conſequenter Civitatis voluntas pro omnium voluntate habenda eſt, id quod Civitas juſtum, & bonum eſſe decernit, tanquam ab unoquoque decretum eſſe, cenſendum eſt; atque adeò, quamvis ſubditus Civitatis decreta iniqua eſſe cenſeat, tenetur nihilominùs eadem exequi.

§. VI. At objici poteſt, an non contra rationis dictamen eſt, ſe alterius judicio omninò ſubjicere, & conſequenter, an ſtatus civilis rationi non repugnat; ex quo ſequeretur ſtatum civilem irrationalem eſſe, nec poſſe creari niſi ab hominibus ratione deſtitutis; at minimè ab iis, qui ratione ducuntur. Sed quoniam ratio nihil contra naturam docet, non poteſt ergo ſana ratio dictare, ut unusquiſque ſui juris maneat, quamdiu homines affectibus ſunt obnoxii (*per Art.* 15. *præced. Cap.*) hoc eſt, (*per Art.* 5. *Cap.* 1.) ratio hoc poſſe fieri negat. Adde, quòd ratio omninò docet pacem quærere, quæ quidem obtineri nequit, niſi communia Civitatis jura inviolata ſerventur, atque adeò quò homo ratione magis ducitur, hoc eſt, (*per Art.* 11. *præced. Cap.*) quò magis liber eſt, eò conſtantiùs Civitatis jura ſervabit, & ſummæ poteſtatis, cujus ſubditus eſt, mandata exequetur. Ad quod accedit, quòd ſtatus civilis naturaliter inſtituitur ad metum communem adimendum, & communes miſerias propellendum, ac proinde id maximè intendit, quòd unusquiſque, qui ratione ducitur, in ſtatu naturali conaretur; ſed fruſtrà: (*per Art.* 15. *præced. Cap.*) quapropter ſi homini, qui ratione ducitur, id aliquando ex civitatis mandato faciendum eſt, quod rationi repugnare novit, id damnum longè compenſatur bono, quod ex ipſo ſtatu civili hauſit: nam rationis etiam lex eſt, ut ex duobus malis minus eligatur, ac proinde concludere poſſumus, neminem quicquam contra ſuæ rationis præſcriptum agere, quatenus id agit, quod jure Civi-

tatis

tatis faciendum eſt : quod nobis faciliùs unusquiſque concedet, poſtquam explicuerimus, quò uſque Civitatis potentia, & conſequenter Jus ſe extendit.

§. VII. Nam conſiderandum primùm venit, quòd ſicuti in ſtatu naturali *(per Art. 11. præced. Cap.)* ille homo maximè potens, maximeque ſui juris eſt, qui ratione ducitur ; ſic etiam illa Civitas maximè erit potens, & maximè ſui juris, quæ ratione fundatur, & dirigitur. Nam Civitatis Jus potentiâ multitudinis, quæ unâ veluti mente ducitur, determinatur. Adhæc animorum unio concipi nullâ ratione poſſet, niſi Civitas id ipſum maximè intendat, quod ſana ratio omnibus hominibus utile eſſe docet.

§. VIII. Secundò venit etiam conſiderandum, quòd ſubditi eatenus non ſui ; ſed Civitatis juris ſint, quatenus ejus potentiam, ſeu minas metuunt, vel quatenus ſtatum civilem amant. (*per Art. 10. præced. Cap.*) Ex quo ſequitur, quòd ea omnia, ad quæ agenda nemo præmiis, aut minis induci poteſt, ad jura Civitatis non pertineant. Ex. gr. judicandi facultate nemo cedere poteſt: quibus enim præmiis, aut minis induci poteſt homo, ut credat, totum non eſſe ſuâ parte majus, aut quòd Deus non exiſtat, aut quòd corpus, quod videt finitum, Ens infinitum eſſe credat, & abſolutè ut aliquid contra id, quod ſentit, vel cogitat, credat? Sic etiam quibus præmiis, aut minis induci poteſt homo, ut amet, quem odit, vel ut odio habeat, quem amat? Atque huc etiam illa referenda ſunt, à quibus humana natura ità abhorret, ut ipſa omni malo pejora habeat, ut quòd homo teſtem contra ſe agat, ut ſe cruciet, ut parentes interficiat ſuos, ut mortem vitare non conetur, & ſimilia, ad quæ nemo præmiis, nec minis induci poteſt. Quòd ſi tamen dicere velimus, Civitatem jus, ſive poteſtatem habere talia imperandi, id nullo alio ſenſu poterimus concipere, niſi quo quis diceret, hominem jure poſſe inſanire, & delirare: quid enim aliud niſi delirium jus illud eſſet, cui nemo adſtrictus eſſe poteſt? Atque hîc de iis expreſſè loquor, quæ Juris Civitatis eſſe nequeunt, & à quibus natura humana plerumque abhorret. Nam quòd ſtultus, aut veſanus nullis præmiis, neque minis induci poſſit ad exequenda mandata, & quòd unus, aut alter ex eo,

quòd huic, aut illi Religioni addictus ſit, imperii jura omni malo pejora judicat; jura tamen Civitatis irrita non ſunt, quandoquidem iisdem plerique cives continentur; ac proinde, quia ii, qui nihil timent, neque ſperant, eatenus ſui juris ſunt; (*per Art.* 10. *præced. Cap.*) ſunt ergo (*per Art.* 14. *præced. Cap.*) imperii hoſtes, quos jure cohibere licet.

§. IX. Tertiò denique conſiderandum venit, ad Civitatis Jus ea minùs pertinere, quæ plurimi indignantur. Nam certum eſt, homines naturæ ductu in unum conſpirare, vel propter commune metum, vel deſiderio damnum aliquod commune ulciſcendi; &, quia Jus Civitatis communi multitudinis potentiâ definitur, certum eſt, potentiam Civitatis, & Jus eatenus minui, quatenus ipſa cauſas præbet, ut plures in unum cònſpirent. Habet certè Civitas quædam ſibi metuenda, & ſicut unusquiſque civis, ſive homo in ſtatu naturali, ſic Civitas eò minùs ſui juris eſt, quò majorem timendi cauſam habet. Atque hæc de Jure ſummarum poteſtatum in ſubditos; jam antequam de earundem in alios jure agam, ſolvenda videtur quæſtio, quæ de Religione moveri ſolet.

§. X. Nam objici nobis poteſt, an Status civilis, & ſubditorum obedientia, qualis in ſtatu civili requiri oſtendimus, non tollat Religionem, quâ Deum colere tenemur. Sed ſi rem ipſam perpendamus, nihil reperiemus, quod poſſit ſcrupulum injicere. Mens enim, quatenus ratione utitur, non ſummarum poteſtatum; ſed ſui juris eſt. (*per Art.* 11. *Cap. præced.*) Atque adeò vera Dei cognitio, & amor nullius imperio ſubjici poteſt, ut nec erga proximum charitas; (*per Art.* 8. *hujus Cap.*) & ſi præterea conſideremus ſummum charitatis exercitium eſſe illud, quod ad pacem tuendam, & concordiam conciliandam fit, non dubitabimus, illum revera ſuo officio functum eſſe, qui unicuique tantum auxilii fert, quantum jura Civitatis, hoc eſt, concordia, & tranquillitas concedunt. Ad externos cultûs quod attinet, certum eſt, illos ad veram Dei cognitionem, & amorem, qui ex eâ neceſſariò ſequitur, nihil prorſùs juvare, nec nocere poſſe; atque adeò non tanti faciendi ſunt, ut propter ipſos pax, & tranquillitas publica perturbari

bari merentur. Cæterùm certum eſt, me Jure naturæ, hoc eſt, (*per Art. 3. præc. Cap.*) ex divino decreto, non eſſe religionis vindicem; nam nulla mihi eſt, ut olim Chriſti Diſcipulis poteſtas fuit, ejiciendi ſpiritûs immundos & faciendi miracula, quæ ſanè poteſtas adeò neceſſaria eſt ad propagandam Religionem in locis, ubi interdicta eſt, ut ſine ipſâ non tantùm oleum, & opera, ut ajunt, perdatur; ſed plurimæ inſuper creentur moleſtiæ, cujus rei funeſtiſſima exempla omnia viderunt ſæcula. Unuſquiſque igitur, ubicunque ſit, Deum poteſt verâ Religione colere, ſibique proſpicere, quod viri privati officium eſt. Cæterùm cura Religionis propagandæ Deo, vel ſummis poteſtatibus, quibus ſolis incumbit Reipublicæ habere curam, committenda eſt. Sed ad propoſitum revertor.

§. XI. Jure ſummarum poteſtatum in cives, & ſubditorum officio explicato, ſupereſt, ut earum Jus in reliqua conſideremus, quod jam ex dictis facilè cognoſcitur. Nam, quandoquidem (*per Art. 2. hujus Cap.*) Jus ſummæ poteſtatis nihil eſt ptæter ipſum naturæ Jus, ſequitur duo imperia ad invicem ſeſe habere, ut duo homines in ſtatu naturali, excepto hoc, quòd Civitas ſibi cavere poteſt, ne ab aliâ opprimatur, quòd homo in ſtatu naturali non poteſt, nimirùm qui quotidie ſomno, ſæpe morbo, aut animi ægritudine & tandem ſenectute gravatur, & præter hæc aliis incommodis eſt obnoxius, à quibus Civitas ſecuram ſe reddere poteſt.

§. XII. Civitas igitur eatenus ſui juris eſt, quatenus ſibi conſulere, & cavere poteſt, ne ab aliâ opprimatur, (*per Art. 9. & 15. præc. Cap.*) & (*per Art. 10. & 15. præc. Cap.*) eatenus alterius juris, quatenus alterius Civitatis potentiam timet, vel quatenus ab eâ impeditur, quò minùs id, quod vult, exequatur, vel denique quatenus ipſius auxilio ad ſui conſervationem, vel incrementum indiget; nam dubitare nequaquam poſſumus, quin, ſi duæ Civitates invicem mutuum auxilium præſtare volunt, ambæ ſimul plus poſſint, & conſequenter plus juris ſimul habeant, quàm alterutra ſola. Vid. Art. 13. Cap. præc.

§. XIII. Hæc autem clariùs intelligi poſſunt, ſi conſideremus, quòd duæ Civitates naturâ hoſtes ſunt: homines enim (*per Art. 14.*

præc. Cap.) in ſtatu naturali hoſtes ſunt; qui igitur Jus naturæ extra Civitatem retinent, hoſtes manent. Si itaque altera Civitas alteri bellum inferre, & extrema adhibere media velit, quò eam ſui juris faciat, id ei jure tentare licet, quandoquidem, ut bellum geratur, ei ſufficit ejus rei habere voluntatem. At de pace nihil ſtatuere poteſt, niſi connivente alterius Civitatis voluntate. Ex quo ſequitur Jura belli uniuscujuſque Civitatis eſſe; pacis autem non unius, ſed duarum ad minimum Civitatum eſſe Jura, quæ propterea confœderatæ dicuntur.

§. XIV. Hoc fœdus tamdiu fixum manet, quamdiu cauſa fœderis pangendi, nempe metus damni, ſeu lucri ſpes in medio eſt; hâc autem, aut illo Civitatum alterutri adempto, manet ipſa ſui juris, (*per Art.* 10 *præc. Cap.*) & vinculum, quo Civitates invicem adſtrictæ erant, ſponte ſolvitur, ac proinde unicuique Civitati jus integrum eſt ſolvendi fœdus, quandocunque vult, nec dici poteſt, quòd dolo, vel perfidiâ agat, propterea quòd fidem ſolvit, ſimulatque metûs, vel ſpei cauſa ſublata eſt, quia hæc conditio unicuique contrahentium æqualis fuit, ut ſcilicet quæ prima extra metum eſſe poſſet, ſui juris eſſet, eoque ex ſui animi ſententiâ uteretur, & præterea quia nemo in futurum contrahit, niſi poſitis præcedentibus circumſtantiis: his autem mutatis totius ſtatûs etiam mutatur ratio, & hâc de cauſâ unaquæque confœderatarum Civitatum jus retinet ſibi conſulendi, & unaquæque propterea, quantum poteſt, conatur extra metum, & conſequenter ſui juris eſſe, & impedire, quò minùs altera potentior evadat. Si quæ ergo Civitas, ſe deceptam eſſe, quæritur, ea ſanè non confœderatæ Civitatis fidem; ſed ſuam tantummodò ſtultitiam damnare poteſt, quòd ſcilicet ſalutem ſuam alteri, qui ſui juris, & cui ſui imperii ſalus ſumma lex eſt, crediderit.

§. XV. Civitatibus, quæ unà pacem contraxerunt, jus competit dirimendi quæſtiones, quæ moveri poſſunt de pacis conditionibus, ſeu legibus, quibus ſibi invicem fidem adſtrinxerunt, quandoquidem pacis jura non unius Civitatis; ſed contrahentium ſimul ſunt; (*per Art.* 13. *hujus Cap.*) quòd ſi de iis convenire inter ipſas non poteſt, eo ipſo ad belli ſtatum redeunt.

§. XVI. Quò

§. XVI. Quò plures Civitates ſimul pacem contrahunt, eò unaquæque reliquis minùs timenda, ſive unicuique minor eſt poteſtas bellum inferendi; ſed eò magis pacis tenetur conditiones ſervare, hoc eſt, (*per Art.* 13. *hujus Cap.*) eò minus ſui juris eſt; ſed eò magis communi fœderatorum voluntati ſeſe accommodare tenetur.

§. XVII. Cæterùm fides, quam ſana ratio, & Religio ſervandam docet, hîc minimè tollitur: nam nec ratio, nec Scriptura omnem datam fidem ſervare docet. Cui enim pollicitus ſum, argentum ex.gr. quod mihi ſecreto ſervandum dedit, cuſtodire, fidem præſtare non teneor, ſimulac noverim, aut ſcire crediderim, furtum eſſe, quod mihi ſervandum dedit; ſed rectiùs agam, ſi dem operam, ut ſuis reſtituatur. Sic etiam ſi ſumma poteſtas aliquid alteri ſe facturam promiſit, quod poſtea tempus, ſeu ratio docuit, aut docere videbatur communi ſubditorum ſaluti obeſſe, fidem ſanè ſolvere tenetur. Cùm itaque Scriptura non niſi in genere doceat fidem ſervare, & caſus ſingulares, qui excipiendi ſunt, uniuscujusque judicio relinquat, nihil ergo docet, quod iis, quæ modo oſtendimus, repugnat.

§. XVIII. Sed ne toties opus ſit ſermonis filum interrumpere, & ſimiles poſthac objectiones ſolvere, monere volo, me hæc omnia ex naturæ humanæ quomodocunque conſideratæ neceſſitate demonſtrâſſe, nempe ex univerſali omnium hominum conatu ſeſe conſervandi, qui conatus omnibus hominibus ineſt, ſive ignari, ſivi ſapientes ſint, ac proinde quomodocunque homines, ſive affectu, ſive ratione duci conſiderentur, res eadem erit, quia demonſtratio, ut diximus, univerſalis eſt.

CAPUT IV.

§. I. JUs ſummarum poteſtatum, quod earum potentiâ determinatur, in præc. Cap. oſtendimus, idque in hoc potiſſimùm conſiſtere vidimus, nempe quòd imperii veluti mens ſit, quâ omnes duci debent; adeoque ſolas jus habere decernendi, quid bonum, quid malum, quid æquum, quid iniquum, hoc eſt, quid ſingulis,

vel omnibus ſimul agendum, vel omittendum ſit, ac proinde vidimus iis ſolis jus competere leges condendi, eaſque, quando de iis quæſtio eſt, in quocunque ſingulari caſu interpretandi, & decernendi, an datus caſus contra, vel ſecundùm jus factus ſit; (*vide Art.* 3, 4, 5. *præc. Cap.*) deinde bellum inferendi, vel pacis conditiones ſtatuendi, & offerendi, vel oblatas acceptandi. *Vide Art.* 12. *&* 13. *præc. Cap.*

§. II. Cùm hæc omnia, ac etiam media, quæ ad eadem exequenda requiruntur, omnia negotia ſint, quæ ad integrum imperii corpus, hoc eſt, quæ ad Rempublicam ſpectant, hinc ſequitur, Rempublicam ab ejus ſolummodò directione pendere, qui ſummum habet imperium; ac proinde ſequitur ſolius ſummæ poteſtatis Jus eſſe de factis uniuscujuſque judicandi, de factis cujuscunque rationem exigendi, delinquentes pænâ mulctandi, & quæſtiones inter cives de jure dirimendi, vel legum latarum peritos ſtatuendi, qui hæc ejus loco adminiſtrent. Deinde omnia ad bellum, & pacem media adhibendi, & ordinandi, nempe urbes condendi, & muniendi, milites ducendi, officia militaria diſtribuendi, & quid factum velit imperandi, & pacis cauſâ legatos mittendi, & audiendi, & denique ſumptûs ad hæc omnia exigendi.

III. Quoniam itaque ſolius ſummæ poteſtatis Jus ſit negotia publica tractandi, vel miniſtros ad eadem eligendi, ſequitur, ſubditum imperium affectare, qui ſuo ſolo arbitrio, ſupremo Concilio inſcio, negotium aliquod publicum aggreſſus eſt, tametſi id, quod intenderat agere, Civitati optimum fore crediderit.

§. IV. Sed quæri ſolet, an ſumma poteſtas legibus adſtricta ſit, & conſequenter an peccare poſſit? Verùm quoniam legis, & peccati nomina non tantùm Civitatis Jura, ſed etiam omnium rerum naturalium, & apprimè rationis communes regulas reſpicere ſolent, non poſſumus abſolutè dicere, Civitatem nullis adſtrictam eſſe legibus, ſeu peccare non poſſe. Nam ſi Civitas nullis legibus, ſeu regulis, ſine quibus Civitas non eſſet Civitas, adſtricta eſſet, tum Civitas non ut res naturalis, ſed ut chimæra eſſet contemplanda. Peccat ergo Civitas, quando ea agit, vel fieri patitur, quæ cauſa eſſe poſſunt ipſius ruinæ, atque tum ean-

eandem eo ſenſu peccare dicimus, quo Philoſophi, vel Medici naturam peccare dicunt, & hoc ſenſu dicere poſſumus, Civitatem peccare, quando contra rationis dictamen aliquid agit. Eſt enim Civitas tum maximè ſui juris, quando ex dictamine rationis agit; (*per Art. 7. præced. Cap.*) quatenus igitur contra rationem agit, eatenus ſibi deficit, ſeu peccat. Atque hæc clariùs intelligi poterunt, ſi conſideremus, quòd, cùm dicimus unumquemque poſſe de re, quæ ſui juris eſt, ſtatuere, quicquid velit, hæc poteſtas non ſolâ agentis potentiâ; ſed etiam ipſius patientis aptitudine definiri debet. Si enim ex. gr. dico, me jure poſſe de hâc menſâ, quicquid velim, facere, non hercle intelligo, quòd jus habeam efficiendi, ut hæc menſâ herbam comedat; ſic etiam, tametſi dicimus homines non ſui; ſed Civitatis juris eſſe, non intelligimus, quòd homines naturam humanam amittant, & aliam induant; atque adeò quòd Civitas jus habeat efficiendi, ut homines volent, vel quòd æquè impoſſibile eſt, ut homines cum honore adſpiciant ea, quæ riſum movent, vel nauſeam; ſed quòd quædam circumſtantiæ occurrant, quibus poſitis ponitur ſubditorum erga Civitatem reverentia, & metus; & quibus ſublatis metus, & reverentia, & cum his Civitas unà tollitur. Civitas itaque, ut ſui juris ſit, metûs, & reverentiæ cauſas ſervare tenetur, aliàs Civitas eſſe deſinit. Nam iis, vel ei, qui imperium tenet, æquè impoſſibile eſt, ebrium, aut nudum cum ſcortis per plateas currere, hiſtrionem agere, leges ab ipſo latas apertè violare, ſeu contemnere, & cum his majeſtatem ſervare, ac impoſſibile eſt, ſimul eſſe, & non eſſe; ſubditos deinde trucidare, ſpoliare, virgines rapere, & ſimilia, metum in indignationem, & conſequenter ſtatum civilem in ſtatum hoſtilitatis vertunt.

§. V. Videmus itaque, quo ſenſu dicere poſſumus, Civitatem legibus teneri, & peccare poſſe. Verùm ſi per legem intelligamus Jus civile, quod ipſo Jure civili vindicari poteſt, & peccatum id, quod Jure civili fieri prohibetur, hoc eſt, ſi hæc nomina genuino ſenſu ſumantur, nullâ ratione dicere poſſumus, Civitatem legibus adſtrictam eſſe, aut poſſe peccare. Nam regulæ, & cauſæ metûs, & reverentiæ, quas Civitas ſui cauſâ ſervare tenetur, non ad Ju-

ra ci-

ra civilia; ſed ad Jus naturale ſpectant, quandoquidem (*per Art. præced.*) non Jure civili; ſed Jure belli vindicari poſſunt, & Civitas nulla aliâ ratione iiſdem tenetur, quàm homo in ſtatu naturali, ut ſui juris eſſe poſſit, ſive ne ſibi hoſtis ſit, cavere tenetur, ne ſe ipſum interficiat, quæ ſanè cautio non obſequium, ſed humanæ naturæ libertas eſt: at Jura civilia pendent à ſolo Civitatis decreto, acque hæc nemini, niſi ſibi, ut ſcilicet libera maneat, morem gerere tenetur, nec aliud bonum, aut malum habere, niſi quòd ipſa ſibi bonum, aut malum eſſe decernit; ac proinde non tantùm jus habet ſeſe vindicandi, leges condendi, & interpretandi; ſed etiam eaſdem abrogandi, & reum quemcunque ex plenitudine potentiæ condonandi.

§. VI. Contractûs, ſeu leges, quibus multitudo jus ſuum in unum Concilium, vel hominem transferunt, non dubium eſt, quin violari debeant, quando communis ſalutis intereſt eaſdem violare. At judicium de hâc re, an ſcilicet communis ſalutis interſit, eaſdem violare, an ſecus, nemo privatus; ſed is tantùm, qui imperium tenet, jure ferre poteſt; (*per Art. 3. hujus Cap.*) ergo Jure civili is ſolus, qui imperium tenet, earum legum interpres manet. Ad quod accedit, quòd nullus privatus eaſdem jure vindicare poſſit, atque adeò eum, qui imperium tenet, reverâ non obligant. Quòd ſi tamen ejus naturæ ſint, ut violari nequeant, niſi ſimul Civitatis robur debilitetur, hoc eſt, niſi ſimul plerorumque civium communis metus in indignationem vertatur, eo ipſo Civitas diſſolvitur, & contractus ceſſat, qui propterea non Jure civili; ſed Jure belli vindicatur. Atque adeò is, qui imperium tenet, nullâ etiam aliâ de cauſâ hujus contractûs conditiones ſervare tenetur, quàm homo in ſtatu naturali, ne ſibi hoſtis ſit, tenetur cavere, ne ſe ipſum interficiat, ut in præced. Art. diximus.

CAPUT V.

§. I. IN Art. 11. Cap. 2. oſtendimus hominem tum maximè ſui juris eſſe, quando maximè ratione ducitur, & conſequenter

ter (*vid. Art. 7. Cap.* 3.) Civitatem illam, maximè potentem, maximeque ſui juris eſſe, quæ ratione fundatur, & dirigitur. Cùm autem optima vivendi ratio ad ſeſe, quantùm fieri poteſt, conſervandum ea ſit, quæ ex præſcripto rationis inſtituitur; ſequitur ergo id omne optimum eſſe, quod homo, vel Civitas agit, quatenus maximè ſui juris eſt. Nam non id omne, quod jure fieri dicimus, optimè fieri affirmamus: aliud namque eſt agrum jure colere, aliud agrum optimè colere; aliud, inquam, eſt ſeſe jure defendere, conſervare, judicium ferre, &c. aliud ſeſe optimè defendere, conſervare, atque optimum judicium ferre; & conſequenter aliud eſt jure imperare, & Reipublicæ curam habere, aliud optimè imperare, & Rempublicam optimè gubernare. Poſtquam itaque de jure cujuscunque Civitatis in genere egimus, tempus eſt, ut de optimo cujuscunque imperii ſtatu agamus.

§. II. Qualis autem cujuscunque imperii ſit ſtatus, facilè ex fine ſtatûs civilis cognoſcitur: qui ſcilicet nullus alius eſt, quàm pax, vitæque ſecuritas. Ac proinde illud imperium optimum eſt, ubi homines concorditer vitam tranſigunt, & cujus jura inviolata ſervantur. Nam certum eſt, quòd ſeditiones, bella, legumque contemptio, ſive violatio non tam ſubditorum malitiæ, quàm pravo imperii ſtatui imputanda ſunt. Homines enim civiles non naſcuntur, ſed fiunt. Hominum præterea naturales affectûs ubique iidem ſunt; ſi itaque in unâ Civitate malitia magis regnat, pluraque peccata committuntur, quàm in aliâ, certum eſt, id ex eo oriri, quòd talis Civitas non ſatis concordiæ providerit, nec jura ſatis prudenter inſtituerit, & conſequenter neque Jus Civitatis abſolutum obtinuerit. Status enim civilis, qui ſeditionum cauſas non abſtulit, & ubi bellum continuò timendum, & ubi denique leges frequenter violantur, non multùm ab ipſo naturali ſtatu differt, ubi unusquiſque ex ſuo ingenio magno vitæ periculo vivit.

§. III. At ſicut ſubditorum vitia, nimiaque licentia, & contumacia Civitati imputanda ſunt, ità contrà eorum virtus, & conſtans legum obſervantia maximè Civitatis virtuti, & juri abſoluto tribuenda eſt, ut patet ex Art. 15. Cap. 2. Unde Hannibali meritò

tò eximiæ virtuti ducitur, quòd in ipſius exercitu nulla unquam ſeditio orta fuerit.

§. IV. Civitas, cujus ſubditi metu territi, arma non capiunt, potiùs dicenda eſt, quòd ſine bello ſit, quàm quòd pacem habeat. Pax enim non belli privatio; ſed virtus eſt, quæ ex animi fortitudine oritur: eſt namque obſequium (*per Art.* 19. *Cap.* 2.) conſtans voluntas id exequendi, quod ex communi Civitatis decreto fieri debet. Illa præterea Civitas, cujus pax à ſubditorum inertiâ pendet, qui ſcilicet veluti pecora ducuntur, ut tantùm ſervire diſcant, rectiùs ſolitudo, quàm Civitas dici poteſt.

§. V. Cùm ergo dicimus, illud imperium optimum eſſe, ubi homines concorditer vitam tranſigunt, vitam humanam intelligo, quæ non ſolâ ſanguinis circulatione, & aliis, quæ omnibus animalibus ſunt communia; ſed quæ maximè ratione, verâ Mentis virtute, & vitâ definitur.

§. VI. Sed notandum, imperium, quod in hunc finem inſtitui dixi, à me intelligi id, quod multitudo libera inſtituit, non autem id, quod in multitudinem jure belli acquiritur. Libera enim multitudo majori ſpe, quàm metu; ſubacta autem majori metu, quàm ſpe ducitur: quippe illa vitam colere; hæc autem mortem tantummodò vitare ſtudet; illa inquam, ſibi vivere ſtudet, hæc victoris eſſe cogitur, unde hanc ſervire, illam liberam eſſe dicimus. Finis itaque imperii, quod aliquis Jure belli adipiſcitur, eſt dominari, & ſervos potiùs, quàm ſubditos habere. Et quamvis inter imperium, quod à liberâ multitudine creatur, & illud, quod jure belli acquiritur, ſi ad utriuſque jus in genere attendamus, nulla eſſentialis detur differentia, finem tamen, ut jam oſtendimus, & præterea media, quibus unumquodque conſervari debeat, admodùm diverſa habent.

§. VII. Quibus autem mediis Princeps, qui ſolâ dominandi libidine fertur, uti debet, ut imperium ſtabilire, & conſervare poſſit, acutiſſimus Machiavellus prolixè oſtendit; quem autem in finem, non ſatis conſtare videtur. Si quem tamen bonum habuit, ut de viro ſapiente credendum eſt, fuiſſe videtur, ut oſtenderet, quàm imprudenter multi Tyrannum è medio tollere conantur, cùm tamen

tamen cauſæ, cur princeps ſit Tyrannus, tolli nequeant; ſed contrà eò magis ponantur, quò principi major timendi cauſa præbetur: quod fit, quando multitudo exempla in principem edidit, & parricidio, quaſi re bene geſtâ, gloriatur. Præterea oſtendere forſan voluit, quantum libera multitudo cavere debet, ne ſalutem ſuam uni abſolutè credat, qui niſi vanus ſit, & omnibus ſe poſſe placere exiſtimet, quotidiè inſidias timere debet; atque adeò ſibi potiùs cavere, & multitudini contrà inſidiari magis, quàm conſulere cogitur; & ad hoc de prudentiſſimo iſto viro credendum magis adducor, quia pro libertate fuiſſe conſtat, ad quam etiam tuendam ſaluberrima conſilia dedit.

CAPUT VI.

§. I. QUia homines, uti diximus, magis affectu, quam ratione ducuntur, ſequitur multitudinem non ex rationis ductu; ſed ex communi aliquo affectu naturaliter convenire, & unâ veluti mente duci velle, nempe (*ut Art.* 9. *Cap.* 3. *diximus*) vel ex communi ſpe, vel metu, vel deſiderio commune aliquod damnum ulciſcendi. Cùm autem ſolitudinis metus omnibus hominibus inſit, quia nemo in ſolitudine vires habet, ut ſeſe defendere, & quæ ad vitam neceſſaria ſunt, comparare poſſit, ſequitur ſtatum civilem homines naturâ appetere, nec fieri poſſe, ut homines eundem unquam penitùs diſſolvant.

§. II. Ex diſcordiis igitur, & ſeditionibus, quæ in Civitate ſæpe concitantur, nunquam fit, ut cives Civitatem diſſolvant; (ut in reliquis ſocietatibus ſæpe evenit) ſed ut ejuſdem formam in aliam mutent; ſi nimirum contentiones ſedari nequeunt ſervatâ Civitatis facie. Quare media, quæ ad imperium conſervandum requiri dixi, ea intelligo, quæ ad imperii formam abſque ullâ ejus notabili mutatione conſervandam neceſſaria ſunt.

§. III. Quòd ſi cum humanâ naturâ ità comparatum eſſet, ut homines id, quod maximè utile eſt, maximè cuperent, nullâ eſſet opus arte ad concordiam, & fidem; ſed quia longè aliter cum naturâ humanâ conſtitutum eſſe conſtat, imperium neceſſariò ità inſti-

tuendum eſt, ut omnes, tam qui regunt, quàm qui reguntur, velint nolint, id tamen agant, quod communis ſalutis intereſt, hoc eſt, ut omnes ſponte, vel vi, vel neceſſitate coacti ſint ex rationis præſcripto vivere; quod fit, ſi imperii res ità ordinentur, ut nihil, quod ad communem ſalutem ſpectat, ullius fidei abſolutè committatur. Nemo enim tam vigilans eſt, qui aliquando non dormitet, & nemo tam potenti, tamque integro animo fuit, qui aliquando, & præſertim quando maximè animi fortitudine opus eſt, non frangeretur, ac pateretur vinci. Et ſanè ſtultitia eſt ab alio id exigere, quod nemo à ſe ipſo impetrare poteſt, nempe, ut alteri potiùs, quam ſibi vigilet, ut avarus non ſit, neque invidus, neque ambitioſus, &c. præſertim is, qui omnium affectuum incitamenta maxima quotidie habet.

IV. At experientia contrà docere videtur, pacis, & concordiæ intereſſe, ut omnis poteſtas ad unum conferatur. Nam nullum imperium tamdiu abſque ullâ notabili mutatione ſtetit, quàm Turcarum, & contrà nulla minùs diuturna, quàm popularia, ſeu Democratica fuerunt, nec ulla, ubi tot ſeditiones moverentur. Sed ſi ſervitium, barbaries & ſolitudo pax appellanda ſit, nihil hominibus pace miſerius. Plures ſanè, & acerbiores contentiones inter parentes, & liberos, quàm inter dominos, & ſervos moveri ſolent, nec tamen OEconomiæ intereſt Jus paternum in dominium mutare, & liberos perinde, ac ſervos habere. Servitutis igitur, non pacis, intereſt, omnem poteſtatem ad unum transferre: nam pax, ut jam diximus, non in belli privatione; ſed in animorum unione, ſive concordiâ conſiſtit.

§. V. Et ſanè, qui credunt poſſe fieri, ut unus ſolus ſummum Civitatis Jus obtineat, longè errant. Jus enim ſolâ potentiâ determinatur, ut Capite 2. oſtendimus: at unius hominis potentia longè impar eſt tantæ moli ſuſtinendæ. Unde fit, ut, quem multitudo Regem elegit, is ſibi Imperatores quærat, ſeu Conſiliarios, ſeu amicos, quibus ſuam, & omnium ſalutem committit, ita ut imperium, quod abſolutè Monarchicum eſſe creditur, ſit reverâ in praxi Ariſtocraticum, non quidem manifeſtum; ſed latens, & propterea peſſimum. Ad quod accedit, quòd Rex, puer, æger, aut ſenectute

ctutegravatus, precariò rex ſit; ſed ii reverâ ſummam poteſtatem habeant, qui ſumma imperii negotia adminiſtrant, vel qui Regi ſunt proximi; ut jam taceam, quòd Rex, libidini obnoxius, omnia ſæpe moderetur ex libidine unius, aut alterius pellicis, aut cinædi. Audieram, inquit Orſines, in Aſiâ olim regnâſſe fæminas: hoc verò novum eſt, regnare caſtratum, Curtius lib. X. Cap. 1.

§. VI. Eſt præterea hoc certum, quòd Civitas ſemper magis propter cives, quàm propter hoſtes periclitetur: rari quippe boni. Ex quo ſequitur, quòd is, in quem totum imperii Jus delatum eſt, magis cives, quàm hoſtes ſemper timebit, & conſequenter ſibi cavere, & ſubditis non conſulere; ſed inſidiari conabitur, iis præcipuè, qui ſapientiâ clari, vel divitiis potentiores ſunt.

§. VII. Accedit præterea, quòd Reges filios etiam plùs timent, quàm amant, & eò magis, quò pacis, belliqúe artes magis callent, & ſubditis ob virtutes dilectiores ſunt. Unde fit, ut eos ità educare ſtudeant, ut cauſa timendi abſit. Quâ in re officiarii promptiſſimè Regi obſequuntur, & ſtudium adhibebunt ſummum, ut Regem ſucceſſorem rudem habeant, quem arte tractare poſſint.

§. VIII. Ex quibus omnibus ſequitur, Regem eò minùs ſui Juris, & ſubditorum conditionem eò miſeriorem eſſe, quò magis abſolutè Civitatis Jus in eundem transfertur: atque adeò neceſſe eſt, ad imperium Monarchicum ritè ſtabiliendum, fundamenta jacere firma, quibus ſuperſtruatur: ex quibus Monarchæ ſecuritas, & multitudini pax ſequatur; ac proinde, ut Monarcha tum maximè ſui juris ſit, cùm maximè multitudinis ſaluti conſulit. Quænam autem hæc Imperii Monarchi fundamenta ſint, primùm breviter proponam, & deinde ordine ea oſtendam.

§. IX. Urbs una, aut plures condendæ, & muniendæ ſunt, quarum omnes cives, ſive ii intra mœnia, ſive extra propter agriculturam habitent, eodem Civitatis jure gaudeant; eâ tamen conditione, ut unaquæque certum civium numerum ad ſui, & communem defenſionem habeat; quæ autem id præſtare nequit, aliis conditionibus in ditione habenda.

§. X. Militia ex ſolis civibus, nullo excepto, formanda eſt, & ex nullis aliis; atque adeò omnes arma habere teneantur, & nullus

in civium numerum recipiatur, nisi postquam exercitium militare didicerit, illudque signatis anni temporibus exercere pollicitus fuerit. Deinde, uniuscujusque familiæ militiâ in cohortes, & legiones divisâ, nullius cohortis dux eligendus, nisi qui Architecturam militarem noverit. Porrò cohortium, & legionum duces ad vitam quidem; sed qui unius familiæ integræ militiæ imperet in bello tantummodò eligendus, qui annum ad summum imperium habeat, nec continuari in imperio, nec postea eligi possit. Atque hi eligendi sunt ex Regis Consiliariis, (*de quibus Art.* 15. *& seqq. dicendum*) vel qui officio Consiliarii functi sunt.

§. XI. Omnium urbium incolæ, & agricolæ, hoc est, omnes Cives in familias dividendi sunt, quæ nomine, & insigni aliquo distinguantur, & omnes ex aliquâ harum familiarum geniti in civium numerum recipiantur, eorumque nomina in catalogum eorum familiæ redigantur, simulac eò ætatis pervenerint, ut arma ferre, & officium suum noscere possint; iis tamen exceptis, qui ob scelus aliquod infames, vel qui muti, vesani, & famuli sunt, qui servili aliquo officio vitam sustentant.

§. XII. Agri, & omne solum, &, si fieri potest, domûs etiam publici juris sint, nempe ejus, qui Jus Civitatis habet, à quo annuo pretio civibus, sive urbanis, & agricolis locentur; & præterea omnes ab omni exactione tempore pacis liberi, sive immunes sint. Atque hujus pretii alia pars ad Civitatis munimenta, alia ad usum domesticum Regis referenda est. Nam tempore pacis urbes tanquam ad bellum munire, & præterea naves, & reliqua instrumenta bellicà parata necesse est habere.

§. XIII. Electo Rege ex aliquâ familiâ, nulli Nobiles censendi, nisi à Rege oriundi, qui propterea insignibus Regiis à suâ, & à reliquis familiis distinguantur.

§. XIV. Regis consanguinei nobiles masculi, qui ei, qui regnat, gradu consanguinitatis tertio, aut quarto propinqui sunt, uxorem ducere prohibeantur, & si quos liberos procreaverint, illegitimi habeantur, & omni dignitate indigni, nec parentum hæredes agnoscantur; sed eorum bona ad Regem redeant.

§. XV. Regis præterea Consiliarii, qui ei proximi, vel dignitate

tate ſecundi ſunt, plures eſſe debent, & non, niſi ex civibus, eligendi; nempe, ex unâquâque familiâ tres, aut quatuor, aut quinque, (ſi familiæ non plures, quàm ſexcentæ, fuerint) qui ſimul unum hujus Concilii membrum conſtituent, non ad vitam; ſed in tres, aut quatuor, aut quinque annos, ita ut ſingulis annis eorum tertia, quarta, aut quinta pars nova eligatur; in quâ electione tamen apprimè obſervandum, ut ex unâquâque familiâ unus ad minimum juris peritus Conſiliarius eligatur.

§. XVI. Hæc electio ab ipſo Rege fieri debet, cui conſtituto anni tempore, quo ſcilicet novi Conſiliarii eligendi ſunt, unaquæque familia omnium ſuorum civium nomina, qui ad annum quinquageſimum ætatis pervenerunt, & qui hujus officii candidati ritè promoti fuerunt, Regi tradere debet, ex quibus, quem velit, Rex eliget; at eo anno, quo alicujus familiæ juris peritus alteri ſuccedere debet, juris peritorum tantùm nomina ſunt Regi tradenda. Qui ſtatuto tempore officio hoc Conſiliarii functi ſunt, in eodem continuari nequeant, nec ad catalogum eligendorum quinquennio, aut ampliùs referri. Cauſa autem, cur neceſſe ſit ſingulis annis ex unâquâque familiâ unum eligere, eſt, ne Concilium jam ex inexpertis Novitiis, jam ex Veteratis, & rerum expertis componeretur, quod neceſſariò fiet, ſi omnes ſimul recederent, & novi ſuccederent. Sed ſi ſingulis annis ex unâquâque familiâ unus eligatur, tum non niſi quinta, quarta, aut ad ſummum tertia Concilii pars ex Novitiis erit. Præterea ſi Rex aliis negotiis impeditus, aut aliâ de cauſâ huic electioni vacare aliquamdiu non poſſit, tum ipſi Conſiliarii alios pro tempore eligant, donec ipſe Rex, vel alios eligat, vel, quos Concilium elegit, probet.

§. XVII. Hujus Concilii primarium officium ſit, imperii fundamentalia jura defendere, conſilia de rebus agendis dare, ut Rex, quid in bonum publicum decernendum ſit, ſciat, atque adeò, ut Regi nihil de aliquâ re ſtatuere liceat, niſi intellectâ priùs hujus Concilii ſententiâ; ſed ſi Concilio, ut plerumque fiet, non una mens fuerit; ſed diverſas habuerit ſententias, etiam poſtquam bis, aut ter quæſtionem de eâdem re habuerint, res in longius trahenda

da non eſt; ſed diſcrepantes ſententiæ ad Regem deferendæ, ut Art. 25. hujus Capitis docebimus.

§. XVIII. Hujus præterea Concilii officium etiam ſit, Regis inſtituta, ſeu decreta promulgare, &, quid in Rempublicam decretum eſt, curare, totiusque adminiſtrationis imperii curam habere, tanquam Regis vicarii.

§. XIX. Civibus nulli ad Regem aditûs pateant, niſi per hoc Concilium, cui omnes poſtulationes, ſeu libelli ſupplices tradendi ſunt, ut Regi offerantur. Legatis etiam aliarum Civitatum non, niſi intercedente hoc Concilio, veniam Regem alloquendi impetrare liceat; Epiſtolæ præterea, quæ ex aliis locis Regi mittuntur, ei ab hoc Concilio tradi debent, & abſolutè Rex cenſendus eſt veluti Civitatis mens; hoc autem Concilium mentis ſenſus externi, ceu Civitatis corpus, per quod mens Civitatis ſtatum concipit, & per quod mens id agit, quod ſibi optimum eſſe decernit.

§. XX. Cura filios Regis educandi huic etiam Concilio incumbat, & etiam tutela, ſi Rex, ſucceſſore infante, ſeu puero relicto, obiit. Sed ne tamen Concilium interea temporis ſine Rege ſit, ex Nobilibus Civitatis Senior eligendus, qui Regis locum ſuppleat, donec legitimus ſucceſſor eò ætatis pervenerit, quò imperii onus ſuſtinere poſſit.

§. XXI. Hujus Concilii Candidati ii ſint, qui regimen, fundamenta, & ſtatum, ſeu conditionem Civitatis, cujus ſubditi ſunt, nôrint; at qui jurisperiti locum occupare vult, is præter regimen, & conditionem Civitatis, cujus ſubditus eſt, aliarum etiam, cum quibus commercium aliquod intercedit, ſcire debet; ſed nulli, niſi qui ad quinquageſimum ætatis annum, nullo convicti crimine, pervenerint, in catalogum eligendorum referendi ſunt.

§. XXII. In hoc Concilio nihil de rebus imperii concludendum, niſi præſentibus omnibus membris: quòd ſi aliquis morbi, aut aliâ de cauſâ adeſſe nequeat, aliquem ex eâdem familiâ, qui eodem officio functus, vel qui in catalogum eligendorum relatus eſt, in ipſius locum mittere debet. Quòd ſi nec hoc fecerit; ſed quòd Concilium propter ejus abſentiam rem aliquam conſulendam in diem differre coactus fuerit, ſummâ aliqua pecuniæ ſenſibili mul-

mul&tetur. Sed hoc intelligendum, quando quæſtio eſt de re, quæ integrum imperium ſpectat, videlicet de bello, & pace, de jure aliquo abrogando, vel inſtituendo, de commercio, &c. Sed ſi quæſtio ſit de re, quæ unam, aut alteram urbem ſpectet, de libellis ſupplicibus, &c. ſatis erit, ſi major Concilii pars adſit.

§. XXIII. Ut inter familias æqualitas in omnibus, & ordo ſedendi, proponendi, & dicendi habeatur, vices ſervandæ ſunt, ut ſingulæ ſingulis ſeſſionibus præſideant, & quæ hâc ſeſſione prima, ſequenti ultima ſit. Sed eorum, qui ejusdem familiæ ſunt, is primus ſit, qui prior electus fuerit.

§. XXIV. Hoc Concilium quater ad minimum in anno convocetur, ut rationem adminiſtrationis imperii à miniſtris exigant, ut rerum ſtatum noſcant, & ſi quid præterea ſtatuendum ſit, videant. Nam adeò magnum civium numerum negotiis publicis continuò vacare impoſſibile videtur; ſed, quia negotia publica interim exerceri nihilominùs debent, ideò ex hoc Concilio quinquaginta, aut plures eligendi ſunt, qui ſoluto Concilio, ejus vicem ſuppleant, quique quotidiè congregari debeant in cubiculo, quod Regio ſit proximum, atque adeò quotidiè curam habeant ærarii, urbium, munimentorum, educationis filii Regis, & abſolutè eorum omnium magni Concilii officiorum, quæ modò enumeravimus, præterquam illud, quòd de rebus novis, de quibus nihil decretum eſt, conſulere non poſſint.

§. XXV. Congregato Concilio, antequam aliquid in eo proponatur, quinque, aut ſex, aut plures Jurisperiti ex familiis, quæ illâ ſeſſione ordine loci priores ſunt, Regem adeant, ut libellos ſupplices, vel epiſtolas, ſi quas habent, tradant, ut rerum ſtatum indicent, & denique ut ex ipſo intelligant, quid in ſuo Concilio proponere jubeat; quo accepto Concilium repetant, &, qui ordine loci prior eſt, rem conſulendam aperiat. Nec de re ſuffragia ſtatim colligenda, quæ aliquibus videtur alicujus eſſe momenti; ſed in id tempus differenda, quod rei neceſſitas concedit. Concilio igitur ad id ſtatutum tempus ſoluto, poterunt interea uniuscujuſque familiæ Conſiliarii de ipſâ ſeorſum quæſtionem habere, &, ſi res iis magni momenti videbitur, alios, qui eodem

officio functi, vel qui ejusdem Concilii Candidati sunt, consulere, &, si intra constitutum tempus inter ipsos convenire non poterit, illa familia extra suffragium erit; (nam unaquæque familia unum tantùm ferre suffragium poterit) aliàs ejus familiæ Jurisperitus instructus sententiam, quam optimam judicaverint esse, in ipso Concilio ferat, & sic reliqui; & si majori parti visum fuerit post auditas cujusque sententiæ rationes, rem iterum perpendere, Concilium iterum in tempus solvatur, ad quod unaquæque familia, quænam ultima ejus sit sententia, pronunciabit, & tum demum præsente integro Concilio suffragiis collectis ea irrita habeatur, quæ centum ad minimum suffragia non habuerit, reliquæ autem ad Regem deferantur à Jurisperitis omnibus, qui Concilio interfuerunt, ut ex iis, postquam uniuscujusque partis rationes intellexerit, quam velit, eligat, atque inde digressi ad Concilium revertantur, ubi omnes Regem ad constitutum ab ipso tempus exspectent, ut, quam sententiam ex latis eligendam censet, omnes audiant, & quid faciendum, ipse decernat.

§. XXVI. Ad justitiam administrandam Concilium aliud ex solis Jurisperitis est formandum, quorum officium sit lites dirimere, & pœnas ex deliquentibus sumere; sed ità ut omnes sententiæ, quas tulerint, ab iis, qui Concilii magni vicem supplent, probari debeant, num scilicet, servato ritè in judicando ordine, prolatæ fuerint, & absque partium studio; Quòd si quæ pars, quæ causâ cecidit, ostendere poterit, aliquem ex judicibus munere aliquo corruptum fuisse ab adversario, vel aliam communem causam amicitiæ erga eundem, vel odii erga ipsum habere, vel denique quod communis judicandi ordo non fuerit servatus, ea in integrum restituatur. Sed hæc forsan observari non possent ab iis, qui, quando quæstio de crimine est, non tam argumentis, quàm tormentis reum convincere solent. Verùm nec ego hîc alium in judicando ordinem concipio præter eum, qui cum optimo Civitatis regimine convenit.

§. XXVII. Hi judices magno etiam, & impari numero esse debent; nempe sexaginta & unus, aut quinquaginta & unus ad minimum, & ex unâ familiâ non nisi unus eligendus, nec tamen ad vitam;

vitam; ſed ut quotannis etiam aliqua ejus pars cedat, & alii totidem eligantur, qui ex aliis ſint familiis, quiſque ad quadrageſimum ætatis annum pervenerint.

§. XXVIII. In hoc Concilio nulla ſententia pronuncianda, niſi præſentibus omnibus judicibus. Quòd ſi aliquis morbi, aut alterius rei cauſâ diu Concilio intereſſe non poterit, alius ad id tempus eligendus, qui ipſius locum ſuppleat. In ſuffragiis autem ferendis debebit unuſquiſque ſententiam ſuam non palam dicere, ſed calculis indicare.

§. XXIX. Hujus, & præcedentis Concilii vicariorum emolumenta ſint primò eorum, qui mortis damnati ſunt ab ipſis, & etiam eorum, qui ſummâ quâdam argenti plectuntur. Deinde ex unâquâque ſententiâ, quam de rebus civilibus tulerint, ab eo qui cauſâ cecidit, pro ratione totius ſummæ partem aliquotam accipiant, quâ utrumque Concilium gaudeat.

§. XXX. His Conciliis alia ſubordinentur in unâquâque urbe, quorum etiam membra ad vitam eligi non debent; ſed etiam quotannis pars aliqua eligenda ex ſolis familiis, quæ in eâdem habitant: ſed opus non eſt hæc latiùs perſequi.

§. XXXI. Militiæ ſtipendia nulla ſolvenda tempore pacis, tempore autem belli iis tantummodò quotidiana ſtipendia danda, qui quotidiano opere vitam ſuſtentant. At duces, & reliqui officiarii cohortium nulla alia emolumenta ex bello exſpectanda habeant præter hoſtium prædam.

§. XXXII. Si quis peregrinus alicujus civis filiam in uxorem duxerit, ejus liberi ſunt cives cenſendi, & in catalogo familiæ matris inſcribendi. Qui autem ex peregrinis parentibus in ipſo imperio nati, & educati ſunt, iis conſtituto aliquo pretio Jus civis ex Chiliarchis alicujus familiæ emere liceat, & in catalogum ejuſdem familiæ referantur: nec imperio, tametſi Chiliarchæ lucri cauſâ aliquem peregrinum infra cónſtitutum pretium in numerum ſuorum civium receperint, aliquod inde detrimentum oriri poteſt; ſed contrà media excogitanda, quibus faciliùs civium augeri poſſit numerus, & magna hominum detur confluentia. At, qui in catalogum civium non referuntur, æquum eſt, ut tempore

ſaltem belli otium ſuum labore, aut exactione aliquâ compenſent.

§. XXXIII. Legati, qui tempore pacis ad alias Civitates pacis contrahendæ, vel conſervandæ cauſâ mitti debent, ex ſolis Nobilibus eligendi ſunt, & ex Civitatis ærario ſumptûs iiſdem ſuppeditandi, non autem ex Regis domeſtico ærario.

§. XXXIV. Qui aulam frequentant, & Regis domeſtici ſunt, quibuſque ex ſuo ærario domeſtico ſtipendia ſolvit, ab omni Civitatis miniſterio, ſeu officio ſecludendi ſunt. Dico expreſſè, *quibus Rex ex ærario ſuo domeſtico ſtipendia ſolvit*, ut corporis cuſtodes ab iiſdem ſecludam. Nam corporis cuſtodes nulli præter cives ejuſdem urbis in aulâ, ſervatis vicibus, vigilare pro Rege ante fores debent.

§. XXXV. Bellum non niſi pacis cauſâ inferendum, ut eo finito arma ceſſent. Urbibus igitur Jure belli captis, & hoſte ſubacto pacis conditiones inſtituendæ ſunt, ut captæ urbes nullo præſidio ſervari debeant; ſed vel ut hoſti, pacis fœdere accepto, poteſtas concedatur eaſdem pretio redimendi, vel (ſi eâ ratione timor ſemper à tergo maneat formidine loci) prorſùs delendæ ſunt, & incolæ aliò locorum ducendi.

§. XXXVI. Regi nullam extraneam matrimonio ſibi jungere, ſed tantùm ex conſanguineis, vel civibus aliquam in uxorem ducere liceat, ea tamen conditione, ſi ſcilicet civem aliquam duxerit, ut qui uxori ſanguine ſint proximi, nullum Civitatis officium adminiſtrare poſſint.

§. XXXVII. Imperium indiviſibile eſſe debet. Si igitur Rex plures liberos procreaverit, illorum major natu jure ſuccedat, minimè autem concedendum, ut imperium inter ipſos dividatur, nec ut indiviſum omnibus, vel aliquibus tradatur, & multò minùs, ut partem imperii dotem filiæ dare liceat. Nam, filias in hæreditatem imperii venire, nullâ ratione concedendum.

§. XXXVIII. Si Rex liberis maſculis orbus obierit, ille, qui ipſi ſanguine proximus, hæres imperii habendus, niſi fortè uxorem extraneam duxerit, quam repudiare nolit.

§. XXXIX. Ad Cives quod attinet, patet ex Art. 5. Cap. 3.

eorum

eorum unumquemque ad omnia Regis mandata, ſive edicta à Concilio magno promulgata, (*vide de hâc conditione Art.* 18. *&* 19. *hujus Capitis*) obtemperare debere, tametſi eadem abſurdiſſima credat, vel jure ad id cogi. Atque hæc Imperii Monarchici fundamenta ſunt, quibus ſuperſtrui debet, ut ſtabile ſit, quemadmodum in ſeq. Cap. demonſtrabimus.

§. XL. Ad Religionem quod attinet, nulla planè templa urbium ſumptibus ædificanda, nec jura de opinionibus ſtatuenda, niſi ſeditioſæ ſint, & Civitatis fundamenta evertant. Ii igitur, quibus Religionem publicè exercere conceditur, templum ſi velint, ſuis ſumptibus ædificent. At Rex ad Religionem, cui addictus eſt, exercendam templum in aulâ ſibi proprium habeat.

CAPUT VII.

§. I. IMperii Monarchici fundamentis explicatis, eadem hîc ordine demonſtrare ſuſcepi; ad quod apprimè notandum eſt, praxi nullo modo repugnare, quòd jura adeò firma conſtituantur, quæ nec ab ipſo Rege aboleri queant. Perſæ enim Reges ſuos inter Deos colere ſolebant, & tamen ipſi Reges poteſtatem non habebant jura ſemel inſtituta revocandi, ut ex Dan. Cap. 5. patet; & nullibi, quod ſciam, Monarcha abſolutè eligitur, nullis expreſſis conditionibus. Imò nec rationi, nec obedientiæ abſolutæ, quæ Regi debetur, repugnat; nam fundamenta imperii veluti Regis æterna decreta habenda ſunt, adeò ut ejus miniſtri ei omninò obediant, ſi, quando aliquid imperat, quod imperii fundamentis repugnat, mandata exequi velle negent. Quòd exemplo Uliſſis clarè explicare poſſumus. Socii enim Uliſſis ipſius mandatum exequebantur, quando navis malo alligatum, & cantu Syrenum mente captum, religare noluerunt; tametſi id modis multis minitando imperabat, & prudentiæ ejuſdem imputatur, quòd poſtea ſociis gratias egerit, quòd ex primâ ipſius mente ipſi obtemperaverint. Et ad hoc Uliſſis exemplum ſolent etiam Reges judices inſtruere, ut ſcilicet jnſtitiam exerceant, nec quenquam reſpiciant, nec ipſum Regem, ſi quid ſingulari aliquo caſu imperaverit, quod contra

inſtitutum, jus eſſe noverint. Reges enim non Dii; ſed homines ſunt, qui Syrenum capiuntur ſæpe cantu. Si igitur omnia ab inconſtanti unius voluntate penderent, nihil fixum eſſet. Atque adeò imperium Monarchicum, ut ſtabile ſit, inſtituendum eſt, ut omnia quidem ex ſolo Regis decreto fiant, hoc eſt, ut omne jus ſit Regis explicata voluntas; at non ut omnis Regis voluntas jus ſit, de quo vide Art. 3. 5. & 6. præc. Cap.

§. II. Deinde notandum, quòd in jaciendis fundamentis maximè humanos affectûs obſervare neceſſe eſt, nec oſtendiſſe ſufficit, quid oporteat fieri; ſed apprimè, quî fieri poſſit, ut homines, ſive affectu, ſive ratione ducantur, jura tamen rata, fixaque habeant. Nam ſi imperii jura, ſive libertas publica ſolo invalido legum auxilio nitatur, non tantùm nulla ejus obtinendæ erit civibus ſecuritas, ut Art. 3. Cap. præc. oſtendimus; ſed etiam exitio erit. Nam hoc certum eſt, nullam Civitatis conditionem miſeriorem eſſe, quàm optimæ, quæ labaſcere incipit, niſi uno actu, & ictu cadat, & in ſervitutem ruat, (quod ſanè impoſſibile videtur eſſe) ac proinde ſubditis multò ſatiùs eſſet ſuum jus abſolutè in unum transferre, quàm incertas, & vanas, ſive irritas libertatis conditiones ſtipulari, atque ità poſteris iter ad ſervitutem crudeliſſimam parare. At ſi imperii Monarchici fundamenta, quæ in præc. Cap. retuli, firma eſſe oſtendero, nec divelli poſſe, niſi cum indignatione maximæ partis armatæ multitudinis, & ex iis Regi, & multitudini pacem, & ſecuritatem ſequi, atque hæc ex communi naturâ deduxero, dubitare nemo poterit eadem optima eſſe, & vera, ut patet ex Art. 9. Cap. 3. & Art. 3. & 8. præc. Cap. Quod autem hujus illa naturæ ſint, quàm paucis potero, oſtendam.

§. III. Quòd officium ejus, qui imperium tenet, ſit Imperii ſtatum, & conditionem ſemper noſcere, & communi omnium ſaluti vigilare, & id omne, quod majori ſubditorum parti utile eſt, efficere, apud omnes in confeſſo eſt. Cùm autem unus ſolus omnia perluſtrare nequeat, nec ſemper animum præſentem habere, & ad cogitandum inſtituere & ſæpe morbo, aut ſenectute, aut aliis de cauſis rebus vocare publicis prohibeatur; neceſſe ergo eſt, ut Monarcha Conſiliarios habeat, qui rerum ſtatum noſcant, &

Regem

Regem consilio juvent, & ipsius locum sæpè suppleant; atque adeò fiat, ut imperium, seu Civitas unâ semper, eâdemque mente constet.

§. IV. Sed quia cum humanâ naturâ ità comparatum est, ut unusquisque suum privatum utile summo cum affectu quærat, & illa jura æquissima esse judicet, quæ rei suæ conservandæ, & augendæ, necessaria esse, & alterius causam eatenus defendat, quatenus rem suam eo ipso stabilire credit, hinc sequitur Consiliarios necessariò debere eligi, quorum privatæ res, & utilitas à communi omnium salute, & pace pendeant; atque adeò patet, quòd, si ex unoquoque civium genere, sive classe aliquot eligantur, id majori subditorum parti utile erit, quod in hoc Concilio plurima habuerit suffragia. Et quamvis hoc Concilium, quod ex adeò magno civium numero componitur, frequentari necessariò debeat à multis rudi admodùm ingenio; hoc tamen certum est, unumquemque in negotiis, quæ diu magno cum affectu exercuit, satis callidum, atque astutum esse. Quapropter si nulli alii eligantur, nisi ii, qui ad quinquagesimum ætatis annum usque negotia sua sine ignominiâ exercuerunt, satis apti erunt, ut consilia res suas concernentia dare possint, præsertim si in rebus majoris ponderis tempus ad meditandum concedatur. Adde quòd longè abest, ut Concilium, quod paucis constat, à similibus non frequentetur. Nam contrà maxima ejus pars ex hominibus ejusmodi constat: quandoquidem unusquisque ibi maximè conatur socios habere bardos, qui ab ipsius ore pendeant, quòd in magnis Conciliis locum non habet.

§. V. Præterea certum est, unumquemque malle regere, quàm regi. Nemo enim volens imperium alteri concedit, ut habet Salustius in primâ ad Cæsarem oratione. Ac proinde patet, quòd multitudo integra nunquam jus suum in paucos, aut unum transferet, si inter ipsam convenire possit, nec ex controversiis, quæ plerumque in magnis Conciliis excitantur, in seditiones ire; atque adeò multitudo id liberè tantummodò in Regem transfert, quod absolutè in potestate ipsa habere nequit, hoc est, controversiarum diremptionem, & in decernendo expeditionem. Nam quòd sæpè

etiam

etiam fit, ut Rex belli causâ eligatur, quia scilicet bellum à Regibus multò feliciùs geritur, inscitia sanè est, nimirùm quòd, ut bellum feliciùs gerant, in pace servire velint; si quidem pax eo in imperio potest concipi, cujus summa potestas solâ belli causâ in unum translata est; qui propterea virtutem suam, & quid omnes in ipso uno habeant, maximè in bello, ostendere potest; cùm contrà imperium Democraticum hoc præcipuum habeat, quòd ejus virtus multò magis in pace, quàm in bello valet. Sed quâcunque de causâ Rex eligatur, ipse solus, ut jam diximus, quid imperio utile sit, scire nequit; sed ad hoc, ut in præc. Art. ostendimus necesse est, ut plures cives Consiliarios habeat, & quia concipere nequaquam possumus, quòd aliquid de re consulendâ potest concipi, quod tam magnum hominum numerum effugerit, sequitur quòd præter omnes hujus Concilii sententias, quæ ad Regem deferuntur, nulla poterit concipi ad populi salutem idonea. Atque adeò, quia populi salus suprema lex, seu Regis summum jus est, sequitur jus Regis esse unam ex latis Concilii sententiis eligere, non autem contra totius Concilii mentem quicquam decernere, vel sententiam ferre. (*vide Art. 25. præced. Cap.*) Sed si omnes sententiæ in Concilio latæ ad Regem deferendæ essent, fieri posset, ut Rex parvis urbibus, quæ pauciora habent suffragia, semper faveret. Nam quamvis ex lege Concilii statutum sit, ut sententiæ non indicatis earum authoribus deferantur, nunquam tamen tam bene cavere poterunt, ut non aliqua effluat, ac proinde necessariò statuendum est, ut illa sententia, quæ centum ad minimum suffragia non habuerit, irrita habeatur, quod quidem jus majores urbes summâ vi defendere debebunt.

§. VI. Atque hîc, nisi brevitati studerem, magnas hujus Concilii utilitates alias ostenderem; unam tamen, quæ maximi videtur esse momenti, adducam. Nempe, quòd nullum majus ad virtutem incitamentum dari potest, hâc communi spe summum hunc honorem adipiscendi: nam gloriâ maximè ducimur omnes, ut in nostrâ Ethica fusè ostendimus.

§. VII. Quin majori hujus Concilii parti nunquam animus gerendi bellum; sed magnum pacis studium, & amor semper futurus

sit,

ſit, dubitari non poteſt. Nam, præterquam quòd ex bello ipſis timor ſemper erit bona ſua cum libertate amittendi, accedit, quòd ad bellum novi ſumptûs requirantur, quos ſuppeditare debent, ac etiam quòd ipſorum liberi, & affines curis domeſticis intenti, ſtudium ad arma in bello applicare, & militatum ire cogentur; unde dòmum nihil præter gratuitas cicatrices referre poterunt. Nam, uti Art. 30. præced. Cap. diximus, militiæ ſtipendia nulla ſolvenda, & Art. 11. ejuſdem Cap. ipſa ex ſolis civibus, & ex nullis aliis formanda.

§. VIII. Ad pacem, & concordiam aliud præterea, quod etiam magni eſt momenti, accedit; nempe quòd nullus civis bona fixa habeat. (*vid. Art.* 12. *præced. Cap.*) Unde omnibus ex bello par propemodùm periculum eſt: nam omnes lucri cauſâ mercaturam exercere, vel argentum ſuum invicem credere, ſi, ut olim ab Athenienſibus, lex lata ſit, quâ prohibeatur unicuique argentum ſuum fœnere aliis, quàm incolis dare; atque adeò negotia tractare debebunt, quæ vel invicem intricata ſunt, vel quæ eadem media, ut promoveantur, requirunt; atque adeò hujus Concilii maximæ parti circa res communes, & pacis artes una plerumque, eademque erit mens; nam, ut Art. 4. hujus Cap. diximus, unusquiſque alterius cauſam eatenus defendit, quatenus eo ipſo rem ſuam ſtabilire credit.

§. IX. Quòd nemo unquam in animum inducet hoc Concilium muneribus corrumpere, dubitari non poteſt. Si enim aliquis ex tam magno hominum numero unum, aut alterum ad ſe trahat, ſanè nihil promovebit: nam, uti diximus, ſententia, quæ ad ſummum centum ad minimum ſuffragia non habuerit, irrita eſt.

§. X. Quòd præterea hujus Concilii ſemel ſtabiliti membra ad minorem numerum redigi non poterunt, facilè videbimus, ſi hominum communes affectûs conſideremus. Omnes enim gloriâ maximè ducuntur, & nullus eſt, qui ſano corpore vivit, qui non ſperet in longam ſenectutem vitam trahere. Si itaque calculum ineamus eorum, qui reverâ annum quinquageſimum, aut ſexageſimum ætatis attigerunt, & rationem præterea habeamus magni iſtius Concilii numeri, qui quotannis eligitur, videbimus vix

aliquem eorum, qui arma ferunt, dari posse, qui non magnâ spe teneatur, huc dignitatis ascendere; atque adeò omnes hoc Concilii jus, quantum poterunt, defendent. Nam notandum, quòd corruptio, nisi paulatim irrepat, facilè prævenitur; at quia faciliùs concipi potest, & minori invidiâ fieri, ut ex unâquâque familiâ, quàm ut ex paucis minor numerus eligatur, aut ut una, aut alia secludatur; ergo (*per Art.* 14. *præced. Cap.*) Consiliariorum numerus non potest ad alium minorem redigi, nisi simùl ab eo una tertia, quarta, aut quinta pars auferatur, quæ sanè mutatio admodùm magna est, & consequenter à communi praxi omninò abhorrens. Nec mora præterea, sive in eligendo negligentia timenda est, quia hæc ab ipso Concilio suppletur. *Vid. Art.* 16. *præced. Cap.*

§. XI. Rex igitur, sive multitudinis metu ductus, vel ut sibi armatæ multitudinis majorem partem devinciat, sive animi generositate ductus, ut scilicet utilitati publicæ consulat, illam semper sententiam, quæ plurima suffragia habuerit, hoc est, (*per Art.* 5. *hujus Cap.*) quæ imperii majori parti est utilior, firmabit, & discrepantes sententias, quæ ad ipsum delatæ sunt, si fieri potest, conciliare studebit, ut omnes ad se trahat, quâ in re nervos intendet suos, & ut tam in pace, quàm in bello experiantur, quid in ipso uno habeant; atque adeò tum maximè sui juris erit, & imperium maximè habebit, quando maximè communi multitudinis saluti consulit.

§. XII. Nam Rex solus omnes metu continere nequit; sed ipsius potentia, ut diximus, nititur militum numero, & præcipuè eorundem virtute, & fide, quæ semper inter homines tamdiu constans erit, quamdiu indigentiâ, sive hæc honesta, sive turpis sit, copulantur; unde fit, ut Reges incitare sæpius milites, quàm coërcere, & magis eorum vitia, quàm virtutes dissimulare soleant, & plerumque, ut optimos premant, inertes, & luxu perditos inquirere, agnoscere, pecuniâ, aut gratiâ juvare, prehensare manus, jacere oscula, & omnia servilia pro dominatione agere. Ut itaque cives à Rege præ omnibus agnoscantur, & quantum status civilis, sive æquitas concedit, sui juris maneant, ne-

cesse

ceſſe eſt, ut militia ex ſolis civibus componatur, & ut ipſi à Conſiliis ſint; & contra eos omnino ſubactos eſſe, & æterni belli fundamenta jacere, ſimulatque milites auxiliares duci patiuntur, quorum mercatura bellum eſt, & quibus in diſcordiis, & ſeditionibus plurima vis.

§. XIII. Quòd Regis Conſiliarii ad vitam eligi non debeant; ſed in tres, quatuor, vel quinque ad ſummum annos, patet tam ex Art. 10. hujus Capitis, quàm ex iis, quæ in Art. 9. hujus etiam Capitis diximus. Nam, ſi ad vitam eligerentur, præterquam quòd maxima civium Pars vix ullam ſpem poſſet concipere eum honorem adipiſcendi; atque adeò magna inde inter cives inæqualitas, unde invidia & continui rumores, & tandem ſeditiones orirentur, quæ ſanè Regibus dominandi avidis non ingratæ eſſent; magnam præterea ad omnia licentiam (ſublato ſcilicet ſuccedentium metu) ſument, Rege minimè adverſante. Nam, quò civibus magis inviſi, eò magis Regi adhærebunt, eique ad adulandum magis proni erunt. Imò quinque annorum intervallum nimium adhuc videtur, quia eo temporis ſpatio non adeò impoſſibile factu videtur, ut magna admodùm Concilii (quàm etiam magnum ſit) pars muneribus, aut gratiâ corrumpatur; atque adeò longè ſecuriùs res ſeſe habebit, ſi quotannis ex unâquâque familiâ duo cedant, & totidem iiſdem ſuccedant, (ſi nimirum ex unâquâque familiâ quinque conſiliarii habendi ſunt) præterquam eo anno, quo juris prudens alicujus familiæ cedit, & novus ejus loco eligitur.

§. XIV. Rex præterea nullus majorem ſibi ſecuritatem polliceri poteſt, quàm qui in hujuſmodi Civitate regnat. Nam, præterquam quòd citò perit, quem ſui milites ſalvum eſſe nolunt, certum eſt Regibus ſummum ſemper periculum eſſe ab iis, qui eis proximi ſunt. Quò igitur Conſiliarii numero pauciores, & conſequenter potentiores ſunt, eò Regi majus ab ipſis periculum eſt, ne imperium in alium transferant. Nihil ſanè Davidem magis terruit, quàm quòd ipſius Conſiliarius Achitophel partes Abſolomi elegerat. Huc accedit, ſi omnis poteſtas in unum abſolutè tranſlata fuerit, quæ tum longè faciliùs ex uno in alium transferri poteſt. Suſcepêre enim duo Manipulares imperium Romanum transferre, & tranſtule-

tulerunt. (Tacit. Hiſt. lib. 1.) Omitto artes, & aſtûs callidos Conſiliariorum, quibus ſibi cavere debent, ne invidiæ immolentur, quia nimis noti ſunt, & nemo, qui Hiſtorias legit, ignorare poteſt, Conſiliariis fidem plerumque exitio fuiſſe; atque adeò, ut ſibi caveant, eoſdem callidos, non fidos eſſe oportet. Sed ſi Conſiliarii plures numero, quàm ut in eodem ſcelere convenire poſſint, & omnes inter ſe æquales ſint, nec ultra quadriennium eo officio fungantur, Regi nequaquam formidoloſi eſſe queunt, niſi libertatem iis adimere tentet, quo omnes cives pariter offendet. Nam, (ut Ant. Perezius optimè notat) imperio abſoluto uti Principi admodùm periculoſum, ſubditis admodùm odioſum, & inſtitutis tam divinis, quàm humanis adverſum, ut innumera oſtendunt exempla.

§. XV. Præter hæc, alia fundamenta in præc. Cap. jecimus, ex quibus Regi magna imperii, & civibus libertatis, ac pacis obtinendæ ſecuritas oritur, quæ ſuis locis oſtendemus. Nam quæ ad ſupremum Concilium ſpectant, quæque maximi ponderis ſunt, ante omnia demonſtrare volui, jam reliqua eo, quo ipſa propoſui, ordine perſequar.

§. XVI. Quòd cives eò potentiores, & conſequenter magis ſui juris ſint, quò majores urbes, & magis munitas habent, dubio caret: quò enim locus, in quo ſunt, tutior eſt, eò libertatem ſuam meliùs tueri, ſive hoſtem externum, vel internum minùs timere poſſunt, & certum eſt, homines naturaliter ſecuritati ſuæ eò magis conſulere, quò divitiis potentiores ſunt. Quæ autem urbes alterius potentiâ, ut conſerventur, indigent, æquale jus cum eo non habent; ſed eatenus alterius ſunt juris, quatenus alterius potentiâ indigent. Jus enim ſolâ potentiâ definiri in 2. Cap. oſtendimus.

§. XVII. Hâc eâdem etiam de cauſâ, ut cives ſcilicet ſui juris maneant, & libertatem tueantur, militiâ ex ſolis civibus nullo excepto conſtare debet. Etenim homo armatus magis, quàm inermis ſui juris, (*vide Art.* 12. *hujus Cap.*) & ii cives ſuum jus in alterum abſolutè transferunt, ejuſdemque fidei omninò committunt, cui arma dederunt, & urbium munimenta crediderunt. Huc accedit humana avaritia, quâ plerique maximè ducuntur: fieri enim

non

non poteſt, ut auxiliarius miles ſine magnis ſumptibus conducatur, & cives vix pati poſſunt exactiones, quæ ſuſtentandæ otioſæ militiæ requiruntur. Quòd autem nullus, qui integræ militiæ, vel magnæ ejus parti imperet, niſi, cogente neceſſitate, in annum ad ſummum eligendus ſit, nôrunt omnes, qui hiſtorias, tam ſacras, quas profanas legerunt. Ratio autem nihil hoc clariùs docet. Nam ſanè imperii robur ei omninò creditur, cui ſatis temporis conceditur, ut militarem gloriam occupet, ipſiuſque nomen ſupra Regis attollatur, vel fidum ſibi exercitum faciat obſequio, liberalitate, & reliquis artibus, ducibus aſſuetis, quibus alienum ſervitium, & ſibi dominationem quærunt. Denique ad majorem totius imperii ſecuritatem addidi, quòd hi militiæ imperatores eligendi ſunt ex Regis Conſiliariis, vel qui eodem officio functi ſunt, hoc eſt, viris, qui eò ætatis pervenerunt, quâ homines plerumque vetera, & tuta, quàm nova, & periculoſa malint.

§. XVIII. Cives inter ſe familiis diſtinguendos eſſe dixi, & ex unâquâque æqualem Conſiliariorum numerum eligendum, ut majores urbes plures haberent pro numero civium Conſiliarios, & plura, ut æquum eſt, adferre poſſent ſuffragia. Nam imperii potentia & conſequenter jus ex civium numero æſtimanda eſt; nec credo, quòd ad hanc inter cives æqualitatem ſervandam aliud medium aptius excogitari poteſt, qui omnes naturâ ità comparati ſunt, ut unusquiſque generi ſuo adſcribi velit, & ſtirpe à reliquis internoſci.

§. XIX. Præterea in ſtatu naturali unusquiſque nihil minus ſibi vendicare, & ſui juris facere poteſt, quàm ſolum, & quicquid ſolo ità adhæret, ut id nuſquam abſcondere, nec portare, quò velit, poteſt. Solum igitur, & quicquid ei eâ, quâ diximus, conditione adhæret, apprimè communis Civitatis juris eſt, nempe eorum omnium, qui junctis viribus, vel ejus, cui omnes poteſtatem dederunt, quâ id ſibi vendicare poſſit, & conſequenter ſolum, & quicquid ei adhæret, tanti valere apud cives debet, quantum neceſſe eſt, ut pedem eo in loco figere, & commune jus, ſeu libertatem tueri poſſint. Cæterùm utilitates, quas Civitas hinc neceſſe eſt, ut capia, oſtendimus Art. 8. hujus Capitis.

§. XX. Ut cives, quantum fieri poteſt, æquales ſint, quod in Civitate apprimè neceſſarium eſt, nulli, niſi à Rege oriundi, Nobiles cenſendi ſunt. At ſi omnibus ex Rege oriundis uxorem ducere, ſeu liberos procreare liceret, ſucceſſu temporis in magnum admodùm numerum creſcerent, & Regi, & omnibus non tantùm oneri; ſed formidoloſſimi inſuper eſſent. Homines enim, qui otio abundant, ſcelera plerumque meditantur; unde fit, ut Reges maximè Nobilium cauſâ inducantur bellum gerere, quia Regibus, Nobilibus ſtipatis, major ex bello, quàm ex pace ſecuritas, & quies. Sed hæc, utpote ſatis nota, relinquo, ut & quæ ex Art. 15. uſque ad 27. in præc. Capite dixi: nam præcipua in hoc Cap. demonſtrata, & reliqua per ſe manifeſta ſunt.

§. XXI. Quòd Judices plures numero eſſe debeant, quàm ut à viro privato magna ejus pars poſſit muneribus corrumpi, ut & quòd ſuffragia non palam, ſed clam ferre debeant, & quòd vacationis præmium mereantur, omnibus etiam notum. Sed ſolent ubique annuum habere ſtipendium; unde fit, ut non admodùm feſtinent lites dirimere, & ſæpe, ut quæſtionibus nullus ſit finis. Deinde ubi bonorum publicatio Regum emolumenta ſunt, ibi ſæpe, *non jus, aut verum in cognitionibus; ſed magnitudo opum ſpectatur; paſſim delationes, & locupletiſſimus quisque in prædam correpti, quæ gravia, & intoleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace manent.* At Judicum avaritia, qui ſcilicet in duos, aut tres annos ad ſummum conſtituuntur, metu ſuccedentium temperatur, ut jam taceam, quòd Judices bona fixa nulla habere poſſunt; ſed quòd argentum ſuum lucri cauſâ concivibus credere debeant; atque adeò iis magis conſulere, quàm inſidiari coguntur, præſertim ſi ipſi judices magno, uti diximus, numero ſint.

§. XXII. At militiæ nullum decernendum eſſe ſtipendium diximus: nam ſummum militiæ præmium libertas eſt. In ſtatu enim naturali nititur unusquiſque ſolâ libertatis cauſâ ſeſe, quantum poteſt, defendere, nec aliud bellicæ virtutis præmium exſpectat, quàm ut ſuus ſit; in ſtatu autem civili omnes ſimul cives conſiderandi perinde, ac homo in ſtatu naturali, qui propterea, dum omnes pro eo ſtatu militant, ſibi cavent, ſibique vacant. At Conſiliarii,

Judices,

Judices, Prætores, &c. plus aliis, quàm ſibi vacant, quare iis vacationis præmium decerni æquum eſt. Accedit, quòd in bello nullum honeſtius, nec majus victoriæ incitamentum eſſe poteſt, quàm libertatis imago; ſed ſi contrà civium aliqua pars militiæ deſignetur, quâ de cauſâ neceſſe etiam erit iiſdem certum ſtipendium decernere, Rex neceſſariò eoſdem præ reliquis agnoſcet, (ut Art. 12. hujus Cap. oſtendimus) homines ſcilicet, qui belli artes tantummodò nôrunt, & in pace propter nimium otium luxu corrumpuntur, & tandem propter inopiam rei familiaris nihil præter rapinas, diſcordias civiles, & bella meditantur; atque adeò affirmare poſſumus imperium Monarchicum hujusmodi reverâ ſtatum belli eſſe, & ſolam militiam libertate gaudere, reliquos autem ſervire.

§. XXIII. Quæ de peregrinis in civium numerum recipiendis Art. 32. præced. Cap. diximus, per ſe nota eſſe credo. Præterea neminem dubitari exiſtimo, quod ii, qui Regi ſanguine propinqui ſunt, procul ab eo eſſe debeant, & non belli; ſed pacis negotiis diſtrahi, ex quibus ipſis decus, & imperio quies ſequatur. Quamvis nec hoc quidem Turcarum Tyrannis ſatis tutum viſum fuerit, quibus propterea Religio eſt fratres omnes necare. Nec mirum; nam quò magis abſolutè imperii jus in unum tranſlatum eſt, eò faciliùs ipſum (ut Art. 14. hujus Cap. exemplo oſtendimus) ex uno in alium transferri poteſt. At imperium Monarchicum, quale hîc concipimus, in quo ſcilicet mercenarius miles nullus eſt, ſatis hoc, quo diximus, modo Regis ſaluti cautum fore, extra dubium eſt.

§. XXIV. De iis etiam, quæ Art. 34. & 35. præced. Cap. diximus, ambigere nemo poteſt. Quòd autem Rex extraneam in uxorem ducere non debet, facilè demonſtratur. Nam præterquam quòd duæ Civitates, quanquam fœdere inter ſe ſociatæ, in ſtatu tamen hoſtilitatis ſunt; (*per Art.* 14. *Cap.* 3.) apprimè cavendum eſt, ne bellum propter Regis res domeſticas concitetur, & quia controverſiæ, & diſſenſiones ex ſocietate præcipuè, quæ ex matrimonio fit, oriuntur, & quæ inter duas Civitates quæſtiones ſunt, jure belli plerumque dirimuntur; hinc ſequitur imperio exitiale

eſſe

esse arctam societatem cum alio inire. Hujus rei fatale exemplum in Scripturâ legimus: mortuo enim Salomone, qui filiam Regis Ægypti sibi matrimonio junxerat, filius ejus Rehabeam bellum cum Susano Ægyptiorum Rege infelicissimè gessit, à quo omninò subactus est. Matrimonium præterea Ludovici 14. Regis Galliarum cum filiâ Philippi quarti novi belli semen fuit, & præter hæc plurima exempla in historiis leguntur.

§. XXV. Imperii facies una, eademque servari, & consequenter Rex unus, & ejusdem sexûs, & imperium indivisibile esse debet. Quòd autem dixerim, ut filius Regis natu major patri jure succedat, vel (si nulli sint liberi) qui Regi sanguine proximus est, patet tam ex Artic. 13. præced. Cap. quàm quia Regis electio, quæ à multitudine fit, æterna, si fieri potest esse debet; aliàs necessariò fiet, ut summa imperii potestas sæpe ad multitudinem transeat, quæ mutatio summa est, & consequenter periculosissima. Qui autem statuunt, Regem ex eo, quòd imperii Dominus est, idque jure absoluto tenet, posse, cui vellet, idem tradere, & successorem, quem velit, eligere, atque adeò Regis filium imperii hæredem jure esse, falluntur sanè. Nam Regis voluntas tam diu vim juris habet, quamdiu Civitatis gladium tenet; imperii namque jus solâ potentiâ definitur. Rex igitur regno cedere quidem potest; sed non imperium alteri tradere, nisi connivente multitudine; vel parte ejus validiore. Quod ut clariùs intelligatur, venit notandum, quòd liberi non jure naturali; sed civili parentum hæredes sunt: nam solâ Civitatis potentiâ fit, ut unusquisque quorundam bonorum sit dominus; quare eâdem potentiâ, sive jure, quo fit, ut voluntas alicujus, quâ de suis bonis statuit, rata sit, eodem fit, ut eadem voluntas etiam post ipsius mortem rata maneat, quamdiu Civitas permanet, & hâc ratione unusquisque in statu civili idem jus, quod dum in vivis est, etiam post mortem obtinet, quia, uti diximus, non tam suâ, quàm Civitatis potentiâ, quæ æterna est, de suis bonis quicquam statuere potest. At Regis alia prorsùs est ratio: nam Regis voluntas ipsum jus Civile est, & rex ipsa Civitas; mortuo igitur Rege obiit quodammodò Civitas, & status Civilis ad naturalem, & consequenter summa potestas ad mul-

multitudinem naturaliter redit, quæ propterea jure poteſt leges novas condere, & veteres abrogare. Atque adeò apparet, neminem Regi jure ſuccedere; niſi quem multitudo ſucceſſorem vult, vel in Theocratiâ, qualis Hebræorum Civitas olim fuit, quem Deus per Prophetam elegerit. Poſſemus præterea hæc inde deducere, quòd Regis gladius, ſive jus ſit reverâ ipſius multitudinis, ſive validioris ejus partis voluntas, vel etiam ex eo, quòd homines ratione præditi nunquam ſuo jure ità cedunt, ut homines eſſe deſinant, & perinde ac pecudes habeantur. Sed hæc ulteriùs perſequi non eſt opus.

§. XXVI. Cæterùm Religionis, ſive Deum colendi jus nemo in alium transferre poteſt. Sed de hoc in duobus ultimis capitibus Tractatûs Theologico-Politici prolixè egimus, quæ hîc repetere ſuperfluum eſt. Atque his me optimi imperii Monarchici fundamenta ſatis clarè, quamvis breviter, demonſtrâſſe autumo. Eorum autem cohærentiam, ſive imperii analogiam facilè unusquiſque obſervabit, qui eadem ſimul aliquâ cum attentione contemplari velit. Supereſt tantùm monere, me hîc imperium Monarchicum concipere, quod à liberâ multitudine inſtituitur, cui ſolummodò hæc ex uſu eſſe poſſunt; nam multitudo, quæ alii imperii formæ aſſuevit, non poterit ſine magno everſionis periculo totius imperii recepta fundamenta evellere, & totius imperii fabricam mutare.

§. XXVII. Atque hæc, quæ ſcripſimus riſu forſan excipientur ab iis, qui vitia, quæ omnibus mortalibus inſunt, ad ſolam plebem reſtringunt; nempe quòd in vulgo nihil modicum terrere, ni paveant, & quòd plebs aut humiliter ſervit, aut ſuperbè dominatur, nec ei veritas, aut judicium, &c. At natura una, & communis omnium eſt. Sed potentiâ, & cultu decipimur, unde eſt, ut duo cùm idem faciunt, ſæpè dicamus, hoc licet impune facere huic, illi non licet, non quòd diſſimilis res ſit, ſed qui facit. Dominantibus propria eſt ſuperbia. Superbiunt homines annuâ deſignatione: quid nobiles, qui honores in æternum agitant. Sed eorum arrogantia, faſtu, luxu, prodigalitate, certoque vitiorum concentu, & doctâ quâdam inſipientia & turpitudinis ele-

gantiâ adornatur, ita ut vitia, quorum ſingula ſeorſim ſpectata, quia tum maximè eminent, fœda & turpia ſunt, honeſta, & decora imperitis, & ignaris videantur. Nihil præterea in vulgo modicum terrere, niſi paveant: nam libertas, & ſervitium haud facilè miſcentur. Denique quòd plebi nulla veritas, neque judicium ſit, mirum non eſt, quando præcipuâ imperii negotia clam ipſâ agitantur, & non niſi ex paucis, quæ celari nequeunt, conjecturam facit. Judicium enim ſuſpendere rara eſt virtus. Velle igitur clam civibus omnia agere, & ne de iiſdem prava judicia ferant, neque ut res omnes ſiniſtrè interpretentur, ſumma eſt inſcitia. Nam ſi plebs ſeſe temperare, & de rebus parùm cognitis judicium ſuſpendere, vel ex paucis præcognitis rectè de rebus judicare poſſet, dignior ſanè eſſet, ut regeret; quàm ut regeretur. Sed, uti diximus, natura omnibus eadem eſt; ſuperbiunt omnes dominatione: terrent, niſi paveant, & ubique veritas plerumque infringitur ab infenſis, vel obnoxiis; præſertim ubi unus, vel pauci dominantur, qui non jus, aût verum in cognitionibus; ſed magnitudinem opum ſpectant.

§. XXVIII. Milites deinde ſtipendiarii, militari ſcilicet diſciplinæ aſſueti, algoris, & inediæ patientes, civium turbam contemnere ſolent, utpote ad expugnationes, vel aperto Marte dimicandum longè inferiorem. Sed quòd imperium eâ de cauſâ infelicius ſit, aut minùs conſtans, nullus cui mens ſana eſt, affirmabit. Sed contrà unusquiſque æquus rerum æſtimator illud imperium omnium conſtantius eſſe non negabit, quod parta tantùm tueri, nec aliena appetere poteſt, quodque propterea bellum omnibus modis declinare, & pacem tueri ſummo ſtudio conatur.

§. XXIX. Cæterùm fateor hujus imperii conſilia celari vix poſſe. Sed unusquiſque mecum etiam fatebitur multò ſatius eſſe, ut recta imperii conſilia hoſtibus pateant, quàm ut prava tyrannorum arcana clam civibus habeantur. Qui imperii negotia ſecretò agitare poſſunt, idem abſolutè in poteſtate habent, & ut hoſti in bello, ita civibus in pace inſidiantur. Quòd ſilentium imperio ſæpe ex uſu ſit, negare nemo poteſt, ſed quòd abſque eodem idem imperium ſubſiſtere nequeat, nemo unquam probabit. At contrà

Rem-

Rempublicam alicui absolutè credere, & simul libertatem obtinere, fieri nequaquam potest; atque adeò insscitia est, parvum damnum summo malo vitare velle. Verùm eorum, qui sibi imperium absolutum concupiscunt, hæc unica fuit cantilena, civitatis omnino interesse, ut ipsius negotia secretò agitentur, & alia hujusmodi, quæ quantò magis utilitatis imagine teguntur, tantò ad infensius servitium erumpunt.

§. XXX. Denique quamvis nullum, quod sciam, imperium his omibus, quas diximus, conditionibus institutum fuerit, poterimus tamen ipsâ etiam experientiâ ostendere, hanc Monarchici imperii formam optimam esse, si causas conservationis cujuscunque imperii non barbari, & ejusdem eversionis considerare velimus. Sed hoc non sine magno lectoris tædio hîc facere possem; attamen unum exemplum, quod memoriâ dignum videtur, silentio prætereire nolo; nempe Arragonensium imperium, qui singulari erga suos reges fide affecti, & pari constantiâ regni instituta inviolata servaverunt. Nam hi simulatque servile Maurorum jugum à cervicibus dejecerant, Regem sibi eligere statuerunt; quibus autem conditionibus non satis inter eosdem conveniebat, & hâc de causa summum Pontificem Romanum de eâ re consulere constituerunt. Hic, Christi profectò vicarium hac in re se gerens, eos castigavit, quòd non satis Hebræorum exemplo moniti Regem adeò obfirmato animo petere voluerint; sed si sententiam mutare nollent, suasit, ne Regem eligerent, nisi institutis priùs ritibus satis æquis, & ingenio gentis consentaneis, & apprimè ut supremum aliquod Concilium crearent, quod regibus, ut Lacedæmoniorum Ephori, opponeretur, & jus absolutum haberet lites dirimendi, quæ inter Regem, & cives orirentur. Hoc igitur consilium sequuti, jura, quæ ipsis omnium æquissima visa sunt, instituerunt, quorum summus interpres, & consequenter supremus judex non Rex; sed Concilium esset, quòd septendecim vocant, & cujus præses Justitia appellatur. Hic igitur Justitia & hi septendecim nullis suffragiis, sed sorte ad vitam electi, jus absolutum habent omnes sententias in civem quemcunque ab aliis Conciliis tam Politicis, quàm Ecclesiasticis, vel ab ipso Rege latas revocandi, & damnandi, ità ut quilibet

libet civis jus haberet ipſum etiam Regem coram hoc judicio vocandi. Præterea olim jus etiam habuerunt Regem eligendi, & poteſtate privandi; ſed multis poſt elapſis annis Rex Don Pedro, qui dicitur Pugio, ambiendo, largiendo, pollicitando, omniumque officiorum genere tandem effecit, ut hoc jus reſcinderetur, (quòd ſimulac obtinuit, manum pugione coram omnibus amputavit, vel, quòd faciliùs crediderim, læſit, addens, non ſine ſanguinis Regii impendio licere ſubditis Regem eligere) eâ tamen conditione: *ut potuerint, & poſſint arma capere contra vim quamcunque, quâ aliquis imperium ingredi in ipſorum damnum velit, imò contra ipſum Regem & principem futurum hæredem, ſi hoc modo (imperium) ingrediatur.* Quâ ſanè conditione præcedens illud jus non tam abroleverunt, quàm correxerunt. Nam ut Art. 5. & 6. Cap. 4. oſtendimus, Rex non jure civili; ſed jure belli dominandi potentiâ privari poteſt, vel ipſius vim vi ſolummodò repellere ſubditis licet. Præter hanc aliàs ſtipulati ſunt conditiones, quæ ad noſtrum ſcopum non faciunt. His ritibus ex omnium ſententiâ inſtructi incredibili temporis ſpatio inviolati manſerunt, pari ſemper fide Regum erga ſubditos, ac ſubditorum erga Regem. Sed poſtquam regnum Caſtellæ Ferdinando, qui omnium primus Catholicus nuncupatus fuit, hæreditate ceſſit, incepit hæc Arragonenſium libertas Caſtellanis eſſe inviſa, qui propterea ipſum Ferdinandum ſuadere non ceſſabant, ut jura illa reſcinderet. At ille, nondum imperio abſoluto aſſuetus, nihil tentare auſus, Conſiliariis hæc reſpondit: *præterquam quòd Arragonenſium Regnum iis, quas noverant, conditionibus acceperit, quòdque eaſdem ſervare ſanctiſſimè juraverit, & præterquam quòd inhumanum ſit fidem datam ſolvere, ſe in animum induxiſſe, ſuum Regnum ſtabile fore, quamdiu ſecuritatis ratio non major Regi, quàm ſubditis eſſet, ità ut nec Rex ſubditis, nec contrà ſubditi Regi præponderarent; nam ſi alterutra pars potentior evadat, pars debilior non tantùm priſtinam æqualitatem recuperare, ſed dolore accepti damni in alteram contrà referre conabitur, unde vel alterutrius, vel utriuſque ruina ſequeretur.* Quæ ſanè ſapientia verba non ſatis mirari poſſem, ſi prolata fuiſſent à Rege, qui ſervis, non liberis hominibus imperare conſueviſſet. Retinuerunt igitur

Arra-

Arragonenſes poſt Ferdinandum libertatem, non jam jure; ſed Regum potentiorum gratiâ uſque ad Philippum ſecundum, qui eosdem feliciori quidem fato; ſed non minori ſævitiâ, quàm Confœderatorum Provincias oppreſſit. Et quamvis Philippus tertius omnia in integrum reſtituiſſe videatur; Arragonenſes tamen, quorum plerique cupidine potentioribus aſſentandi, (nam inſcitia eſt contra ſtimulos calces mittere) & reliqui metu territi, nihil præter libertatis ſpecioſa vocabula, & inanes ritûs retinuerunt.

§. XXXI. Concludimus itaque multitudinem ſatis amplam libertatem ſub Rege ſervare poſſe, modò efficiat, ut Regis potentia ſolâ ipſius multitudinis potentiâ determinetur, & ipſius multitudinis præſidio ſervetur. Atque hæc unica fuit Regula, quam in jaciendis imperii Monarchici fundamentis ſequutus ſum.

CAPUT VIII.

Quòd imperium Ariſtocraticum magno Patriciorum numero conſtare debet: de ejus præſtantiâ, & quòd ad abſolutum magis, quàm Monarchicum accedat, & hâc de cauſâ Libertati conſervandæ aptius ſit.

§. I. HUc uſque de Imperio Monarchico. Quâ autem ratione Ariſtocraticum inſtituendum ſit, ut permanere poſſit, hîc jam dicemus. Ariſtocraticum imperium illud eſſe diximus, quod non unus; ſed quidam ex multitudine ſelecti tenent, quos impoſterum Patricios appellabimus. Dico expreſſè, *quod quidam ſelecti tenent.* Nam hæc præcipua eſt differentia inter hoc, & Democraticum imperium, quòd ſcilicet in Imperio Ariſtocratico gubernandi jus à ſolâ electione pendeat: in Democratico autem maximè à jure quodam innato, vel fortunâ adepto; (ut ſuo loco dicemus) atque adeò, tametſi imperii alicujus integra multitudo in numerum Patriciorum recipiatur, modò illud jus hæreditarium non ſit, nec lege aliquâ communi ad alios deſcendat, imperium tamen Ariſtocraticum omnino erit. Quandoquidem nulli, niſi expreſſè

preſſè electi, in numerum Patriciorum recipiuntur. At ſi hi duo tantummodò fuerint, alter altero potior eſſe conabitur, & imperium facilè, ob nimiam unicujuſque potentiam, in duas partes dividetur & in tres, aut quatuor, aut quinque, ſi tres, aut quatuor, aut quinque id tenuerint: ſed partes eò debiliores erunt, quò in plures ipſum imperium delatum fuerit: ex quo ſequitur, in imperio Ariſtocratico, ut ſtabile ſit, ad minimum Patriciorum numerum determinandum, neceſſariò habendam eſſe rationem magnitudinis ipſius imperii.

§. II. Ponatur itaque pro mediocris imperii magnitudine ſatis eſſe, ut centum optimi viri dentur, in quos ſumma imperii poteſtas delata ſit, & quibus conſequenter jus competat Collegas Patricios eligendi, quando eorum aliquis vitâ exceſſit. Hi ſanè omni modo conabuntur, ut eorum liberi, vel qui iis ſanguine proximi ſunt, ſibi ſuccedant: unde fiet, ut ſumma imperii poteſtas ſemper penes eos erit, quos fortuna Patriciis liberos, aut conſanguineos dedit, & quia ex centum hominibus, qui fortunæ cauſâ ad honores aſcendunt, vix tres reperiuntur, qui arte, & Conſilio pollent, vigentque: Fiet ergo, ut imperii poteſtas non penes centum; ſed penes duos tantummodò, aut tres ſit, qui animi virtute pollent, quique facilè omnia ad ſe trahere; & unuſquiſque more humanæ cupidinis viam ad Monarchiam ſternere poterit: atque adeò, ſi rectè calculum ineamus; neceſſe eſt, ut ſumma poteſtas imperii, cujus magnitudinis ratio centum optimatum ad minimum exigit, in quinquies mille ad minimum Parricios deferatur. Hac enim ratione nunquam deërit, quin centum reperiantur animi virtute excellentes, poſito ſcilicet, quòd ex quinquaginta, qui honores ambiunt, eoſque adipiſcuntur, unus ſemper reperiatur optimis non inferior, præter alios, qui optimorum virtutes æmulantur, quique propterea digni etiam ſunt, qui regant.

§. III. Solent frequentiùs Patricii cives eſſe unius urbis, quæ caput totius imperii eſt, ità ut Civitas, ſive Reſpublica ex eâdem habeat vocabulum, ut olim Romana, hodie Veneta, Genuenſis, &c. At Hollandorum Reſpublica nomen ex integrâ Provinciâ habet, ex quo oritur, ut hujus imperii ſubditi majori libertate gau-

gaudeant. Jam antequam fundamenta, quibus hoc imperium Ariſtocraticum niti debet, determinare poſſimus, notanda eſt differentia inter imperium, quod in unum, & in id, quòd in ſatis magnum Concilium transfertur, quæ ſanè permagna eſt. Nam primò unius hominis potentia integro imperio ſuſtinendo *(ut Art.* 5. *Cap.* 6. *diximus)* longè impar eſt, quod ſine manifeſto aliquo abſurdo de Concilio ſatis magno enunciare nemo poteſt: qui enim Concilium ſatis magnum eſſe affirmat, ſimul negat idem imperio ſuſtinendo eſſe impar. Rex igitur Conſiliariis omninò indiget, Concilium autem hujuſmodi minimè. Deinde Reges mortales ſunt, Concilia contrà æterna: atque adeò imperii potentia, quæ ſemel in Concilium ſatis magnum tranſlata eſt, nunquam ad multitudinem redit, quod in imperio Monarchico locum non habet, ut Art. 25. Cap. præced. oſtendimus. Tertiò Regis imperium vel ob ejus pueritiam, ægritudinem, ſenectutem, vel aliis de cauſis ſæpè precarium eſt; hujusmodi autem Concilii potentia ècontra una, eademque ſemper manet. Quartò unius hominis voluntas varia admodùm, & inconſtans eſt: & hâc de cauſâ imperii Monarchici omne quidem jus eſt Regis explicata voluntas: *(ut in Art.* 1. *Cap. præced. diximus)* at non omnis Regis voluntas jus eſſe debet, quòd de voluntate Concilii ſatis magni dici nequit. Nam quandoquidem ipſum Concilium *(ut modò oſtendimus)* nullis Conſiliariis indiget, debet neceſſariò omnis ejus explicata voluntas jus eſſe. Ac proinde concludimus, imperium, quòd in Concilium ſatis magnum transfertur, abſolutum eſſe, vel ad abſolutum maximè accedere. Nam ſi quod imperium abſolutum datur, illud reverâ eſt, quod integra multitudo tenet.

§. IV. Attamen quatenus hoc imperium Ariſtocraticum nunquam *(ut modò oſtenſum)* ad multitudinem redit, nec ulla in eo multitudini conſultatio; ſed abſolutè omnis ejuſdem Concilii voluntas jus eſt, debet omninò ut abſolutum conſiderari, & conſequenter ejus fundamenta ſola ejuſdem Concilii voluntate, & judicio niti debent; non autem multitudinis vigilantiâ, quandoquidem ipſa tam à conſiliis, quàm ſuffragiis ferendis arcetur. Cauſa igitur, cur in praxi imperium abſolutum non ſit, nulla alia eſſe poteſt,

teſt, quàm quia multitudo imperantibus formidoloſa eſt, quæ propterea aliquam ſibi libertatem obtinet, quam, ſi non expreſſâ lege, tacitè tamen ſibi vendicat, obtinetque.

§. V. Apparet itaque hujus imperii conditionem optimam fore, ſi ità inſtitutum fuerit, ut ad abſolutum maximè accedat, hoc eſt, ut multitudo, quantum fieri poteſt, minùs timenda ſit, nullamque libertatem obtineat, niſi quæ ex ipſius imperii conſtitutione ipſi neceſſariò tribui debet, quæque adeò non tam multitudinis, quàm totius imperii jus ſit, quod ſoli Optimates ut ſuum vendicant, conſervantque; hoc enim modo praxis cum theoriâ maximè conveniet, ut ex Art. præced. patet, & per ſe etiam manifeſtum eſt: nam dubitare non poſſumus, imperium eò minùs penes Patricios eſſe, quò plura ſibi plebs jura vendicat, qualia ſolent in inferiori Germania opificum Collegia, *Gilden* vulgò dicta, habere.

§. VI. Neque hinc, quòd ſcilicet imperium in Concilium abſolutè delatum eſt, ullum ab eodem infenſi ſervitii periculum plebi metuendum. Nam Concilii adeò magni voluntas, non tam à libidine, quàm à ratione determinari poteſt; quippe homines ex malo affectu diverſi trahuntur, nec unâ veluti mente duci poſſunt, niſi quatenus honeſta appetunt, vel ſaltem quæ ſpeciem honeſti habent.

§. VII. In determinandis igitur imperii Ariſtocratici fundamentis apprimè obſervandum eſt, ut eadem ſolâ voluntate, & potentiâ ſupremi ejuſdem Concilii nitantur, ità ut ipſum Concilium, quantum fieri poteſt, ſui juris ſit, nullumque à multitudine periculum habeat. Ad hæc fundamenta, quæ ſcilicet ſolâ ſupremi Concilii voluntate, & potentiâ nitantur, determinandum, fundamenta pacis, quæ imperii Monarchici propria, & ab hoc imperio aliena ſunt, videamus. Nam ſi his alia æquipollentia fundamenta imperio Ariſtocratico idonea ſubſtituerimus, & reliqua, ut jam jacta ſunt, reliquerimus, omnes abſque dubio ſeditionum cauſæ ſublatæ erunt, vel ſaltem hoc imperium non minùs ſecurum, quàm Monarchicum; ſed contrà eò magis ſecurum, & ipſius conditio eò melior erit, quò magis quam Monarchicum abſque pacis, & libertatis detrimento (*vid. Art. 3. & 6. hujus Cap.*) ad abſolutum

accedit; nam quò jus ſummæ poteſtatis majus eſt, eò imperii forma cum rationis dictamine màgis convenit, (*per Art.* 5. *Cap.* 3.) & conſequenter paci, & libertati conſervandæ aptior eſt. Percurramus igitur, quæ Cap. 6. Art. 9. diximus, ut illa, quæ ab hoc aliena ſunt, rejiciamus, & quæ ei congrua ſunt, videamus.

§. VIII. Quòd primò neceſſe ſit, urbem unam, aut plures condere, & munire, nemo dubitare poteſt. Sed illa præcipuè munienda eſt, quæ totius imperii eſt caput, & præterea illæ, quæ in limitibus imperii ſunt. Illa enim quæ totius imperii caput eſt, juſque ſummum habet, omnibus potentior eſſe debet. Cæterùm in hoc imperio ſuperfluum omninò eſt, ut incolæ omnes in familias dividantur.

§. IX. Ad militiam quod attinet; quoniam in hoc imperio non inter omnes; ſed tantùm inter Patricios æqualitas quærenda eſt, & præcipuè Patriciorum potentia major eſt, quàm plebis; certum eſt, ad leges, ſeu jura fundamentalia hujus imperii non pertinere, ut militia ex ullis aliis, quàm ex ſubditis, formetur. Sed hoc apprimè neceſſe eſt, ut nullus in Patriciorum numerum recipiatur, niſi qui artem militarem rectè noverit. Subditos autem extra militiam eſſe, ut quidam volunt, inſcitia ſanè eſt. Nam præterquam quòd militiæ ſtipendium, quod ſubditis ſolvitur, in ipſo regno manet, cùm contrà id, quod militi extraneo ſolvitur, omne pereat: accedit, quòd maximum imperii robur debilitaretur. Nam certum eſt, illos ſingulari animi virtute certare, qui pro aris, & focis certant. Unde etiam apparet, illos etiam non minùs errare, qui belli duces, tribunos, centuriones &c. ex ſolis Patriciis eligendos ſtatuunt. Nam quâ virtute ii milites certabunt, quibus omnis gloriæ, & honores adipiſcendi ſpes adimitur. Verùm contrà legem ſtabilire, ne Patriciis militem extraneum liceat conducere, quando res poſtulat, vel ad ſui defenſionem, & ſeditiones coërcendas, vel ob alias quascunque cauſas, præterquam quòd inconſultum eſt, repugnaret etiam ſummo Patriciorum juri, de quo vide Ar. 3. 4. & 5. huj. Cap. Cæterùm unius exercitûs, vel totius militiæ dux in bello tantummodò, & ex ſolis Patriciis eligendus, qui annum ad ſummum imperium habeat,

nec continuari in imperio, nec poſtea eligi poſſit; quod jus cum in Monarchico, tum maximè in hoc imperio neceſſarium eſt. Nam, quamvis multò faciliùs, ut ſuprà jam diximus, imperium ex uno in alium, quàm ex libero Concilio in unum hominem transferri poſſit; fit tamen ſæpe, ut Patricii à ſuis Ducibus opprimantur, idque multò majori Reipublicæ damno; quippe quando Monarcha è medio tollitur, non imperii; ſed tantummodò Tyranni mutatio fit. At in imperio Ariſtocratico fieri id nequit abſque everſione imperii, & maximorum virorum clade. Cujus rei funeſtiſſima exempla Roma dedit. Cæterùm ratio, cur in imperio Monarchico diximus, quòd Militia ſine ſtipendio ſervire debeat, locum in hujusmodi imperio non habet. Nam, quandoquidem ſubditi tam à Conſiliis, quàm ſuffragiis ferendis arcentur, perinde ac peregrini cenſendi ſunt, qui propterea non iniquiore conditione, ac peregrini, ad militandum conducendi ſunt. Neque hîc periculum eſt, ut à Concilio præ reliquis agnoſcantur. Quinimo ne unusquiſque ſuorum factorum iniquus, ut fit, æſtimator ſit, conſultius eſt, ut Patricii certum præmium militibus pro ſervitio decernant.

§. X. Præterea hâc etiam de cauſâ, quòd omnes præter Patricios peregrini ſunt, fieri non poteſt abſque totius imperii periculo, ut agri, & domûs, & omne ſolum publici juris maneant, & ut incolis annuo pretio locentur. Nam ſubditi, qui nullam in imperio partem habent, facilè omnes in adverſis urbes deferent, ſi bona, quæ poſſident, portare quò vellent, liceret. Quare agri, & fundi hujus imperii ſubditis non locandi; ſed vendendi ſunt, eâ tamen conditione, ut etiam ex annuo proventu partem aliquotam ſingulis annis numerent, &c. ut in Hollandiâ fit.

§. XI. His conſideratis, ad fundamenta, quibus ſupremum Concilium niti, & firmari debet, pergo. Hujus Concilii membra in mediocri imperio quinque circiter millia eſſe debere oſtendimus Art. 2. hujus Cap. atque adeò ratio quærenda eſt, quâ fiat, ne paulatim ad pauciores deveniat imperium; ſed contrà, ut pro ratione incrementi ipſius imperii eorum augeatur numerus; deinde

deinde ut inter Patricios æqualitas, quantum fieri poteſt, ſervetur: ut præterea in Conciliis celeris detur expeditio; ut communi bono conſulatur; & denique ut Patriciorum, ſeu Concilii major ſit, quàm multitudinis, potentia; ſed ità, ut nihil inde multitudo detrimenti patiatur.

§. XII. Ad primum autem obtinendum maxima oritur difficultas ex invidiâ. Sunt enim homines, ut diximus, naturâ hoſtes, ità ut, quamvis legibus copulentur, adſtringanturque, retineant tamen naturam. Atque hinc fieri exiſtimo, ut imperia Democratica in Ariſtocratica, & hæc tandem in Monarchica mutentur. Nam planè mihi perſuadeo, pleraque Ariſtocratica imperia, Democratica priùs fuiſſe, quòd ſcilicet quædam multitudo novas ſedes quærens, iiſque inventis, & cultis, imperandi æquale jus integra retinuit, quia nemo imperium alteri dat volens. Sed, quamvis eorum unusquiſque æquum eſſe cenſeat, ut idem jus, quòd alteri in ipſum eſt, ipſi etiam in alterum ſit, iniquum tamen eſſe putat, ut peregrinis, qui ad ipſos confluunt, æquale cum ipſis jus ſit in imperio, quòd ſibi labore quæſierant, & ſui ſanguinis impendio occupaverant. Quod nec ipſi peregrini renuunt, qui nimirùm non ad imperandum, ſed ad res ſuas privatas curandum eò migrant, & ſatis ſibi concedi putant, ſi modò ipſis libertas concedatur res ſuas cum ſecuritate agendi. Sed interim multitudo ex peregrinorum confluentiâ augetur, qui paulatim illius gentis mores induunt, donec demum nulla aliâ diverſitate dignoſcuntur, quàm hoc ſolo, quòd adipiſcendorum honorum jure careant; & dum horum numerus quotidie creſcit, civium contrà multis de cauſis minuitur. Quippe ſæpe familiæ extinguuntur: alii ob ſcelera excluſi, & plerique ob rei domeſticæ anguſtiam Rempublicam negligunt, dum interea potentiores nihil ſtudeant, quàm ſoli regnare; & ſic paulatim imperium ad paucos, & tandem ob factionem ad unum redigitur. Atque his alias cauſas, quæ hujusmodi imperia deſtruunt, adjungere poſſemus; ſed, quia ſatis nota ſunt, iiſdem ſuperſedeo, & leges, quibus hoc imperium, de quo agimus, conſervari debet, ordine jam oſtendam.

§. XIII. Primaria hujus imperii Lex eſſe debet, quâ determinatur

natur ratio numeri Patriciorum ad multitudinem. Ratio enim (*per Art.* 1. *hujus Cap.*) inter hanc, & illos habenda eſt, ita ut pro incremento multitudinis Patriciorum numerus augeatur. Atque hæc (*per illa quæ Art.* 2. *hujus Cap. diximus*) debet eſſe circiter ut 1. ad 50, hoc eſt, ut inæqualitas numeri Patriciorum ad multitudinem nunquam major ſit. Nam (*per Art.* 1. *hujus Cap.*) ſervatâ imperii formâ, numerus Patriciorum multò major eſſe poteſt numero multitudinis. Sed in ſolâ eorum paucitate periculum eſt. Quâ autem ratione cavendum ſit, ut hæc lex inviolata ſervetur, ſuo loco mox oſtendam.

§. XIV. Patricii ex quibuſdam tantummodò familiis aliquibus in locis eliguntur. Sed hoc expreſſo jure ſtatuere pernicioſum eſt. Nam, præterquam quòd familiæ ſæpe extinguuntur, & quòd nunquam reliquæ abſque ignominiâ excluduntur, accedit, quod hujus imperii formæ repugnat, ut patricia dignitas hæreditaria ſit. (*per Art.* 1. *hujus Cap.*) Sed imperium hâc ratione Democraticum potiùs videtur, quale in Art: 12. hujus Cap. deſcripſimus, quod ſcilicet pauciſſimi tenent cives. Attamen contrà cavere, ne Patricii filios ſuos, & conſanguineos eligant, & conſequenter ne imperandi jus in quibuſdam familiis maneat, impoſſibile eſt, imò abſurdum, ut Art. 39. hujus Cap. oſtendam. Verùm, modò id nullo expreſſo jure obtineant, nec reliqui (qui ſcilicet in imperio nati ſunt, & patrio ſermone utuntur, nec uxorem peregrinam habent, nec infames ſunt, nunc ſerviunt, nec denique ſervili aliquo officio vitam ſuſtentant; inter quos etiam OEnopolæ & Cereviſiarii numerandi ſunt) excludantur, retinebitur nihilominùs imperii forma, & ratio inter Patricios, & multitudinem ſervari ſemper poterit.

§. XV. Quòd ſi præterea lege ſtatuatur, ut nulli juniores eligantur, nunquam fiet, ut paucæ familiæ jus imperandi retineant; atque adeò lege ſtatuendum, ut nullus, niſi qui ad annum ætatis trigeſimum pervenit, in catalogum eligendorum referri poſſit.

§. XVI. Tertiò deinde ſtatuendum eſt, ut Patricii omnes in quodam urbis loco ſtatutis certis temporibus congregari debeant, & qui, niſi morbo, aut publico aliquo negotio impeditus, Concilio

non

non interfuerit, ſenſibili aliquâ pecuniæ pœnâ mulctetur. Nam ni hoc fieret, plurimi ob rei domeſticæ curam publicam negligerent.

§. XVII. Hujus Concilii officium ſit leges condere, & abrogare, Collegas Patricios, & omnes imperii miniſtros eligere. Non enim fieri poteſt, ut is, qui ſupremum jus habet, ut hoc Concilium habere ſtatuimus, alicui poteſtatem det leges condendi, & abrogandi, quin ſimul jure ſuo cedat, & in illum id transferat, cui illam poteſtatem dedit; quippe, qui vel uno ſolo die poteſtatem habet leges condendi, & abrogandi, ille totam imperii formam mutare poteſt. At quotidiana imperii negotia aliis ad tempus ſecundùm conſtituta jura adminiſtranda tradere, retento ſupremo ſuo jure, poteſt. Præterea, ſi imperii miniſtri ab alio, quàm ab hoc Concilio eligerentur, tum hujus Concilii membra pupilli potiùs, quàm Patricii, appellandi eſſent.

§. XVIII. Huic Concilio ſolent quidam Rectorem, ſeu Principem creare, vel ad vitam, ut Veneti, vel ad tempus, ut Genuenſes; ſed tantâ cum cautione, ut ſatis appareat, id non ſine magno imperii periculo fieri. Et ſanè dubitare non poſſumus, quin imperium hâc ratione ad Monarchicum accedat, & quantum ex eorum hiſtoriis conjicere poſſumus, nullâ aliâ de cauſâ id factum eſt, quàm quia ante conſtituta hæc Concilia ſub Rectore, vel Duce, veluti ſub Rege, fuerant; atque adeò Rectoris creatio Gentis quidem; ſed non imperii Ariſtocratici abſolutè conſiderati, requiſitum neceſſarium eſt.

§. XIX. Attamen, quia ſumma hujus imperii poteſtas penes univerſum hoc Concilium, non autem penes unumquodque ejusdem membrum eſt; (nam aliàs cœtus eſſet inordinatæ multitudinis) neceſſe ergo eſt, ut Patricii omnes Legibus ità aſtringantur, ut unum veluti corpus, quod unâ regitur mente, componant. At leges per ſe ſolæ invalidæ ſunt, & facilè franguntur, ubi earum vindices ii ipſi ſunt, qui peccare poſſunt, quique ſoli exemplum ex ſupplicio capere debent, & collegas eâ de cauſâ punire, ut ſuum appetitum ejuſdem ſupplicii metu frenent, quòd magnum eſt abſurdum; atque adeò medium quærendum eſt, quo ſupremi hujus Concilii ordo, & imperii jura inviolata ſerventur, ità tamen, ut inter Patricios æqualitas, quanta dari poteſt, ſit.

§. XX. Cùm autem ex uno Rectore, vel Principe, qui etiam in Conciliis ſuffragium ferre poteſt, magna neceſſariò oriri debeat inæqualitas, præſertim ob potentiam, quæ ipſi neceſſariò concedi debet, ut ſuo officio ſecuriùs fungi poſſit; Nihil ergo, ſi omnia rectè perpendamus, communi ſaluti utilius inſtitui poteſt, quàm quòd huic ſupremo Concilio aliud ſubordinetur ex quibusdam Patriciis, quorum officium ſolummodò ſit obſervare, ut imperii jura, quæ Concilia, & imperii Miniſtros concernunt, inviolata ſerventur, qui propterea poteſtatem habeant delinquentem quemcunque imperii Miniſtrum, qui ſcilicet contra jura, quæ ipſius miniſterium concernunt, peccavit, coram ſuo judicio vocandi, & ſecundùm conſtituta jura damnandi; atque hos impoſterum Syndicos appellabimus.

§. XXI. Atque hi ad vitam eligendi ſunt. Nam ſi ad tempus eligerentur, ità ut poſtea ad alia imperii officia vocari poſſint, in abſurdum, quòd Art. 19. hujus Cap. modò oſtendimus, incideremus. Sed, ne longâ admodùm dominatione nimirùm ſuperbiant, nulli ad hoc miniſterium eligendi ſunt, niſi qui ad annum ætatis ſexageſimum, aut ultrà pervenerunt, & Senatorio officio (de quo infrà) functi ſunt.

§. XXII. Horum præterea numerum facilè determinabimus, ſi conſideremus hos Syndicos ad Patricios ſeſe habere, ut omnes ſimul Patricii ad multitudinem, quàm regere nequeunt, ſi juſto numero pauciores ſunt; ac proinde Syndicorum numerus ad Patriciorum numerum debet eſſe, ut horum numerus ad numerum multitudinis, hoc eſt, (*per Art. 13. hujus Cap.*) ut 1. ad 50.

§. XXIII. Præterea ut hoc Coneilium ſecurè ſuo officio fungi poſſit, militiæ pars aliqua eidem decernenda eſt, cui imperare, quid velit, poſſit.

§. XXIV. Syndicis, vel cuicunque ſtatûs miniſtro ſtipiendium nullum; ſed emolumenta decernenda ſunt talia, ut non poſſint, ſine magno ſuo damno Rempublicam pravè adminiſtrare. Nam, quòd hujus imperii miniſtris æquum ſit vocationis præmium decerni, dubitare non poſſumus, quia major hujus imperii pars plebs eſt, cujus ſecuritati Patricii invigilant, dum ipſa, nullam Reip. ſed tantum privatæ curam habet. Verùm quia contrà nemo

(ut

(*ut Art. 4. Cap. 7. diximus*) alterius cauſam defendit, niſi quatenus rem ſuam eo ipſo ſtabilire credit, res neceſſariò ità ordinandæ ſunt, ut miniſtri, qui Reipublicæ curam habent, tum maximè ſibi conſulant, cùm maximè communi bono invigilant.

§. XXV. Syndicis igitur, quorum officium, uti diximus, eſt obſervare, ut imperii jura inviolata ſerventur, hæc emolumenta decernenda ſunt, videlicet ut unusquiſque Paterfamilias, qui in aliquo imperii loco habitat quotannis nummum parvi valoris, nempe argenti unciæ quartam partem ſolvere teneatur Syndicis, ut inde numerum inhabitantium cognoſcere poſſint, atque adeò obſervare, quotam ejus partem Patricii efficiant. Deinde ut unusquiſque Patricius tyro, ut electus eſt, Syndicis numerare debeat ſummam aliquam magnam, Ex. gr. viginti, aut viginti quinque argenti libras. Præterea pecunia illa, quâ abſentes Patricii (qui ſcilicet convocato Concilio non interfuerunt) condemnantur, Syndicis etiam decernenda eſt, & inſuper ut pars bonorum delinquentium Miniſtrorum, qui eorum judicio ſtare tenentur, & qui certâ pecuniæ ſummâ mulctantur, vel quorum bona proſcribuntur, iiſdem dedicetur, non quidem omnibus; ſed iis tantummodò, qui quotidiè ſedent, & quorum officium eſt Syndicorum Concilium convocare, de quibus vide Art. 28. hujus Cap. Ut autem Syndicorum Concilium ſuo ſemper numero conſtet, ante omnia in ſupremo Concilio, ſolito tempore convocato, de eo quæſtio habenda eſt. Quòd ſi à Syndicis neglectum fuerit, ut tum ei, qui Senatui (de quo mox erit nobis dicendi locus) præeſt, ſupremum Concilium eâ de re monere incumbat, & à Syndicorum præſide ſilentii habiti cauſam exigere, &, quid de eâ ſupremi Concilii ſententia ſit, inquirere. Quòd ſi is etiam tacuerit, ut cauſa ab eo, qui ſupremo judicio præeſt, vel eo etiam tacente ab alio quocunque Patricio ſuſcipiatur, qui tam à Syndicorum, quàm Senatus, & Judicum præſide ſilentii rationem exigat. Denique ut lex illa, quâ juniores ſecluduntur ſtrictè etiam obſervetur, ſtatuendum eſt, ut omnes, qui ad annum ætatis trigeſimum pervenerunt, quique expreſſo jure à Regimine non ſecluduntur, ſuum nomen in catalogo coram Syndicis inſcribi curent, & accepti honoris

noris signum quoddam, statuto aliquo pretio, ab iisdem accipere, ut ipsis liceat certum ornatum, iis tantummodò concessum, induere, quo dignoscantur, & in honore à reliquis habeantur; & interim jure constitutum sit, ut in electionibus nulli Patricio quenquam nominare liceat, nisi cujus nomen in communi catalogo inscriptum est, idque sub gravi pœnâ. Et præterea ne cuiquam liceat officium, sive munus, ad quod subeundum eligitur, recusare. Denique, ut omnia absolutè fundamentalia imperii jura æterna sint, statuendum est, si quis in Supremo Concilio quæstionem de jure aliquo fundamentali moverit, utpote de prolongandâ alicujus Ducis exercitûs dominatione, vel de numero Patriciorum minuendo, & similibus, ut reus Majestatis sit, & non tantùm mortis damnetur, ejusque bona proscribantur; sed ut supplicii aliquod signum in æternam rei memoriam in publico emineat. Ad reliqua verò communia imperii jura stabiliendum sufficit, si modò statuatur, ut Lex nulla abrogari, nec nova condi possit, nisi priùs Syndicorum Concilium, & deinde supremi Concilii tres quartæ, aut quatuor quintæ partes in eo convenerint.

§. XXVI. Jus præterea suprèmum Concilium convocandi, resque decernendas in eodem proponendi penes Syndicos sit, quibus etiam primus locus in Concilio concedatur; sed sine jure suffragii. Verùm, antequam sedeant, jurare debent per salutem supremi illius Concilii, perque libertatem publicam, se summo studio conaturos, ut jura patria inviolata serventur, & communi bono consulatur; quo facto res proponendas ordine aperiant per ministrum, qui ipsis à Secretis est.

§. XXVII. Ut autem in decernendo, & in eligendis imperii ministris omnibus Patriciis æqua sit potestas, & celeris expeditio in omnibus detur, omninò probandus est ordo, quem Veneti observant, qui scilicet ad nominandos imperii ministros aliquot è Concilio sorte eligunt, & ab his ordine ministris eligendis nominatis, unusquisque Patricius sententiam suam, quâ propositum ministrum eligendum probat, vel reprobat, indicat calculis, ita ut postea ignoretur, quisnam hujus, aut illius sententiæ fuerit auctor: quo fit non tantùm, ut omnium Patriciorum in decernendo

auctoritas æqualis sit, & ut negotia citò expediantur; sed etiam ut unusquisque absolutam libertatem, quod in Conciliis apprimè necessarium est, habeat suam sententiam absque ullo invidiæ periculo proferendi.

§. XXVIII. In Syndicorum etiam, & reliquis Conciliis idem ordo observandus est, ut scilicet suffragia calculis ferantur. Jus autem Syndicorum Concilium convocandi, resque in eodem decernendas proponendi penes eorundem præsidem esse oportet, qui cum aliis decem, aut pluribus Syndicis quotidie sedeat, ad plebis de ministris querelas, & secretas accusationes audiendum, & accusatores, si res postulat, asservandos, & Concilium convocandum, etiam ante constitutum tempus, quo congregari solet, si in morâ periculum esse eorum aliquis judicaverit. At hic præses, & qui cum ipso quotidie congregantur, à supremo Concilio eligi, & quidem ex Syndicorum numero debent, non quidem ad vitam; sed in sex menses, nec continuari, nisi post tres, aut quatuor annos: atque his, ut suprà diximus, proscripta bona, & pecuniarum mulctæ, vel eorum pars aliqua decernenda est. Reliqua quæ Syndicos spectant suis in locis dicemus.

§. XXIX. Secundum Concilium, quod supremo subordinandum est, Senatum appellabimus, cujus officium sit publica negotia agere, ex. gr. imperii jura promulgare, urbium munimenta secundùm jura ordinare, diplomata militiæ dare, tributa subditis imponere, eaque collocare, externis legatis respondere, &, quò legati mittendi sunt, decernere; Sed ipsos legatos eligere supremi Concilii officium sit. Nam id apprimè observandum est, ne Patricius ad aliquod imperii ministerium vocari possit, nisi ab ipso supremo Concilio, ne ipsi Patricii Senatûs gratiam aucupari studeant. Deinde illa omnia ad supremum Concilium deferenda sunt, quæ præsentem rerum statum aliquâ ratione mutant, uti sunt belli, & pacis decreta; quare Senatûs decreta de bello, & pace ut rata sint, supremi Concilii auctoritate firmanda sunt: & hâc de causâ judicarem, ad solum supremum Concilium, non ad Senatum pertinere, nova tributa imponere.

§. XXX. Ad Senatorum numerum determinandum hæc consi-

deranda veniunt: primò ut omnibus Patriciis ſpes æquè magna ſit ordinem Senatorium recipiendi; deinde ut nihilominùs iidem Senatores, quorum tempus, in quod electi fuerant, elapſum eſt, non magno poſt intervallo continuari poſſint, ut ſic imperium à viris peritis, & expertis ſemper regatur, & denique ut inter Senatores plures reperiantur ſapientiâ, & virtute clari. Ad has autem omnes conditiones obtinendas, nihil aliud excogitari poteſt, quàm quòd lege inſtitutum ſit, ut nullus, niſi qui ad annum ætatis quinquageſimum pervenit, in ordinem Senatorium recipiatur, & ut quadringenti, hoc eſt, ut Patriciorum una circiter duodecima pars in annum eligatur, quo elapſo poſt biennium iidem continuari iterùm poſſint; hoc namque modo ſemper Patriciorum una circiter duodecima pars, brevibus tantummodò interpoſitis intervallis, munus Senatorium ſubibit; qui ſanè numerus unà cum illo, quem Syndici conficiunt, non multùm ſuperabitur à numero Patriciorum, qui annum ætatis quinquageſimum attigerunt, atque adeò omnibus Patriciis magna ſemper erit ſpes Senatorum, aut Syndicorum ordinem adipiſcendi, & nihilominùs iidem Patricii, interpoſitis tantummodò, uti diximus, brevibus intervallis, Senatorium ordinem ſemper tenebunt, & (*per illa quæ Art. 2. hujus Cap. diximus*) nunquam in Senatu deerunt viri præſtantiſſimi, qui conſilio, & arte pollent. Et, quia hæc lex frangi non poteſt abſque magnâ multorum Patriciorum invidiâ, nullâ aliâ cautione, ut valida ſemper ſit, opus eſt, quàm ut unusquiſque Patricius, qui eò, quò diximus, ætatis pervenit, Syndicis ejus rei teſtimonium oſtendat, qui ipſius nomen in catalogum eorum, qui Senatoriis muneribus adipiſcendis deſtinantur, reponent, & in ſupremo Concilio legent, ut locum in hoc ſupremo Concilio ſimilibus dicatum, & qui Senatorum loco proximus ſit cum reliquis ejuſdem ordinis occupet.

§. XXXI. Senatorum emolumenta talia eſſe debent, ut iis major utilitas ex pace, quàm ex bello ſit; atque adeò ex mercibus, quæ ex imperio in alias regiones, vel quæ ex aliis regionibus in imperium portantur, una centeſima, aut quinquageſima pars ipſis decernatur. Nam dubitare non poſſumus, quin hâc ratione pacem, quan-

quantum poterunt, tuebuntur, & bellum nunquam protrahere ſtudebunt. Nec ab hoc vectigali ſolvendo ipſi Senatores, ſi eorum aliqui mercatores fuerint, immunes eſſe debent: nam talis immunitas non ſine magnâ commercii jacturâ concedi poteſt, quod neminem ignorare credo. Porrò contrà ſtatuendum lege eſt, ut Senator, vel qui Senatoris officio functus eſt, nullo militiæ munere fungi poſſit, & præterea ut nullum ducem, vel prætorem, quòs tempore belli tantummodò exercitui præbendos diximus Art. 9. hujus Capitis, renunciare liceat ex iis, quorum Pater, vel avus Senator eſt, vel Senatoriam dignitatem intra biennium habuit. Nec dubitare poſſumus, quin Patricii, qui extra Senatum ſunt, hæc jura ſummâ vi defendant, atque adeò fiet, ut Senatoribus majus ſemper emolumentum ex pace, quàm ex bello ſit, qui propterea bellum nunquam, niſi ſummâ imperii neceſſitate cogente, ſuadebunt. At objici nobis poteſt, quòd hâc ratione, ſi ſcilicet Syndicis, & Senatoribus adeò magna emolumenta decernenda ſunt, imperium Ariſtocraticum non minùs oneroſum ſubditis erit, quàm quodcunque Monarchicum. Sed, præterquam quòd Regiæ aulæ majores ſumptûs requirunt, quæ tamen ad pacem tutandam non præbentur, & quòd pax nunquam nimis caro pretio emi poſſit; accedit primò, quòd id omne, quod in Monarchico imperio in unum, aut paucos, in hoc in plurimos confertur. Deinde Reges, eorumque miniſtri onera imperii cum ſubditis non ferunt, quod in hoc contrà accidit; nam Patricii, qui ſemper ex ditioribus eliguntur, maximam partem Reip. conferunt. Denique imperii Monarchici onera non tam ex Regiis ſumptibus, quàm ex ejuſdem arcanis oriuntur. Onera enim imperii, quæ pacis, & libertatis tutandæ cauſâ civibus imponuntur, quamvis magna ſint, ſuſtinentur tamen, & pacis utilitate feruntur. Quæ gens unquam tot, tamque gravia vectigalia pendere debuit, ut Hollandica? atque hæc non tantùm non exhauſta, quin contrà opibus adeò potens fuit, ut ejus fortunam omnes inviderent. Si itaque imperii Monarchici onera pacis cauſâ imponerentur, cives non premerent; ſed, uti dixi, ex hujusmodi imperii arcanis fit, ut ſubditi oneri ſuccumbant. Nempe quia Regum virtus magis in bello, quàm in pace valet, &

quòd ii, qui ſoli regnare volunt, ſummoperè conari debent, ut ſubditos inopes habeant, ut jam alia taceam, quæ prudentiſſimus Belga V. H. olim notavit, quia ad meum inſtitutum, quod ſolummodò eſt imperii cujuscunque optimum ſtatum deſcribere, non ſpectant.

§. XXXII. In Senatu aliqui ex Syndicis, à ſupremo Concilio electis, ſedere debent; ſed ſine ſuffragii jure: nempe ut obſervent, num jura, quæ illud Concilium ſpectant, rectè ſerventur, & ut ſupremum Concilium convocari curent, quando ex Senatu ad ipſum ſupremum Concilium aliquid deferendum eſt. Nam jus ſupremum hoc concilium convocandi, reſque in eo decernendas proponendi penes Syndicos, ut jam diximus, eſt. Sed, antequam de ſimilibus ſuffragia colligantur, qui Senatui tum præſidet, rerum ſtatum, & quænam de re propoſitâ ipſius Senatûs ſit ſententia, & quibus de cauſis, docebit, quo facto, ſuffragia ſolito ordine colligenda erunt.

§. XXXIII. Integer Senatus non quotidie; ſed, ut omnia magna Concilia, ſtatuto quodam tempore congregari debet. Sed quia interim imperii negotia exercenda ſunt, opus eſt ergo, ut Senatorum aliqua pars eligatur, quæ dimiſſo Senatu ejus vicem ſuppleat, cujus officium ſit, ipſum Senatum, quando eo opus eſt, convocare, ejuſque decreta de Republicâ exſequi, Epiſtolas Senatui, ſupremoque Concilio ſcriptas legere, & denique de rebus in Senatu proponendis conſulere. Sed, ut hæc omnia, & univerſi hujus Concilii ordo faciliùs concipiatur, rem totam accuratiùs deſcribam.

§. XXXIV. Senatores in annum, ut jam diximus, eligendi, in quatuor, aut ſex ordines dividendi ſunt, quorum primus primis tribus, vel duobus menſibus in Senatu ſedeat, quibus elapſis ſecundus ordo locum primi occupet, & ſic porrò, ſervatis vicibus, unusquiſque ordo eodem temporis intervallo primum locum in Senatu teneat, ita ut, qui primis menſibus primus, is ſecundis ultimus ſit. Præterea quot ordines, totidem Præſides, totidemque eorundem Vicarii, qui ipſorum vicem, quando opus eſt, ſuppleant, eligendi ſunt, hoc eſt, ex quocunque ordine duo eligendi ſunt, quorum alter Præſes, alter Vicarius ejuſdem ordinis ſit, & qui primi ordinis Præſes eſt, primis etiam menſibus Senatui præſideat,

vel

vel ſi abſit, ejus Vicarius ipſius vicem gerat, & ſic porrò reliqui, ſervato ut ſuprà ordine. Deinde ex primo ordine aliqui ſorte, vel ſuffragio eligendi ſunt, qui cum Præſide, & Vicario ejuſdem ordinis Senatûs vicem, poſtquam dimiſſus eſt, ſuppleant; idque eodem temporis intervallo, quo idem eorum ordo primum locum in Senatu tenet: quippe eo elapſo ex ſecundo ordine totidem iterum ſorte, vel ſuffragio eligendi ſunt, qui cum ſuo Præſide, & Vicario primi ordinis locum occupent, vicemque Senatûs ſuppleant; & ſic porrò reliqui, nec opus eſt, ut horum electio, quos ſcilicet ſorte, vel ſuffragio ſingulis tribus, vel duobus menſibus eligendos dixi, & quos impoſterum Conſules appellabimus, à ſupremo Concilio fiat. Nam ratio, quam in Art. 29. hujus Cap. dedimus, locum hîc non habet, & multò minùs illa Art. 17. Sufficiet igitur, ſi à Senatu, & Syndicis, qui præſentes adſunt, eligantur.

§. XXXV. Horum autem numerum determinare non ità accuratè poſſum. At tamen hoc certum eſt, plures eſſe debere, quàm ut facilè corrumpi poſſint: nam, tametſi de Rep. nihil ſoli decernant, poſſunt tamen Senatum protrahere, vel quod peſſimum eſſet, ipſum deludere proponendo illa, quæ nullius, & illa reticendo, quæ majoris momenti eſſent: ut jam taceam, quòd ſi nimis pauci eſſent, ſola unius, aut alterius abſentia moram publicis negotiis adferre poſſet. Sed, quoniam contrà hi Conſules ideò creantur, quia magna Concilia publicis negotiis quotidie vacare nequeunt, medium neceſſariò hîc quærendum eſt; & defectus numeri temporis brevitate ſupplendus. Atque adeò, ſi modò triginta, aut circiter in duos, aut tres menſes eligantur, plures erunt, quàm ut hoc brevi tempore corrumpi poſſint, & hâc de cauſâ etiam monui, ut ii, qui in eorum locum ſuccedunt, nullo modo eligendi ſint, niſi eo tempore, quo ipſi ſuccedunt, & alii diſcedunt.

§. XXXVI. Horum præterea officium eſſe diximus, Senatum, quando eorum aliqui, licet pauci ſint, opus eſſe judicaverint, convocare, reſque in eodem decernendas proponere, Senatum dimittere, ejuſque de negotiis publicis decreta exequi. Quo autem id fieri ordine debeat, ne res inutilibus quæſtionibus diu protrahantur,

paucis jam dicam. Nempe Consules de re in Senatu proponendâ, &, quid factu opus sit, consulant, &, si de eo omnibus una fuerit mens, tum convocato Senatu, & quæstione ordine expositâ, quænam eorum sit sententia, doceant, nec alterius sententiâ exspectatâ suffragia ordine colligant. Sed si Consules plures, quàm unam sententiam foverint, tum in Senatu illa de quæstione propositâ sententia prior dicenda erit, quæ à majori Consulum numero defendebatur, & si eadem à majori Senatûs, & Consulum parte non fuerit probata; sed quòd numerus dubitantium, & negantium simul major fuerit, quod ex calculis, ut jam monuimus, constare debet, tùm alteram sententiam, quæ pauciora, quàm prior, habuerit inter Consules suffragia, doceant, & sic porrò reliquas; quòd si nulla à majori totius Senatûs parte probata fuerit, Senatus in sequentem diem, aut in tempus breve dimittendus, ut Consules interim videant, num alia media, quæ magis possint placere, queant invenire; quòd si nulla alia invenerint, vel si, quæ invenerint, Senatûs major pars non probaverit, tum Senatoris cujusque sententia audienda est, in quam si etiam major Senatus pars non iverit, tum de unaquâque sententiâ iterùm suffragia ferenda, & non tantùm affirmantium, ut huc usque factum, sed dubitantium etiam, & negantium calculi numerandi sunt, & si plures reperientur affirmantes, quàm dubitantes, aut negantes, ut tum sententia rata maneat, & contrà irrita, si plures invenientur negantes, quàm dubitantes, aut affirmantes; sed si de omnibus sententiis major dubitantium quàm negantium, aut affirmantium fuerit numerus, ut tum Syndicorum Concilium Senatui adjungatur, qui simul cum Senatoribus suffragia ferant, calculis solummodò affirmantibus, aut negantibus, omissis iis, qui animum ambiguum indicant. Circa res, quæ ad supremum Concilium à Senatu deferuntur, idem ordo tenendus est. Hæc de Senatu.

§. XXXVII. Ad forum quod attinet, sive tribunal, non potest iisdem fundamentis niti, quibus illud, quod sub Monarchâ est, ut illud in Cap. 6. Art. 26. & seq. descripsimus. Nam (*per Art.* 14. *hujus Cap.*) cum fundamentis hujus imperii non convenit, ut ulla ratio stirpium, sive familiarum habeatur. Deinde quia

Judices

Judices ex ſolis Patriciis electi, metu quidem ſuccedentium Patriciorum contineri poſſent, ne in eorum aliquem iniquam aliquam ſententiam pronuncient, & forte ut neque eos ſecundùm merita punire ſuſtineant; ſed contrà in plebeïos omnia auderent, & locupletes quotidie in prædam raperent. Scio hâc de cauſâ Genuenſium conſilium à multis probari, quòd ſcilicet non ex Patriciis, ſed ex Peregrinis Judices eligant; ſed hoc mihi rem abſtractè conſideranti abſurdè inſtitutum videtur, ut Peregrini, & non Patricii ad Leges interpretandas vocentur. Nam quid aliud Judices ſunt, niſi Legum interpretes; quare mihi perſuadeo, Genuenſes in hoc etiam negotio magis ſuæ gentis ingenium, quàm ipſam hujus imperii naturam reſpexiſſe. Nobis igitur rem abſtractè conſiderantibus media excogitanda ſunt, quæ cum hujus regiminis forma optimè conveniunt.

§. XXXVIII. Sed ad Judicum numerum quod attinet, nullum ſingularem hujus ſtatûs ratio exigit; ſed, ut in imperio Monarchico, ità etiam in hoc apprimè obſervari debet, ut plures ſint, quàm ut à viro privato corrumpi poſſint. Nam eorum officium ſolummodò eſt providere, ne quiſquam privatus alteri injuriam faciat; atque adeò quæſtiones inter privatos tam Patricios, quàm plebeïos dirimere, & pœnas delinquentibus, etiam ex Patriciis, Syndicis, & Senatoribus, quatenus contra jura, quibus omnes tenentur, deliquerunt, ſumere. Cæterùm quæſtiones, quæ inter urbes, quæ ſub imperio ſunt moveri poſſunt, in ſupremo Concilio dirimendæ ſunt.

§. XXXIX. Temporis præterea, in quod eligendi ſunt, ratio eſt eadem in quocunque imperio, & etiam ut quotannis aliqua eorum pars cedat, & denique, quamvis non opus ſit, ut unusquiſque ex diverſâ ſit familiâ, neceſſe tamen eſt, ne duo ſanguine propinqui ſimul in ſubſelliis locum occupent: quod in reliquis Conciliis obſervandum eſt, præterquam in ſupremo, in quo ſufficit, ſi modò in electionibus lege cautum ſit, ne cuiquam propinquum nominare, nec de eo, ſi ab alio nominatus ſit, ſuffragium ferre liceat, & præterea ne ad imperii miniſtrum quemcunque nominandum duo propinqui ſortem ex urnâ tollant: hoc, inquam ſuffi-

cit

cit in Concilio, quod ex tam magno hominum numero componitur, & cui nulla ſingularia emolumenta decernuntur. Atque adeò imperio inde nihil erit detrimenti, ut abſurdum ſit, legem ferre, quâ omnium Patriciorum propinqui à ſupremo Concilio ſecludantur, ut Art. 14. hujus Cap. diximus. Quòd autem id abſurdum ſit, patet. Nam jus illud ab ipſis Patriciis inſtitui non poſſet, quin eo ipſo omnes abſolutè ſuo jure eatenus cederent, ac proinde ejuſdem juris vindices non ipſi Patricii; ſed plebs eſſet, quod iis directè repugnat, quæ in Art. 5. & 6. hujus Cap. oſtendimus. Lex autem illa imperii, quâ ſtatuitur, ut una, eademque ratio inter numerum Patriciorum, & multitudinis ſervetur, id maximè reſpicit, ut Patriciorum jus, & potentia conſervetur, ne ſcilicet pauciores ſint, quàm ut multitudinem poſſint regere.

§. XL. Cæterùm Judices à ſupremo Concilio ex ipſis Patriciis, hoc eſt, *(per Art. 17. hujus Cap.)* ex ipſis legum conditoribus eligendi ſunt, & ſententiæ, quas tulerunt tam de rebus civilibus, quàm criminalibus, ratæ erunt, ſi ſervato ordine, & abſque partium ſtudio prolatæ fuerint, de quâ re Syndicis lege permiſſum erit cognoſcere, judicare, & ſtatuere.

§. XLI. Judicum emolumenta eadem eſſe debent, quæ Art. 29. Cap. 6. diximus; nempe ut ex unâquâque ſententiâ, quam de rebus civilibus tulerint, ab eo, qui cauſâ cecidit, pro ratione totius ſummæ partem aliquotam accipiant. At circa ſententias de rebus criminalibus hæc ſola hîc differentia ſit, ut bona ab ipſis proſcripta, & quæcunque ſumma, quâ minora crimina mulctantur, ipſis ſolis deſignetur, eâ tamen conditione, ut nunquam iis liceat quenquam tormentis cogere quippiam confiteri, & hoc modo ſatis cautum erit, ne iniqui in plebeïos ſint, & ne metus cauſâ nimiùm Patriciis faveant. Nam, præterquam quòd hic metus ſolâ avaritiâ, eâque ſpecioſo juſtitiæ nomine adumbratâ, temperetur, accedit, quòd plures ſint numero, & quòd ſuffragia non palàm; ſed calculis ferantur, ità ut ſi quis ob damnatam ſuam cauſam ſtomachetur, nihil tamen habeat, quod uni imputare poſſit. Porrò ne iniquam, aut ſaltem ne abſurdam aliquam ſententiam pronuncient, & ne eorum quiſpiam dolo quicquam faciat, Syndicorum

dicorum reverentia prohibebit, præterquam quòd in tam magno Judicum numero unus semper, aut alter reperietur, quem iniqui formident. Ad plebeïos denique quod attinet, satis iis etiam cavebitur, si ad Syndicos iisdem appellare liceat, quibus, uti dixi, jure permissum sit de Judicum rebus cognoscere, judicare, & statuere. Nam certum est, quòd Syndici multorum Patriciorum odium vitare non poterunt, & plebi contrà gratissimi semper erunt, cujus applausum, quantum ipsi etiam poterunt, captare studebunt: quem in finem datâ occasione non omittent sententias contra leges fori prolatas revocare, & quemcunque judicem examinare, & pœnas ex iniquis sumere; nihil enim hoc magis multitudinis animos movet. Nec obstat, quòd similia exempla rarò contingere possint; sed contrà maximè prodest. Nam, præterquam quòd illa Civitas pravè constituta sit, ubi quotidie exempla in delinquentes eduntur, (ut Cap. 5. Art. 2. ostendimus) illa profectò rarissima esse debent, famâ quæ maximè celebrantur.

§. XLII. Qui in urbes, vel provincias Proconsules mittuntur, ex ordine Senatorio eligendi essent, quia Senatorum officium est de urbium munimentis, ærario, militiâ, &c. curam habere. Sed, qui in regiones aliquantulùm remotas mitterentur, Senatum frequentare non possent, & hâc de causâ ii tantummodò ex ipso Senatu vocandi sunt, qui urbibus in patrio solo conditis destinantur; at quos ad magis remota loca mittere volunt, ex iis eligendi sunt, quorum ætas à Senatorio gradu non abest. Sed neque hâc ratione paci totius imperii satis cautum fore existimo, si nimirùm urbes circumvicinæ jure suffragii omninò prohibeantur, nisi adeò impotentes omnes sint, ut palàm contemni possint, quòd sanè concipi nequit: atque adeò necesse est, ut urbes circumvicinæ jure Civitatis donentur, & ex unâquâque viginti, triginta, aut quadraginta (nam numerus pro magnitudine urbis major, aut minor esse debet) cives electi in numerum Patriciorum adscribantur, ex quibus tres, quatuor, aut quinque quotannis eligi debent, qui ex Senatu sint, & unus ad vitam Syndicus. Atque hi, qui ex Senatu sunt, Proconsules in urbem, ex quâ electi sunt, mittantur unà cum Syndico.

§. XLIII. Cæterùm Judices, in unâquâque urbe constituendi, ex Patriciis ejusdem urbis eligendi sunt. Sed de his non necesse judico prolixiùs agere, quia ad singularis hujus imperii fundamenta non pertinent.

§. XLIV. Qui in quocunque Concilio à Secretis sunt, & alii ejusmodi ministri, quia suffragii jus non habent, eligendi sunt ex plebe. Sed, quia hi diuturnâ negotiorum tractatione maximam rerum agendarum notitiam habent, fit sæpe, ut eorum consilio plus, quàm par est, deferatur, & ut status totius imperii ab eorum directione maximè pendeat; quæ res Hollandis exitio fuit. Nam id sine magnâ multorum optimorum invidiâ fieri nequit. Et sanè dubitare non possumus, quin Senatus, cujus prudentia non à Senatorum, sed ab administrorum consilio derivatur, maximè ab inertibus frequentetur, & hujus imperii conditio non multò melior erit, quàm imperii Monarchici, quod pauci Regis Consiliarii regunt, de quo vide Cap. 6. Art. 5. 6. & 7. Verumenimverò imperium, prout rectè, vel pravè institutum fuerit, eò minùs, aut magis erit huic malo obnoxium. Nam imperii libertas, quæ non satis firma habet fundamenta, nunquam sine periculo defenditur; quod Patricii ne subeant, ministros gloriæ cupidos ex plebe eligunt, qui postea vertentibus rebus, veluti hostiæ, cœduntur ad placandam eorum iram, qui libertati insidiantur. At ubi libertatis fundamenta satis firma sunt, ibi Patricii ipsi ejusdem tutandæ gloriam sibi expetunt, studentque, ut rerum agendarum prudentia ab eorum tantummodò consilio derivetur: quæ duo in jaciendis hujus imperii fundamentis apprimè observavimus, nempe ut plebs tam à consiliis, quàm à suffragiis ferendis arceretur: (*vid. Art. 3. & 4. hujus Cap.*) Atque adeò ut suprema imperii potestas penes omnes Patricios; auctoritas autem penes Syndicos, & Senatum, & jus denique Senatum convocandi, resque, ad communem salutem pertinentes, penes Consules, ex ipso Senatu electos, esset. Quòd si præterea statuatur, ut qui à Secretis in Senatu, vel in aliis Conciliis est, in quatuor, aut quinque ad summum annos eligatur, atque ei secundus, qui à Secretis in idem tempus designatus sit, adjungatur, qui interim laboris partem ferat; vel si in Senatu non unus,

sed

ſed plures à Secretis ſint, quorum alius his, alius aliis negotiis detinetur, nunquam fiet, ut adminiſtrorum potentia alicujus ſit momenti.

§. XLV. Ærarii Tribuni ex plebe etiam eligendi ſunt, qui ejus rationem non tantùm Senatui, ſed etiam Syndicis reddere teneantur.

§. XLVI. Ad Religionem quæ ſpectant, ſatis prolixè oſtendimus in Tract. Theologico-Politico. Quædam tamen tum omiſimus, de quibus ibi non erat agendi locus. Nempe quòd omnes Patricii ejuſdem Religionis, ſumpliciſſimæ ſcilicet, & maximè Catholicæ, qualem in eodem Tractatu deſcripſimus, eſſe debeant. Nam apprimè cavendum eſt, ne ipſi Patricii in ſectas dividantur, & ne alii his, alii aliis plus faveant, & deinde, ne ſuperſtitione capti libertatem ſubditis dicendi ea, quæ ſentiunt, adimere ſtudeant. Deinde quamvis unicuique libertas dicendi ea, quæ ſentit, danda eſt, magni tamen conventûs prohibendi ſunt: atque adeò iis, qui alii Religioni addicti ſunt, concedendum quidem eſt, tot, quot velint, templa ædificare; ſed parva, & certæ cujuſdam menſuræ, & in locis aliquantulum ab invicem diſſitis. At templa, quæ patriæ Religioni dicantur, multum refert, ut magna, & ſumptuoſa ſint, & ut præcipuo ipſius cultui ſolis Patriciis, vel Senatoribus manûs admovere liceat, atque adeò ut ſolis Patriciis liceat baptizare, matrimonium conſecrare, manûs imponere, & abſolutè ut templorum veluti Sacerdotes, patriæque Religionis vindices, & interpretes agnoſcantur. Ad concionandum autem, & eccleſiæ ærario, ejuſque quotidianis negotiis adminiſtrandis aliqui ex plebe ab ipſo Senatu eligendi ſunt, qui Senatûs quaſi vicarii ſint, cui propterea rationem omnium reddere teneantur.

§. XLVII. Atque hæc illa ſunt, quæ hujus imperii fundamenta ſpectant, quibus pauca alia minùs quidem principalia; ſed magni tamen momenti addam; nempe ut Patricii veſte quâdam, ſeu habitu ſingulari, quo dignoſcantur, incedant, & ut ſingulari quodam titulo ſalutentur, & unusquiſque ex plebe iis loco cedat, & ſi aliquis Patricius bona ſua aliquo infortunio, quod vitari nequit, amiſerit, idque liquidò docere poterit, ut in integrum ex publicis bo-

nis reſtituatur. Sed ſi contrà conſtet, eundem largitate, faſtu, ludo, ſcortis, &c. eadem conſumpſiſſe, vel quòd abſolutè plus debet, quàm eſt ſolvendo, ut dignitate cedat, & omni honore, officioque indignus habeatur. Qui enim ſeipſum, reſque ſuas privatas regere nequit, multò minùs publicis conſulere poterit.

§. XLVIII. Quos lex jurare cogit, à perjurio multò magis cavebunt, ſi per ſalutem patriæ, & libertatem, perque ſupremum Concilium, quam ſi per Deum jurare jubeantur. Nam, qui per Deum jurat, privatum bonum interponit, cujus ille æſtimator eſt: at qui jurejurando libertatem, patriæque ſalutem interponit, is per commune omnium bonum, cujus ille æſtimator non eſt, jurat, &, ſi pejerat, eo ipſe ſe patriæ hoſtem declarat.

§. XLIX. Academiæ, quæ ſumptibus Reip. fundantur, non tam ad ingenia colenda, quàm ad eadem coërcenda inſtituuntur. Sed in liberâ Rep. tum ſcientiæ, & artes optimè excolentur, ſi unicuique veniam petenti concedatur publicè docere, idque ſuis ſumptibus, ſuæque famæ periculo. Sed hæc, & ſimilia ad alium locum reſervo. Nam hîc de iis ſolummodò agere conſtitueram, quæ ad ſolum imperium Ariſtocraticum pertinent.

CAPUT IX.

§. I. HUc uſque hoc imperium conſideravimus, quatenus ab unâ ſolâ urbe, quæ totius imperii caput eſt, nomen habet. Tempus jam eſt, ut de eo agamus, quod plures urbes tenent, quodque ego præcedenti præferendum exiſtimo. Sed ut utriuſque differentiam, & præſtantiam noſcamus, ſingula præcedentis imperii fundamenta perluſtrabimus, &, quæ ab hoc aliena ſunt, rejiciemus, & alia, quibus niti debeat, eorum loco jaciemus.

§. II. Urbes itaque, quæ Civitatis jure gaudent, ità conditæ, & munitæ eſſe debent, ut unaquæque ſola ſine reliquis ſubſiſtere quidem non poſſit; ſed contrà etiam, ut à reliquis deficere nequeat abſque magno totius imperii detrimento; hoc enim modo ſemper munitæ manebunt. At quæ ità conſtitutæ ſunt, ut nec ſe conſervare, nec

nec reliquis formidini eſſe queant, eæ ſanè non ſui; ſed reliquarum juris abſolutè ſunt.

§. III. Quæ autem Art. 9. & 10. præc. Cap. oſtendimus, ex communi imperii Ariſtocratici naturâ deducuntur, ut & ratio numeri Patriciorum ad numerum multitudinis, & qualis eorum ætas, & conditio eſſe debeat, qui Patricii ſunt creandi, ità ut nulla circa hæc oriri poſſit differentia, ſive imperium una, ſive plures urbes teneant. At ſupremi Concilii alia hic debet eſſe ratio. Nam, ſi quæ imperii Urbs ſupremo hùic Concilio congregando deſtinaretur, illa reverâ ipſius imperii caput eſſet; atque adeò vel vices ſervandæ eſſent, vel talis locus huic Concilio eſſet deſignandus, qui Civitatis jus non habeat, quique ad omnes æquè pertineat. Sed tam hoc, quàm illud, ut dictu facilè, ità factu difficile eſt, ut ſcilicet tot hominum millia extra Urbes ſæpe ire, vel ut jam hoc, jam alio in loco convenire debeant.

§. IV. Verùm ut rectè, quid in hâc re fieri oporteat, & quâ ratione hujus imperii Concilia inſtituenda ſint, ex ipſius naturâ, & conditione concludere poſſimus, hæc conſideranda ſunt, nempe quòd unaquæque Urbs tantò plus juris, quàm vir privatus habeat, quantò viro privato potentior eſt; (*per Art. 4. Cap. 2.*) & conſequenter unaquæque hujus imperii Urbs, (*vide Art. 2. hujus Cap.*) tantum juris intra mœnia, ſeu ſuæ jurisdictionis limites habeat, quantum poteſt. Deinde quòd omnes urbes non ut confœderatæ; ſed ut unum imperium conſtituentes invicem ſociatæ, & unitæ ſint; ſed ità, ut unaquæque urbs tantò plus juris in imperium, quàm reliquæ obtineat, quantò reliquis eſt potentior; nam qui inter inæquales æqualitatem quærit, abſurdum quid quærit. Cives quidem æquales meritò æſtimantur, quia uniuscujuſque potentia cum potentia totius imperii comparata nullius eſt conſiderationis. At urbis cujuscunque potentia magnam partem potentiæ ipſius imperii conſtituit, & eò majorem, quò ipſa urbs major eſt; ac proinde omnes urbes æquales haberi nequeunt. Sed ut uniuscujuſque potentia, ità etiam ejuſdem jus ex ipſius magnitudine æſtimari debet. Vincula verò, quibus adſtringi debent, ut unum imperium componant,

apprimè ſunt (*per Art.* 1. *Cap.* 4.) Senatus, & forum. Quomodò autem eæ omnes his vinculis ità copulandæ ſunt, ut earum tamen unaquæque ſui juris, quantum fieri poteſt, maneat, breviter hîc oſtendam.

§. V. Nempe uniuscujusque urbis Patricios, qui pro magnitudine urbis (*per Art.* 3. *hujus Cap.*) plures, aut pauciores eſſe debent, ſummum in ſuam urbem jus habere concipio, eoſque in Concilio, quod illius urbis ſupremum eſt, ſummam habere poteſtatem urbem muniendi, ejuſque mœnia dilatandi, vectigalia imponendi, leges condendi, & abrogandi, & omnia abſolutè agendi, quæ ad ſuæ urbis conſervationem, & incrementum neceſſaria eſſe judicant. Ad communia autem imperii negotia tractanda Senatus creandus eſt iis omninò conditionibus, quas in præced. Cap. diximus; ità ut inter hunc Senatum, & illum nulla alia ſit differentia, quàm quòd hic authoritatem etiam habeat dirimendi quæſtiones, quæ inter urbes oriri poſſunt. Nam hoc in hoc imperio, cujus nulla urbs caput eſt, non poteſt, ut in illo, à ſupremo Concilio fieri. (*vide Art.* 38. *præc. Cap.*)

§. VI. Cæterùm in hoc imperio ſupremum Concilium convocandum non eſt, niſi opus ſit ipſum imperium reformare, vel in arduo aliquo negotio, ad quod peragendum Senatores ſe impares eſſe credent, atque adeò raro admodum fiet, ut omnes Patricii in Concilium vocentur. Nam præcipuum ſupremi Concilii officium eſſe diximus (Art. 17. præc. Cap.) leges condere, & abrogare, & deinde imperii miniſtros eligere. At leges, ſive communia totius imperii jura, ſimulatque inſtituta ſunt, immutari non debent. Quòd ſi tamen tempus, & occaſio ferat, ut novum aliquod jus inſtituendum ſit, aut jam ſtatutum mutandum, poteſt priùs de eodem Quæſtio in Senatu haberi, & poſtquam Senatus in eo convenerit, tum deinde legati ad urbes ab ipſo Senatu mittantur, qui uniuscujuſque urbis Patricios Senatûs ſententiam doceant, & ſi denique major urbium pars in ſententiam Senatûs iverit, ut tum ipſa rata maneat, aliàs irrita. Atque hic idem ordo in eligendis ducibus exercitûs, & legatis in alia regna mittendis, ut circa decreta de bello inferendo,

& pacis conditionibus acceptandis, teneri poteſt. Sed in reliquis imperii miniſtris eligendis, quia (ut in Art. 4. hujus Cap. oſtendimus) unaquæque urbs, quantum fieri poteſt, ſui juris manere debet, & in imperio tantò plus juris obtinere, quantò reliquis eſt potentior, hic ordo neceſſariò ſervandus eſt. Nempe, Senatores à Patriciis uniuscujuſque urbis eligendi ſunt; videlicet unius urbis Patricii in ſuo Concilio certum Senatorum numerum ex ſuis Civibus collegis eligent, qui ad numerum Patriciorum ejuſdem urbis ſe habeat, (*vide Art.* 30. *præced. Cap.*) ut 1 ad 12. Et quos primi, ſecundi, tertii, &c ordinis eſſe volunt, deſignabunt; & ſic reliquarum urbium Patricii pro magnitudine ſui numeri plures, paucioresve Senatores eligent, & in ordines diſtribuent, in quot Senatum dividendum eſſe diximus: (*vid. Art.* 34. *præced. Cap.*) quo fiet, ut in unoquoque Senatorum ordine pro magnitudine cujuscunque urbis plures, paucioresve ejuſdem Senatores reperiantur. At ordinum præſides, eorumque Vicarii, quorum numerus minor eſt, urbium numero à Senatu ex Conſulibus electis ſorte eligendi ſunt. In Judicibus præterea ſupremis imperii eligendis idem ordo retinendus eſt, ſcilicet ut uniuscujuſque urbis Patricii ex ſuis collegis pro magnitudine ſui numeri plures, aut pauciores Judices eligant. Atque adeò fiet, ut unaquæque urbs in eligendis miniſtris ſui juris, quantum fieri poteſt, ſit, & ut unaquæque quò potentior eſt, eò etiam plus juris tam in Senatu, quàm in foro obtineat, poſito ſcilicet, quòd Senatûs, & fori ordo in decernendis imperii rebus, & quæſtionibus derimendis talis omninò ſit, qualem Art. 33. & 34. præc. Cap. deſcripſimus.

§. VII. Cohortium deinde Duces, & militiæ Tribuni è Patriciis etiam eligendi ſunt. Nam quia æquum eſt, ut unaquæque urbs pro ratione ſuæ magnitudinis certum militum numerum ad communem totius imperii ſecuritatem conducere teneatur, æquum etiam eſt, ut è Patriciis uniuscujuſque urbis pro numero legionum, quas alere tenentur, tot tribunos, duces, ſigniferos &c. eligere liceat, quot ad illam militiæ partem, quam imperio ſuppeditant, ordinandam requiruntur.

§. VIII. Vectigalia nulla etiam à Senatu ſubditis imponenda; ſed

ſed ad ſumptûs, qui ad negotia publica peragenda ex Senatûs decreto requiruntur, non ſubditi; ſed urbes ipſæ ab ipſo Senatu ad cenſum vocandæ ſunt, ità ut unaquæque urbs pro ratione ſuæ magnitudinis ſumptuum partem majorem, vel minorem ferre debeat; quam quidem partem ejuſdem urbis Patricii à ſuis Urbanis eâ, quâ velint, viâ exigent, eos ſcilicet vel ad cenſum trahendo, vel, quod multò æquius eſt, iiſdem vectigalia imponendo.

§. IX. Porrò quamvis omnes hujus imperii urbes maritimæ non ſint, nec Senatores ex ſolis urbibus maritimis vocentur, poſſunt tamen iiſdem eadem emolumenta decerni, quæ Art. 31. præc. Cap. diximus; quem in finem pro imperii conſtitutione media excogitari poterunt, quibus urbes invicem arctiùs copulentur. Cæterùm reliqua ad Senatum, & forum, & abſolutè ad univerſum imperium ſpectantia, quæ in præc. Cap. tradidi, huic etiam imperio applicanda ſunt. Atque adeò videmus, quòd in imperio, quod plures urbes tenent, non neceſſe ſit ſupremo Concilio convocando certum tempus, aut locum deſignare. At Senatui, & foro locus dicandus eſt in pago, vel in urbe, quæ ſuffragii jus non habet. Sed ad illa, quæ ad ſingulas urbes ſpectant, revertor.

§. X. Ordo ſuprèmi Concilii unius urbis in eligendis urbis, & imperii miniſtris, & in rebus decernendis idem ille, quem Art. 27. & 36. præc. Cap. tradidi, eſſe debet. Nam eadem hîc, quàm illic, eſt ratio. Deinde Syndicorum Concilium huic ſubordinandum eſt, quod ad urbis Concilium ſe habeat, ut illud Syndicorum præced. Cap. ad Concilium totius imperii, & cujus officium intra limites jurisdictionis urbis idem etiam ſit, iisdemque emolumentis gaudeat. Quòd ſi urbs, & conſequenter Patriciorum numerus adeò exiguus fuerit, ut non niſi unum, aut duos Syndicos creare poſſit, qui duo Concilium facere nequeunt, tum Syndicis in cognitionibus pro re natâ Judices à ſupremo urbis Concilio deſignandi ſunt, vel quæſtio ad ſupremum Syndicorum Concilium deferenda. Nam ex unâquâque urbe aliqui etiam ex Syndicis in locum, ubi Senatus reſidet, mittendi ſunt, qui proſpiciant, ut jura univerſi imperii inviolata ſerventur, quique in Senatu abſque jure ſuffragii ſedeant.

§. XI. Urbium Conſules à Patriciis etiam ejuſdem urbis eligendi

di sunt, qui veluti Senatum illius urbis constituant. Horum autem numerum determinare non possum, nec etiam necesse esse existimo, quandoquidem ejusdem urbis negotia, quæ magni ponderis sunt, à supremo ejusdem Concilio, &, quæ ad universum imperium spectant, à magno Senatu peraguntur. Cæterùm si pauci fuerint, necesse erit, ut in suo Concilio palàm suffragia ferant, non autem calculis, ut in magnis Conciliis. In parvis enim Conciliis, ubi suffragia clam indicantur, qui aliquantò callidior est, facilè cujusque suffragii auctorem noscere, & minùs attentiores multis modis eludere potest.

§. XII. In unâquâque præterea urbe Judices à supremo ejusdem Concilio constituendi sunt, à quorum tamen sententiâ supremum imperii judicium appellare liceat, præterquam reo palàm convicto, & confitenti debitori. Sed hæc ulteriùs persequi non est opus.

§. XIII. Supereſt igitur, ut de urbibus, quæ sui juris non sunt, loquamur. Hæ si in ipsâ imperii provinciâ, vel regione conditæ, & earum incolæ ejusdem nationis & linguæ sint, debent necessariò, sicut i pagi, veluti urbium vicinarum partes censeri, ità ut earum unaquæque sub regimine hujus, aut illius urbis, quæ sui juris est, esse debeat. Cujus rei ratio est, quòd Patricii non à supremo hujus imperii; sed à supremo uniuscujusque urbis Concilio eligantur, qui in unâquâque urbe pro numero incolarum intra limites jurisdictionis ejusdem urbis plures, paucioresve sunt. (*per Art.* 5. *hujus Cap.*) Atque adeò necesse est, ut multitudo urbis, quæ sui juris non est, ad censum multitudinis alterius, quæ sui juris sit, referatur, & ab ejus directione pendeat. At urbes jure belli captæ, & quæ imperio accesserunt, veluti imperii Sociæ habendæ, & beneficio victæ obligandæ, vel Coloniæ, quæ jure Civitatis gaudeant, eò mittendæ, & gens aliò ducenda, vel omninò delenda est.

§. XIV. Atque hæc sunt, quæ ad hujus imperii fundamenta spectant. Quòd autem ejus conditio melior sit, quàm illius, quod nomen ab unâ urbe solâ habet, hinc concludo: quòd scilicet uniuscujusque urbis Patricii, more humanæ cupidinis, suum jus tam in urbe, quàm in Senatu retinere, &, si fieri potest, augere studebunt; atque adeò, quantum poterunt, conabuntur multitudinem ad se trahere, & consequenter imperium beneficiis magis, quàm metu agi-

tare, ſuumque numerum augere: quippe quò plures numero fuerint, eò plures (*per Art.* 16. *hujus Cap.*) ex ſuo Concilio Senatores eligent, & conſequenter (*per Art. eundem*) plus juris in imperio obtinebunt. Nec obſtat, quòd, dum unaquæque urbs ſibi conſulit, reliquisque invidet, ſæpius inter ſe diſcordent, & tempus diſputando conſumant. Nam, ſi, dum Romani deliberant, perit Sagunthus; dum contrà pauci ex ſolo ſuo affectu omnia decernunt, perit libertas, communeque bonum; ſunt namque humana ingenia hebetiora, quàm ut omnia ſtatim penetrare poſſint; ſed conſulendo, audiendo, & diſputando acuuntur, &, dum omnia tentant media, ea, quæ volunt, tandem inveniunt, quæ omnes probant, & de quibus nemo antea cogitâſſet. Quòd ſi quis regerat, hoc Hollandorum imperium non diu abſque Comite, vel Vicario, qui vicem Comitis ſuppleret, ſtetiſſe, hoc ſibi reſponſum habeat; quòd Hollandi ad obtinendam libertatem ſatis ſibi putaverunt Comitem deſerere, & imperii corpus capite obtruncare, nec de eodem reformando cogitârunt; ſed omnia ejus membra, uti antea conſtituta fuerant, reliquerunt, ità ut Hollandiæ comitatus ſine Comite, veluti corpus ſine capite, ipſumque imperium ſine nomine manſerit. Atque adeò minimè mirum, quòd ſubditi plerique ignoraverint, penes quos ſumma eſſet imperii poteſtas. Et quamvis hoc non eſſet, ii tamen, qui imperium reverâ tenebant, longè pauciores erant, quàm ut multitudinem regere, & potentes adverſarios opprimere poſſent. Unde factum, ut hi ſæpe impune iis inſidiari, & tandem evertere potuerint. Subitâ itaque ejuſdem Reipublicæ everſio non ex eo orta eſt, quòd tempus in deliberationibus inutiliter conſumeretur, ſed ex deformi ejuſdem imperii ſtatu, & paucitate regentium

§. XV. Eſt præterea hoc Ariſtocraticum imperium, quod plures urbes tenent, alteri præferendum, quia non opus eſt, ut in præcedenti cavere, ne univerſum ſupremùm ejus Concilium ſubito impetu opprimatur, quandoquidem (*per Art.* 9. *hujus Cap.*) eidem convocando nullum tempus, nec locus deſignatur. Sunt præterea potentes cives in hoc imperio minùs timendi. Nam, ubi plures urbes libertate gaudent, non ſufficit ei, qui viam ad imperium affectat, urbem unam occupare, ut imperium in reliquas obtineat. Eſt denique

nique in hoc imperio libertas pluribus communis. Nam ubi una sola urbs regnat, eatenus reliquarum bono consulitur, quatenus regnanti huic urbi expedit.

CAPUT X.

§. I. IMperii utriusque Aristocratici fundamentis explicatis, & ostensis, superest ut inquiramus, an aliquâ causâ culpabili possint dissolvi, aut in aliam formam mutari. Primaria causa, unde hujusmodi imperia dissolvuntur, illa est, quam acutissimus Florentinus Disc. 1. lib. 3. in Tit. Livium observat, videlicet quòd *imperio, sicuti humano corpori quotidie aggregatur aliquid, quod quandoque indiget curatione*; atque adeò necesse esse, ait, ut aliquando aliquid accidat, quo imperium ad suum principium, quo stabiliri incepit, redigatur. Quòd si intra debitum tempus non acciderit, vitia eò usque crescent, ut tolli nequeant, nisi cum ipso imperio. Atque hoc, inquit, vel casu contingere potest, vel consilio, & prudentiâ legum, aut viri eximiæ virtutis. Nec dubitare possumus, quin hæc res maximi sit ponderis, & quòd, ubi huic incommodo provisum non sit, non poterit imperium suâ virtute; sed solâ fortunâ permanere, & contrà ubi huic malo remedium idoneum adhibitum fuerit, non poterit ipsum suo vitio; sed solummodò inevitabili aliquo fato cadere, ut mox clariùs docebimus. Primum quod huic malo remedium occurrebat, hoc fuit, ut scilicet singulis lustris supremus aliquis Dictator in mensem unum, aut duos creetur, cui jus esset de Senatorum, & cujuscunque ministri factis cognoscendi, judicandi, & statuendi & consequenter imperium ad suum principium restituendi. Sed qui imperii incommoda vitare studet, remedia adhibere debet, quæ cum imperii naturâ conveniant, & quæ ex ipsius fundamentis deduci queant, aliàs in Scyllam incidet, cupiens vitare Charybdin. Est quidem hoc verum, quòd omnes, tam qui regunt, quàm qui reguntur, metu supplicii, aut damni contineri debeant, ne impunè, vel cum lucro peccare liceat; sed contrà certum etiam est, quòd si hic metus bonis, & malis hominibus communis fuerit, versetur necessariò imperium in summo periculo. Cùm igitur Dictatoria potestas absoluta sit, non potest non esse omnibus formidabilis,

bilis, præſertim ſi ſtatuto tempore, ut requiritur, Dictator crearetur, quia tum unusquiſque gloriæ cupidus eum honorem ſummo ſtudio ambiret, & certum eſt, quod in pace non tam virtus, quàm opulentia ſpectatur, ità ut quò quiſque ſuperbior, eò faciliùs honores adipiſcatur: & fortè hâc de cauſâ Romani nullo conſtituto tempore; ſed fortuitâ quâdam neceſſitate coacti Dictatorem facere conſueverant. At nihilominùs tumor Dictatoris, ut Ciceronis verba referam, bonis injucundus fuit. Et ſanè, quandoquidem hæc Dictatoria poteſtas Regia abſolutè eſt, poteſt non abſque magno Reip. periculo imperium aliquando in Monarchicum mutari, tametſi in tempus, quantumvis breve, id fiat. Adde quòd, ſi ad creandum Dictatorem nullum certum tempus deſignatum ſit, ratio tum nulla temporis intercedentis ab uno ad alium, quam maximè ſervandam eſſe, diximus, haberetur, & quòd res etiam vaga admodùm eſſet, ut facilè negligeretur. Niſi itaque hæc Dictatoria poteſtas æterna ſit, & ſtabilis, quæ ſervatâ imperii formâ in unum deferri nequit; erit ergo ipſa, & conſequenter Reip. ſalus, & conſervatio admodùm incerta.

§. II. At contrà dubitare nequaquam poſſumus, (*per Art.* 3. *Cap.* 6.) quòd ſi poſſit ſervatâ imperii formâ Dictatoris gladius perpetuus, & malis tantummodò formidini eſſe, nunquam eò usque vitia invaleſcere poterunt, ut tolli, aut emendari nequeant. Ut igitur has omnes conditiones obtineamus, Syndicorum Concilium Concilio ſupremo ſubordinandum diximus, ut ſcilicet dictatorius ille gladius perpetuus eſſet non penes perſonam aliquam naturalem; ſed civilem, cujus membra plura ſint, quàm ut imperium inter ſe poſſint dividere, (*per Art.* 1. *&* 2. *præc. Cap.*) vel in ſcelere aliquo convenire: ad quod accedit, quòd à reliquis imperii muneribus ſubeundis prohibeantur, quòd militiæ ſtipendia non ſolvant, & quòd denique ejus ætatis ſint, ut præſentia, ac tuta, quàm nova, & periculoſa malint. Quare imperio nullum ab iis periculum, & conſequenter non bonis; ſed malis tantummodò formidini eſſe queunt, & reverâ erunt. Nam, ut ad ſcelera peragenda debiliores, ità ad malitiam coërcendam potentiores ſunt. Nam præterquam quòd principiis obſtare poſſunt; (quia Concilium æternum eſt) ſunt præterea

numero

numero ſatis magno, ut ſine invidiæ timore potentem unum, aut alterum accuſare, & damnare audeant; præſertim quia ſuffragia calculis feruntur, & ſententia nomine totius Concilii pronunciatur.

§. III. At Romæ plebis Tribuni perpetui etiam erant; verùm impares, ut Scipionis alicujus potentiam premerent: & præterea id, quod ſalutare eſſe judicabant, ad ipſum Senatum deferre debebant, à quo etiam ſæpe eludebantur, efficiendo ſcilicet, ut plebs ei magis faveret, quem ipſi Senatores minùs timebant. Ad quod accedit, quòd Tribunorum contrà Patricios auctoritas plebis favore defenderetur, & quotiescunque ipſi plebem vocabant, ſeditionem potiùs movere, quàm Concilium convocare viderentur. Quæ ſanè incommoda in imperio, quod in præcedd. duob. Capp. deſcripſimus, locum non habet.

§. IV. Verùm enim verò hæc Syndicorum auctoritas hoc ſolummodò præſtare poterit, ut imperii forma ſervetur; atque adeò prohibere, ne leges infringantur, & ne cuiquam cum lucro peccare liceat; ſed nequaquam efficere poterit, ne vitia, quæ lege prohiberi nequeunt, gliſcant, ut ſunt illa, in quæ homines otio abundantes incidunt, & ex quibus imperii ruina non rarò ſequitur. Homines enim in pace depoſito metu paulatim ex ferocibus barbaris civiles, ſeu humani, & ex humanis molles, & inertes fiunt, nec alius alium virtute; ſed faſtu, & luxu excellere ſtudet; unde patrios mores faſtidire, alienos induere, hoc eſt, ſervire incipiunt.

§. V. Ad hæc mala vitandum multi conati ſunt leges ſumptuarias condere; ſed fruſtrà. Nam omnia jura, quæ abſque ullâ alterius injuriâ violari poſſunt, ludibrio habentur, & tantum abeſt, ut hominum cupiditates, & libidinem frenent, quin contrà eaſdem intendant: nam nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata. Nec unquam hominibus otioſis ingenium deeſt ad eludenda jura, quæ inſtituuntur de rebus, quæ abſolutè prohiberi nequeunt, ut ſunt convivia, ludi, ornatûs, & alia hujuſmodi, quorum tantummodò exceſſus malus, & ex uniuscujuſque fortunâ æſtimandus eſt, ità ut lege nullâ univerſali determinari queat.

§. VI. Concludo itaque, communia illa pacis vitia, de quibus hîc loquimur, nunquam directè; ſed indirectè prohibenda eſſe, talia

talia ſcilicet imperii fundamenta jaciendo, quibus fiat, ut plerique, non quidem ſapienter vivere ſtudeant ; (nam hoc impoſſibile eſt,) ſed ut iis ducantur affectibus, ex quibus Reip. major ſit utilitas. Atque adeò huic rei maximè ſtudendum, ut divites ſi non parci, avari tamen ſint. Nam non dubium eſt, quin, ſi hic avaritiæ affectus, qui univerſalis eſt, & conſtans, gloriæ cupidine foveatur, plerique rei ſuæ ſine ignominiâ augendæ ſummum ponant ſtudium, quo honores adipiſcantur, & ſummum dedecus vitent. Si itaque ad fundamenta utriuſque imperii Ariſtocratici, quæ præced. duobus Capp. explicui, attendamus, hoc ipſum ex iisdem ſequi videbimus. Numerus enim regentium in utróque adeò magnus eſt, ut divitum maximæ parti aditus ad regimen pateat, & ad imperii honores adipiſcendos. Quòd ſi præterea (uti diximus Art. 47. Cap. 8.) ſtatuatur, ut Patricii, qui plus debent, quàm ſunt ſolvendo, ordine Patricio deturbentur, & qui bona ſua infortunio perdiderunt, ut in integrum reſtituantur, non dubium eſt, quin omnes, quantum poterunt, conabuntur bona ſua conſervare. Peregrinos præterea habitûs nunquam concupiſcent, nec patrios faſtidient, ſi lege conſtituatur, ut Patricii, & qui honores ambiunt ſingulari veſte dignoſcantur : de quo vide Art. 25. & 47. Cap. 8. Et præter hæc alia in quocunque imperio cum naturâ loci, & gentis ingenio conſentanea excogitari poſſunt, & in eo apprimè vigilari, ut ſubditi magis ſponte, quàm lege coacti ſuum officium faciant.

§. VIII. Nam imperium, quod nihil aliud proſpicit, quàm ut homines metu ducantur, magis ſine vitiis erit, quàm cum virtute. Sed homines ità ducendi ſunt, ut non duci, ſed ex ſuo ingenio, & libero ſuo decreto vivere ſibi videantur ; atque adeò ut ſolo libertatis amore, & rei augendæ ſtudio, ſpeque imperii honores adipiſcendi retineantur. Cæterùm imagines, triumphi, & alia virtutis incitamenta magis ſervitutis, quàm libertatis ſunt ſigna. Servis enim non liberis virtutis præmia decernuntur. Fateor quidem homines his ſtimulis maximè incitari ; ſed ut hæc in initio viris magnis, ità poſtea creſcente invidiâ ignavis, & opum magnitudine tumidis decernuntur, magnâ omnium bonorum indignatione. Deinde qui parentum triumphos, & imagines oſtentant, injuriam ſibi fieri credunt, ni

reliquis

reliquis præferantur. Denique, ut alia taceam, hoc certum eſt, quòd æqualitas, quâ ſemel exutâ communis libertas neceſſariò perit, conſervari nullo modo poſſit, ſimulatque alicui Viro virtute claro ſingulares honores jure publico decernuntur.

§. IX. His poſitis, videamus jam, an hujusmodi imperia culpabili aliquâ cauſâ poſſint deſtrui. Verùm, ſi quod imperium æternum eſſe poteſt, illud neceſſariò erit, cujus ſemel rectè inſtituta jura inviolata manent. Anima enim imperii jura ſunt. His igitur ſervatis ſervatur neceſſariò imperium. At jura invicta eſſe nequeunt, niſi & ratione, & communi hominum affectu defendantur, aliàs ſi ſcilicet ſolo rationis auxilio nituntur, invalidæ ſanè ſunt, facileque vincuntur. Cùm itaque utriuſque imperii Ariſtocratici jura fundamentalia cum ratione, & communi hominum affectu convenire oſtenderimus, poſſumus ergo affirmare, ſi quæ ulla imperia, hæc neceſſariò æterna fore, vel nullâ culpabili cauſâ; ſed fato tantummodò aliquo inevitabili poſſe deſtrui.

§. X. At objici nobis adhuc poteſt, quòd, quamvis imperii jura in præced. oſtenſa ratione, & communi hominum affectu defendantur, poſſint nihilominùs aliquando vinci. Nam nullus affectus eſt, qui aliquando à fortiori, & contrario affectu non vincatur; timorem namque mortis à cupidine rei alienæ ſæpe vinci videmus. Qui hoſtem metu territi fugiunt, nullo alterius rei metu detineri poſſunt; ſed ſeſe in flumina præcipitant, vel in ignem ruunt, ut hoſtium ferrum fugiant. Quantumvis igitur civitas rectè ordinata, & jura optimè inſtituta ſint, in maximis tamen imperii anguſtiis, quando omnes, ut fit, terrore quodam panico capiuntur, tum omnes id ſolùm, quod præſens metus ſuadet, nullâ futuri, neque legum habitâ ratione, probant, omnium ora in Virum victoriis clarum vertuntur, eundemque legibus ſolvunt, atque ipſi imperium (peſſimo exemplo) continuant, totamque Rempublicam ipſius fidei committunt, quæ res ſanè Romani imperii exitii fuit cauſa. Sed ut huic Objectioni reſpondeam, dico primò, quòd in rectè conſtitutâ Republicâ ſimilis terror non oritur, niſi ex juſtâ cauſâ; atque adeò is terror, & confuſio ex eo orta nulli cauſæ, quæ prudentiâ humanâ vitari poterat, adſcribi poteſt. Deinde notandum, quòd in Repub.

qualem

qualem in præced. deſcripſimus, fieri non poteſt, *(per Art. 9. & 25. Cap. 8.)* ut unus, aut alter virtutis famâ ità excellat, ut omnium ora in ſe vertat. Sed neceſſe eſt, ut plures habeat æmulos, quibus plures alii faveant. Quamvis itaque ex terrore confuſio aliqua in Republicâ oriatur, leges tamen fraudare, atque aliquem contra jus ad imperium militare renunciare nemo poterit, quin ſtatim contentio alios petentium oriatur, quæ ut dirimatur, neceſſe tandem erit ad ſemel ſtatuta, & ab omnibus probata jura recurrere, atque res imperii ſecundum leges latas ordinare. Poſſum igitur abſolutè affirmare, cùm imperium, quod una ſola Urbs, tùm præcipuè illud, quod plures Urbes tenent, æternum eſſe, ſive nullâ internâ cauſâ poſſe diſſolvi, aut in aliam formam mutari.

CAPUT XI.

I. TRanſeo tandem ad tertium, & omninò abſolutum imperium, quod Democraticum appellamus. Hujus ab Ariſtocratico differentiam in hoc potiſſimùm conſiſtere diximus, quòd in eo à ſolâ ſupremi Concilii voluntate, & liberâ Electione pendeat, ut hic, aut ille Patricius creëtur, ità ut nemo jus ſuffragii, & munera imperii ſubeundi hæreditarium habeat, nemoque id jus ſibi poſcere jure poſſit, ut in hoc, de quo jam agimus, imperio fit. Nam omnes, qui ex parentibus civibus, vel qui in patrio illo ſolo nati, vel qui de Republicâ benè meriti ſunt, vel ob alias cauſas, ob quas Lex alicui jus civis dare jubet, ii, inquam, omnes jus ſuffragii in ſupremo Concilio, muneraque imperii ſubeunda jure ſibi poſcunt, nec denegare iis licet, niſi ob crimen, aut infamiam.

§. II. Si igitur jure inſtitutum ſit, ut Seniores tantummodò, qui ad certum ætatis annum pervenerunt, vel ut ſoli primogeniti, ſimulatque per ætatem licet, vel qui certam pecuniæ ſummam Reipublicæ contribuunt, jus ſuffragii in ſupremo Concilio, & imperii negotia tractandi habeant, quamvis hâc ratione fieri poſſet, ut ſupremum Concilium ex paucioribus civibus componeretur, quàm illud imperii Ariſtocratici, de quo ſuprà egimus, erunt nihilominùs hujusmodi imperia Democratica appellanda, quoniam eorum cives, qui ad regendam Rempublicam deſtinantur, non à ſupremo Con-

Concilio, ut optimi, eliguntur; ſed lege ad id deſtinantur. Et, quamvis hâc ratione hujusmodi imperia, ubi ſcilicet non qui optimi, ſed qui fortè fortunâ divites, vel qui primi nati ſunt, ad regimen deſtinantur, imperio Ariſtocratico cedere videantur, tamen ſi praxin, ſeu communem hominum conditionem ſpectemus, res eodem redibit. Nam Patriciis ii ſemper optimi videbantur, qui divites, vel ipſis ſanguine proximi, vel amicitiâ conjuncti ſunt. Et ſanè, ſi cum Patriciis ità comparatum eſſet, ut liberi ab omni affectu, & ſolo ſtudio publicæ ſalutis ducti, collegas Patricios eligerent, nullum eſſet imperium cum Ariſtocratico comparandum. Sed rem contrà omninò ſeſe habere, ſatis ſuperque ipſa experientia docuit, præſertim in oligarchiis, ubi Patriciorum voluntas ob defectum æmulantium maximè lege ſoluta eſt. Ibi enim ſtudio optimos à Concilio arcent Patricii, & eos ſibi ſocios in Concilio quærunt, qui ab eorum ore pendent, ità ut in ſimili imperio multò infeliciùs res ejus ſeſe habeant, propterea quòd Patriciorum Electio ab abſolutâ quorundam liberâ, ſive omni lege ſolutâ voluntate pendeat. Sed ad inceptum redeo.

III. Ex dictis in præced. Art. patet, nos poſſe imperii Democratici diverſa genera concipere, ſed meum inſtitutum non eſt de unoquoque; ſed de eo ſolummodò agere, in quo omnes abſolutè, qui ſolis legibus patriis tenentur, & præterea ſui juris ſunt, honeſteque vivunt, jus ſuffragii in ſuppremo Concilio habent, muneraque imperii ſubeundi. Dico expreſſè, qui *ſolis legibus patriis tenentur*, ut peregrinos ſecludam, qui ſub alterius imperio eſſe cenſentur. Addidi præterea, *quòd, præterquam quòd legibus imperii teneantur, in reliquis ſui juris ſint*, ut mulieres, & ſervos ſecluderem, qui in poteſtate virorum, & dominorum, ac etiam liberos & pupillos quamdiu ſub poteſtate parentum, & tutorum ſunt. Dixi denique, *honeſteque vivunt*, ut ii apprimè ſecluderentur, qui ob crimen, aut aliquod turpe vitæ genus infames ſunt.

IV. Sed forſan rogabit aliquis, num fœminæ ex naturâ, an ex inſtituto ſub poteſtate virorum ſint? Nam, ſi ex ſolo inſtituto id factum eſt, nulla ergo ratio nos coëgit fœminas à regimine ſecludere. Sed ſi ipſam experientiam conſulamus, id ex earum imbecil-

litate oriri videbimus. Nam nullibi factum est, ut viri, & fœminæ simul regnarent, sed ubicunque terrarum viri, & fœminæ reperiuntur, ibi viros regnare, & fœminas regi videmus, & hâc ratione utrumque sexum concorditer vivere. Sed contrà Amazonæ, quas olim regnasse famâ proditum est, viros in patrio solo morari non patiebantur; sed fœminas tantummodò alebant, mares autem, quos pepererant, necabant. Quòd si ex naturâ fœminæ viris æquales essent, & animi fortitudine, & ingenio, in quo maximè humana potentia, & consequenter jus consistit, æquè pollerent, sanè inter tot, tamque diversas nationes quædam reperirentur, ubi uterque sexus pariter regeret, & aliæ ubi à fœminis viri regerentur, atque ità educarentur, ut ingenio minùs possent: quod cum nullibi factum sit, affirmare omninò licet, fœminas ex naturâ non æquale cum viris habere jus; sed eas viris necessariò cedere, atque adeò fieri non posse, ut uterque sexus pariter regat, & multò minus, ut viri à fœminis regantur. Quòd si præterea humanos affectûs consideremus, quòd scilicet viri plerumque ex solo libidinis affectu fœminas ament, & earum ingenium, & sapientiam tanti æstiment, quantùm ipsæ pulchritudine pollent, & præterea quòd viri ægerrimè ferant, ut fœminæ, quas amant, aliis aliquo modo faveant, & id genus alia, levi negotio videbimus, non posse absque magno pacis detrimento fieri, ut viri, & fœminæ pariter regant. Sed de his satis.

Reliqua desiderantur.

TRACTATUS
De
INTELLECTUS
EMENDATIONE,
Et de viâ, quâ optimè in veram rerum
Cognitionem dirigitur.

ADMONITIO
Ad
LECTOREM.

TRactatus, quem de Intellectûs Emendatione, &c. imperfectum hîc tibi damus, Benevole Lector, jam multos ante annos ab Auctore fuit conscriptus. In animo semper habuit eum perficere: At, aliis negotiis præpeditus, & tandem morte abreptus, ad optatum finem perducere non potuit. Cùm verò multa præclara, atque utilia contineat, quæ Veritatis sincero indagatori non parùm è re futura esse, haudquaquam dubitamus, te iis privare noluimus; &, ut etiam multa obscura, rudia adhuc, & impolita, quæ in eo hinc inde occurrunt, condonare non graveris, horum ne inscius esses, admonitum te quoque esse voluimus. Vale.

TRACTATUS
De
INTELLECTUS
EMENDATIONE,

Et de viâ, quâ optimè in veram rerum Cognitionem dirigitur.

POstquam me Experientia docuit, omnia, quæ in communi vitâ frequenter occurrunt, vana, & futilia esse: cùm viderem omnia, à quibus, & quæ timebam, nihil neque boni, neque, mali in se habere, nisi quatenus ab iis animus movebatur; constitui tandem inquirere, an aliquid daretur, quod verum bonum, & sui communicabile esset, & à quo solo, rejectis cæteris omnibus, animus afficeretur; imò an aliquid daretur, quo invento, & acquisito, continuâ, ac summâ in æternum fruerer lætitiâ. Dico, *me tandem constituisse:* primò enim intuitu inconsultum videbatur, propter rem tunc incertam certam amittere velle: videbam nimirùm commoda, quæ ex honore, ac divitiis acquiruntur, & quòd ab iis quærendis cogebar abstinere, si seriam rei alii novæ operam dare vellem: & si fortè summa felicitas in iis esset sita, perspiciebam, me eâ debere carere; si verò in iis non esset sita, eisque tantùm darem operam, tum etiam summâ carerem felicitate. Volvebam igitur animo, an fortè esset possibile ad novum institutum, aut saltem ad ipsius certitudinem pervenire, licet ordo, & commune vitæ meæ institutum non mutaretur, quod sæpe frustrà tentavi. Nam quæ plerumque in vitâ occurrunt, & apud homines, ut ex eorum operibus colligere licet, tanquam summum bonum æstimantur, ad hæc tria rediguntur; divitias scilicet, hono-

honorem, atque libidinem. His tribus adeò deſtrahitur mens, ut minimè poſſit de alio aliquo bono cogitare. Nam quod ad libidinem attinet, eâ adeò ſuſpenditur animus, ac ſi in aliquo bono quieſceret; quo maximè impeditur, ne de alio cogitet; ſed poſt illius fruitionem ſumma ſequitur triſtitia, quæ, ſi non ſuſpendit mentem, tamen perturbat, & hebetat. Honores, ac divitias proſequendo non parùm etiam diſtrahitur mens, præſertim, ubi [a] hæ non niſi propter ſe quæruntur, quia, tum ſupponuntur ſummum eſſe bonum; honore verò multò adhuc magis mens diſtrahitur: ſupponitur enim ſemper bonum eſſe per ſe, & tanquam finis ultimus, ad quem omnia diriguntur. Deinde in his non datur, ſicut in libidine, pœnitentia; ſed quò plus utriuſque poſſidetur, eò magis augetur lætitia; & conſequenter magis ac magis incitamur ad utrumque augendum: ſi autem ſpe in aliquo caſu fruſtremur, tum ſumma oritur triſtitia. Eſt denique honor magno impedimento, eò quòd, ut ipſum aſſequamur, vita neceſſariò ad captum hominum eſt dirigenda, fugiendo ſcilicet, quod vulgò fugiunt, & quærendo, quod vulgò quærunt homines.

Cùm itaque viderem, hæc omnia adeò obſtare, quò minùs operam novo alicui inſtituto darem; imò adeò eſſe oppoſita, ut ab uno, aut altero neceſſariò eſſet abſtinendum, cogebar inquirere, quid mihi eſſet utilius; nempe, ut dixi, videbar bonum certum pro incerto amittere velle. Sed poſtquam aliquantulùm huic rei incubueram, inveni primò, ſi, hiſce omiſſis, ad novum inſtitutum accingerer, me bonum ſuâ naturâ incertum, ut clarè ex dictis poſſumus colligere, omiſſurum pro incerto, non quidem ſuâ naturâ; (fixum enim bonum quærebam) ſed, tantùm quoad ipſius conſecutionem: Aſſiduâ autem meditatione eò perveni, ut viderem, quòd tum, modò poſſim penitùs deliberare, mala certa pro bono certo omitterem. Videbam enim me in ſummo verſari periculo, &

[a] *Potuiſſent hæc latiùs, & diſtinctiùs explicari, diſtinguendo ſcilicet divitias, quæ quæruntur vel propter ſe, vel propter honorem, vel propter libidinem, vel propter valetudinem, & augmentum ſcientiarum & artium; ſed hoc ad ſuum locum reſervatur, quia hujus loci non eſt, hæc adeò accuratè inquirere.*

me

me cogi, remedium, quamvis incertum, ſummis viribus quærere; veluti æger lethali morbo laborans, qui ubi mortem certam prævidet, ni adhibeatur remedium, illud ipſum, quamvis incertum, ſummis viribus cogitur quærere, nempe in eo tota ejus ſpes eſt ſita; illa autem omnia, quæ vulgus ſequitur, non tantùm nullum conferunt remedium ad noſtrum eſſe conſervandum; ſed etiam id impediunt, & frequenter ſunt cauſa interitûs eorum, qui ea poſſident, [b] & ſemper cauſa interitûs eorum, qui ab iis poſſidentur.

Permulta enim exſtant exempla eorum, qui perſecutionem ad necem uſque paſſi ſunt propter ipſorum divitias, & etiam eorum, qui, ut opes compararent, tot periculis ſeſe expoſuerunt, ut tandem vitâ pœnam luerent ſuæ ſtultitiæ. Neque eorum pauciora ſunt exempla, qui, ut honorem aſſequerentur, aut defenderent, miſerrimè paſſi ſunt. Innumeranda denique extant exempla eorum, qui præ nimiâ libidine mortem ſibi acceleraverunt. Videbantur porrò ex eo hæc orta eſſe mala, quòd tota felicitas, aut infelicitas in hoc ſolo ſita eſt; videlicet, in qualitate objecti, cui adhæremus amore. Nam propter illud, quod non amatur, nunquam orientur lites, nulla erit triſtitia, ſi pereat, nulla invidia, ſi ab alio poſſideatur, nullus timor, nullum odium, &, ut verbo dicam, nullæ commotiones animi; quæ quidem omnia contingunt in amore eorum, quæ perire poſſunt, uti hæc omnia, de quibus modò locuti ſumus. Sed amor erga rem æternam, & infinitam ſolâ lætitiâ paſcit animum, ipſaque omnis triſtitiæ eſt expers; quod valdè eſt deſiderandum, totisque viribus quærendum. Verùm non abſque ratione uſus ſum his verbis: *modò paſſim ſeriò deliberare.* Nam quamvis hæc mente adeò clarè perciperem, non poteram tamen ideò omnem avaritiam, libidinem, atque gloriam deponere.

Hoc unum videbam, quòd, quamdiu mens circa has cogitationes verſabatur, tamdiu illa averſabatur & ſeriò de novo cogitabat inſtituto; quod magno mihi fuit ſolatio. Nam videbam illa mala non eſſe talis conditionis, ut remediis nollent cedere. Et

[b] *Hæc accuratiùs ſunt demonſtranda.*

quam-

quamvis in initio hæc intervalla eſſent rara, & per admodùm exiguum temporis ſpatium durarent, poſtquam tamen verum bonum magis ac magis mihi innotuit, intervalla iſta frequentiora & longiora fuerunt; præſertim poſtquam vidi nummorum acquiſitionem, aut libidinem, & gloriam tamdiu obeſſe, quamdiu propter ſe, & non, tanquam media ad alia, quæruntur; ſi verò tanquam media quæruntur, modum tunc habebunt, & minimè oberunt; ſed contrà ad finem, propter quem quæruntur, multùm conducent, ut ſuo loco oſtendemus.

Hîc tantùm breviter dicam, quid per verum bonum intelligam, & ſimul quid ſit ſummum bonum. Quod ut rectè intelligatur, notandum eſt, quòd bonum, & malum non, niſi reſpectivè, dicantur; adeò ut una, eademque res poſſit dici bona, & mala ſecundum diverſos reſpectus, eodem modo ac perfectum, & imperfectum. Nihil enim, in ſuâ naturâ ſpectatum, perfectum dicetur, vel imperfectum; præſertim poſtquam noverimus, omnia, quæ fiunt, ſecundùm æternum ordinem, & ſecundùm certas Naturæ leges fieri. Cùm autem humana imbecillitas illum ordinem cogitatione ſuâ non aſſequatur, & interim homo concipiat naturam aliquam humanam ſuâ multò firmiorem, & ſimul nihil obſtare videat, quò minùs talem naturam acquirat, incitatur ad media quærendum, quæ ipſum ad talem ducant perfectionem: & omne illud, quod poteſt eſſe medium, ut eò perveniat, vocatur verum bonum; ſummum autem bonum eſt eò pervenire, ut ille cum aliis individuis, ſi fieri poteſt, tali naturâ fruatur. Quænam autem illa ſit natura oſtendemus ſuo loco, nimirùm eſſe [c] cognitionem unionis, quam mens cum totâ Naturâ habet. Hic eſt itaque finis, ad quem tendo, talem ſcilicet Naturam acquirere, &, ut multi mecum eam acquirant, conari, hoc eſt, de meâ felicitate etiam eſt operam dare, ut alii multi idem, atque ego intelligant, ut eorum intellectus, & cupiditas prorſùs cum meo intellectu, & cupiditate conveniant; utque hoc fiat, [d] neceſſe eſt tantum de Naturâ intelligere,

[c] *Hæc fuſiùs ſuo loco explicantur.*

[d] *Nota, quòd hîc tantùm curo enumerare ſcientias ad noſtrum ſcopum neceſſarias, licet ad earum ſeriem non attendam.*

quan-

quantum ſufficit, ad talem naturam acquirendam; deinde formare talem ſocietatem, qualis eſt deſideranda, ut quamplurimi quàm facillimè, & ſecurè eò perveniant. Porrò danda eſt opera Morali Philoſophiæ, ut & Doctrinæ de puerorum Educatione; &, quia Valetudo non parvum eſt medium ad hunc finem aſſequendum, concinnanda eſt integra Medicina; & quia arte multa, quæ difficilia ſunt, facilia redduntur, multumque temporis, & commoditatis in vitâ eâ lucrari poſſumus, ideò Mechanica nullo modo eſt contemnenda. Sed ante omnia excogitandus eſt modus medendi intellectûs, ipſumque, quantum initio licet, expurgandi, ut feliciter res abſque errore, & quàm optimè intelligat. Unde quiſque jam poterit videre, me omnes ſcientias ad unum finem [e] & ſcopum velle dirigere, ſcilicet, ut ad ſummam humanam, quam diximus, perfectionem perveniatur; & ſic omne illud, quod in ſcientiis nihil ad finem noſtrum nos promovet, tanquam inutile erit rejiciendum, hoc eſt, ut uno verbo dicam, omnes noſtræ operationes, ſimul & cogitationes ad hunc ſunt dirigendæ finem. Sed quia, dum curamus eum conſequi, & operam damus, ut intellectum in rectam viam redigamus, neceſſe eſt vivere; propterea ante omnia cogimur quaſdam vivendi regulas, tanquam bonas, ſupponere, has ſcilicet.

I. Ad captum vulgi loqui, & illa omnia operari, quæ nihil impedimenti adferunt, quò minùs noſtrum ſcopum attingamus. Nam non parùm emolumenti ab eo poſſumus acquirere, modò ipſius captui, quantum fieri poteſt, concedamus; adde, quòd tali modo amicas præbebunt aures ad veritatem audiendam.

II. Deliciis in tantum frui, in quantum ad tuendam valetudinem ſufficit.

III. Denique tantum nummorum, aut cujuscunque alterius rei quærere, quantum ſufficit ad vitam, & valetudinem ſuſtentandam, & ad mores civitatis, qui noſtrum ſcopum non oppugnant, imitandos.

Hiſce ſic poſitis, ad primum, quod ante omnia faciendum eſt, me accingam, ad emendandum ſcilicet intellectum, eumque

[e] *Finis in ſcientiis eſt unicus, ad quem omnes ſunt dirigendæ.*

aptum reddendum ad res tali modo intelligendas, quo opus eſt, ut noſtrum finem aſſequamur. Quod ut fiat, exigit ordo, quem naturaliter habemus, ut hîc reſumam omnes modos percipiendi, quos huc uſque habui ad aliquid indubiè affirmandum, vel negandum, quò omnium optimum eligam, & ſimul meas vires, & naturam, quam perficere cupio, noſcere incipiam.

Si accuratè attendo, poſſunt omnes ad quatuor potiſſimùm reduci.

I. Eſt Perceptio, quam ex auditu, aut ex aliquo ſigno, quod vocant ad placitum, habemus.

II. Eſt Perceptio, quam habemus ab experientiâ vagâ, hoc eſt, ab experientiâ, quæ non determinatur ab intellectu; ſed tantùm ità dicitur, quia caſu ſic occurrit, & nullum aliud habemus experimentum, quod hoc oppugnat, & ideò tanquam inconcuſſum apud nos manet.

III. Eſt Perceptio, ubi eſſentia rei ex aliâ re concluditur, ſed non adæquatè; quod fit, [f] cum vel ab aliquo effectu cauſam colligimus, vel cùm concluditur ab aliquo univerſali, quod ſemper aliqua proprietas concomitatur.

IV. Denique Perceptio eſt, ubi res percipitur per ſolam ſuam eſſentiam, vel per cognitionem ſuæ proximæ cauſæ.

Quæ omnia exemplis illuſtrabo. Ex auditu tantùm ſcio meum natalem diem, & quòd tales parentes habui, & ſimilia; de quibus nunquam dubitavi. Per experientiam vagam ſcio me morituram: hoc enim ideò affirmo, quia vidi alios mei ſimiles obiiſſe mortem, quamvis neque omnes per idem temporis ſpatium vixerint, neque ex eodem morbo obierint. Deinde per experientiam vagam etiam ſcio, quòd oleum ſit aptum alimentum ad nutrien-

[f] *Hoc cùm fit, nihil de cauſâ intelligimus propter id, quod in effectu conſideramus: quod ſatis apparet ex eo, quòd tum cauſa non niſi generaliſſimis terminis explicetur, nempe his,* Ergo datur aliquid, Ergo datur aliqua potentia &c. *Vel etiam ex eo, quòd ipſam negativè exprimant,* Ergo non eſt hoc, vel illud &c. *In ſecundo caſu aliquid cauſæ tribuitur propter effectum, quod clarè concipitur, ut in exemplo oſtendemus; verùm nihil præter propria, non verò rei eſſentia particularis.*

dam

dam flammam, quòdque aqua ad eam extinguendam apta ſit; ſcio etiam, quòd canis ſit animal latrans, & homo animal rationale, & ſic ferè omnia novi, quæ ad uſum vitæ faciunt. Ex aliâ verò re hoc modo concludimus: poſtquam clarè percipimus, nos tale corpus ſentire, & nullum aliud; inde, inquam, clarè concludimus animam unitam [g] eſſe corpori, quæ unio eſt cauſa talis ſenſationis; ſed [h] quænam ſit illa ſenſatio, & unio, non abſolutè inde poſſumus intelligere. Vel poſtquam novi naturam viſûs, & ſimul, eum habere talem proprietatem, ut unam, eandemque rem ad magnam diſtantiam minorem videamus, quàm ſi eam cominus intueamur; inde concludimus Solem majorem eſſe, quàm apparet, & alia his ſimilia. Per ſolam denique rei eſſentiam res percipitur; quando ex eo, quòd aliquid novi, ſcio, quid hoc ſit aliquid noſſe, vel ex eo, quòd novi eſſentiam animæ, ſcio eam corpori eſſe unitam. Eâdem *cognitione* novimus duo & tria eſſe quinque, &, ſi dentur duæ lineæ uni tertiæ parallelæ, eas etiam inter ſeſe parallelas, &c. Ea tamen, quæ hucuſque tali cognitione potui intelligere, perpauca fuerunt.

Ut autem hæc omnia meliùs intelligantur, unico tantum utar exemplo, hoc ſcilicet. Dantur tres numeri: quærit quis, quartum, qui ſit ad tertium, ut ſecundus ad primum. Dicunt hîc paſſim mercatores, ſe ſcire, quid ſit agendum, ut quartus inveniatur, quia nempe eam operationem nondum oblivioni tradiderunt, quam nudam ſine demonſtratione à ſuis magiſtris audiverunt; alii

g *Ex hoc exemplo clarè videre id eſt, quod modò notavi. Nam per illam unionem nihil intelligimus præter ſenſationem ipſam, effectus ſcilicet, ex quo cauſam, de quâ nihil intelligimus, concludebamus.*

h *Talis concluſio, quamvis certa ſit, non tamen ſatis tuta eſt, niſi maximè caventibus. Nam niſi optimè caveant ſibi, in errores ſtatim incident: ubi enim res ità abſtractè concipiunt, non autem per veram eſſentiam, ſtatim ab imaginatione confunduntur. Nam id, quod in ſe unum eſt, multiplex eſſe imaginantur homines. Nam iis, quæ abſtractè, ſeorſim, & confuſe concipiunt, nomina imponunt, quæ ab ipſis ad alia magis familiaria ſignificandum uſurpantur; quo fit, ut hæc imaginentur eodem modo, ac eas res imaginari ſolent, quibus primum hæc nomina impoſuerunt.*

verò ab experientiâ ſimplicium faciunt axioma univerſale, ſcilicet ubi quartus numerus per ſe patet, ut in his 2, 4, 3, 6. ubi experiuntur, quòd ducto ſecundo in tertium, & producto deinde per primum diviſo fiat quotiens 6; & cùm vident eundem numerum produci, quem ſine hac operatione noverant eſſe proportionalem, inde concludunt operationem eſſe bonam ad quartum numerum proportionalem ſemper inveniendum. Sed Mathematici vi demonſtrationis Prop. 19. lib. 7. Euclidis ſciunt, quales numeri inter ſe ſint proportionales, ſcilicet ex naturâ proportionis, ejuſque proprietate, quòd nempe numerus, qui fit ex primo, & quarto æqualis ſit numero, qui fit ex ſecundo, & tertio; attamen adæquatam proportionalitatem datorum numerorum non vident, & ſi videant, non vident eam vi illius Propoſitionis; ſed intuitivè, nullam operationem facientes. Ut autem ex his optimus eligatur modus percipiendi, requiritur, ut breviter enumeremus, quæ ſint neceſſaria media, ut noſtrum finem aſſequamur, hæc ſcilicet.

I. Noſtram naturam, quam cupimus perficere, exactè noſſe, & ſimul tantum de rerum naturâ, quantum ſit neceſſe.

II. Ut inde rerum differentias, convenientias, & oppugnantias rectè colligamus.

III. Ut rectè concipiatur, quid poſſint pati, quid non.

IV. Ut hoc conferatur cum naturâ, & potentiâ hominis. Et ex iſtis facilè apparebit ſumma, ad quam homo poteſt pervenire, perfectio.

His ſic conſideratis videamus, quis modus percipiendi nobis ſit eligendus.

Quod ad primum attinet. Per ſe patet, quòd ex auditu, præterquam quòd ſit res admodùm incerta, nullam percipiamus eſſentiam rei, ſicuti ex noſtro exemplo apparet; & cùm ſingularis exiſtentia alicujus rei non noſcatur, niſi cognitâ eſſentiâ, uti poſtea videbitur: hinc clarè concludimus omnem certitudinem, quam ex auditu habemus, à ſcientiis eſſe ſecludendam. Nam à ſimplici auditu, ubi non præceſſit proprius intellectus, nunquam quis poterit affici.

[1] Quoad ſecundum. Nullus etiam dicendus eſt, quòd habeat ideam illius proportionis, quam quærit. Præterquam quòd ſit res admodùm incerta, & ſine fine, nihil tamen unquam tali modo quis in rebus naturalibus percipiet præter accidentia, quæ nunquam clarè intelliguntur, niſi præcognitis eſſentiis. Unde etiam & ille ſecludendus eſt.

De tertio autem aliquo modo dicendum, quòd habeamus ideam rei, deinde quòd etiam abſque periculo erroris concludamus; ſed tamen per ſe non erit medium, ut noſtram perfectionem acquiramus.

Solus quartus modus comprehendit eſſentiam rei adæquatam, & abſque erroris periculo; ideoque maximè erit uſurpandus. Quomodò ergo ſit adhibendus, ut res incognitæ tali cognitione à nobis intelligantur, ſimulque, ut hoc quàm compendioſè fiat, curabimus explicare. Poſtquam novimus, quænam Cognitio nobis ſit neceſſaria, tradenda eſt Via & Methodus, quâ res, quæ ſunt cognoſcendæ, tali cognitione cognoſcamus. Quod ut fiat, venit prius conſiderandum, quòd hic non dabitur inquiſitio in infinitum; ſcilicet, ut inveniatur optima Methodus verum inveſtigandi, non opus eſt aliâ Methodo, ut Methodus veri inveſtigandi inveſtigetur; &, ut ſecunda Methodus inveſtigetur, non opus eſt aliâ tertiâ, & ſic in infinitum: tali enim modo nunquam ad veri cognitionem, imò ad nullam cognitionem perveniretur. Hoc verò eodem modo ſe habet, ac ſe habent inſtrumenta corporea, ubi eodem modo liceret argumentari. Nam, ut ferrum cudatur, malleo opus eſt, & ut malleus habeatur, eum fieri neceſſum eſt; ad quod alio malleo, aliiſque inſtrumentis opus eſt, quæ etiam ut habeantur, aliis opus erit inſtrumentis, & ſic in infinitum; & hoc modo fruſtrà aliquis probare conaretur, homines nullam habere poteſtatem ferrum cudendi. Sed quemadmodum homines initio innatis inſtrumentis quædam facillima, quamvis laborioſè, & imperfectè, facere quiverunt, iiſque confectis alia difficiliora minori labore, & perfectiùs confe-

[1] *Hic aliquantò prolixiùs agam de experientiâ; & Empiricorum & recentium Philoſophorum procedendi Methodum examinabo.*

cerunt, & sic gradatim ab operibus simpliciſſimis ad inſtrumenta, & ab inſtrumentis ad alia opera, & inſtrumenta pergendo, eò pervenerunt, ut tot, & tam difficilia parvo labore perficiant; sic etiam intellectus [k] vi suâ nativâ facit sibi inſtrumenta intellectualia, quibus alias vires acquirit ad alia opera [l] intellectualia, & ex iis operibus alia inſtrumenta, seu poteſtatem ulteriùs inveſtigandi, & sic gradatim pergit, donec sapientiæ culmen attingat. Quòd autem intellectus ita seſe habeat facile erit videre, modò intelligatur, quid sit Methodus verum inveſtigandi, & quænam sint illa innata inſtrumenta, quibus tantùm eget ad alia ex iis inſtrumenta conficienda, ut ulteriùs procedat. Ad quod oſtendendum sic procedo.

Idea [m] vera (habemus enim ideam veram) eſt diverſum quid à ſuo ideato: Nam aliud eſt circulus, aliud idea circuli. Idea enim circuli non eſt aliquid, habens peripheriam, & centrum, uti circulus, nec idea corporis eſt ipſum corpus: & cùm sit quid diverſum à ſuo ideato, erit etiam per ſe aliquid intelligibile; hoc eſt, idea, quoad ſuam eſſentiam formalem, poteſt eſſe objectum alterius eſſentiæ objectivæ, & rurſus hæc altera eſſentia objectiva erit etiam in ſe ſpectata quid reale, & intelligibile, & sic indefinitè. Petrus ex. gr. eſt quid reale; vera autem idea Petri eſt eſſentia Petri objectiva, & in ſe quid reale, & omninò diverſum ab ipſo Petro. Cùm itaque idea Petri sit quid reale, habens ſuam eſſentiam peculiarem, erit etiam quid intelligibile, id eſt, objectum alterius ideæ, quæ idea habebit in ſe objectivè omne id, quod idea Petri habet formaliter, & rurſùs idea, quæ eſt ideæ Petri, habet iterum ſuam eſſentiam, quæ etiam poteſt eſſe objectum alterius ideæ, & sic indefinitè. Quod quiſque poteſt experiri, dum videt ſe ſcire, quid sit Petrus, & etiam ſcire ſe ſcire, & rurſùs ſcit ſe ſcire, quod ſcit, &c. Unde conſtat, quod, ut intelligatur eſſentia Petri, non sit neceſſe

[k] *Per vim nativam intelligo illud, quod in nobis à causis externis non causatur, quodque poſtea in meâ Philoſophiâ explicabimus.*

[l] *Hîc vocantur opera: in meâ Philoſophia, quid sint, explicabitur.*

[m] *Nota, Quòd hîc non tantùm curabimus oſtendere id, quod modò dixi, ſed etiam nos huc uſque rectè proceſſiſſe, & ſimul alia ſcitu valdè neceſſaria.*

ipſam

ipſam ideam Petri intelligere, & multò minùs ideam ideæ Petri; quod idem eſt, ac ſi dicerem, non eſſe opus, ut ſciam, quod ſciam me ſcire, & multò minùs eſſe opus ſcire, quòd ſciam me ſcire; non magis, quàm ad intelligendam eſſentiam trianguli, opus ſit eſſentiam circuli [n] intelligere. Sed contrarium datur in his ideis. Nam ut ſciam me ſcire, neceſſariò debeo priùs ſcire. Hinc patet, quòd certitudo nihil ſit præter ipſam eſſentiam objectivam; id eſt, modus, quo ſentimus eſſentiam formalem, eſt ipſa certitudo. Unde iterùm patet, quòd ad certitudinem veritatis nullo alio ſigno ſit opus, quàm veram habere ideam: Nam, uti oſtendimus, non opus eſt, ut ſciam, quòd ſciam me ſcire. Ex quibus rurſùm patet, neminem poſſe ſcire, quid ſit ſumma certitudo, niſi qui habet adæquatam ideam, aut eſſentiam objectivam alicujus rei; nimirùm, quia idem eſt certitudo, & eſſentia objectiva. Cùm itaque veritas nullo egeat ſigno; ſed ſufficiat habere eſſentias rerum objectivas, aut, quod idem eſt, ideas, ut omne tollatur dubium; hinc ſequitur, quòd vera non eſt Methodus ſignum veritatis quærere poſt acquiſitionem idearum; ſed quòd vera Methodus eſt via, ut ipſa veritas, aut eſſentiæ objectivæ rerum, aut ideæ (omnia illa idem ſignificant) debito ordine [o] quærantur. Rurſùs Methodus neceſſariò debet loqui de Ratiocinatione, aut de intellectione; id eſt, Methodus non eſt ipſum ratiocinari ad intelligendum cauſas rerum, & multò minùs eſt [n] intelligere cauſas rerum; ſed eſt intelligere, quid ſit vera idea, eam à cæteris perceptionibus diſtinguendo, ejuſque naturam inveſtigando, ut inde noſtram intelligendi potentiam noſcamus, & mentem ità cohibeamus, ut ad illam normam omnia intelligat, quæ ſunt intelligenda; tradendo, tanquam auxilia, certas regulas, & etiam faciendo, ne mens inutilibus defatigetur. Unde colligitur, Methodum nihil aliud eſſe, niſi cognitionem reflexivam,

[n] *Nota, quòd hic non inquirimus, quomodò prima eſſentia objectiva nobis innata ſit. Nam id pertinet ad inveſtigationem naturæ, ubi hæc fuſiùs explicantur, & ſimul oſtenditur, quòd præter ideam nulla datur affirmatio, neque negatio, neque ulla voluntas.*

[o] *Quid quærere in animâ ſit, explicatur in meâ Philoſophiâ.*

xivam, aut ideam ideæ; & quia non datur idea ideæ, nisi priùs detur idea; ergo Methodus non dabitur, nisi priùs detur idea. Unde illa bona erit Methodus, quæ ostendit, quomodò mens dirigenda sit ad datæ veræ ideæ normam. Porrò cùm ratio, quæ est inter duas ideas, sit eadem cum ratione, quæ est inter essentias formales idearum illarum; inde sequitur, quòd cognitio reflexiva, quæ est ideæ Entis perfectissimi, præstantior erit cognitione reflexiva cæterarum idearum; hoc est, perfectissima ea erit Methodus, quæ ad datæ ideæ Entis perfectissimi normam ostendit, quomodò mens sit dirigenda. Ex his facilè intelligitur, quomodò mens, plura intelligendo, alia simul acquirat instrumenta, quibus faciliùs pergat intelligere. Nam, ut ex dictis licet colligere, debet ante omnia in nobis existere vera idea, tanquam innatum instrumentum, quâ intellectâ intelligatur simul differentia, quæ est inter talem perceptionem, & cæteras omnes. Quâ in re consistit una Methodi pars. Et cùm per se clarum sit, mentem eò melius se intelligere, quò plura de naturâ intelligit; inde constat, hanc Methodi partem eò perfectiorem fore, quò mens plura intelligit, & tum fore perfectissimam, cum mens ad cognitionem Entis perfectissimi attendit, sive reflectit. Deinde, quò plura mens novit, eò meliùs & suas vires, & ordinem Naturæ intelligit: quò autem meliùs suas vires intelligit, eò faciliùs potest seipsam dirigere, & regulas sibi proponere; & quò meliùs ordinem Naturæ intelligit, eò faciliùs potest se ab inutilibus cohibere; in quibus tota consistit Methodus, uti diximus. Adde quòd idea eodem modo se habet objectivè, ac ipsius ideatum se habet realiter. Si ergo daretur aliquid in Naturâ, nihil commercii habens cum aliis rebus, ejus etiam si datur essentia objectiva, quæ convenire omninò deberet cum formali, nihil etiam [P] commercii haberet cum aliis ideis, id est, nihil de ipsâ poterimus concludere; & contrà, quæ habent commercium cum aliis rebus, uti sunt omnia, quæ in naturâ existunt, intelligentur, & ipsorum etiam essentiæ objectivæ idem habebunt commercium, id est, aliæ ideæ ex eis deducentur, quæ

P *Commercium habere cum aliis rebus est produci ab aliis, aut alia producere.*

iterum

iterum habebunt commercium cum aliis, & ſic inſtrumenta, ad procedendum ulteriùs, creſcent. Quod conabamur demonſtrare. Porrò ex hoc ultimò, quod diximus, ſcilicet quòd idea omninò cum ſuâ eſſentiâ formali debeat convenire, patet iterum, ex eò quòd, ut mens noſtra omninò referat naturæ exemplar, debeat omnes ſuas ideas producere ab eâ, quæ refert originem, & fontem totius naturæ, ut ipſa etiam ſit fons cæterarum idearum.

Hîc fortè aliquis mirabitur, quòd nos, ubi diximus, bonam Methodum eam eſſe, quæ oſtendit, quomodò mens ſit dirigenda ad datæ veræ ideæ normam, hoc ratiocinando probemus: id quod oſtendere videtur, hoc per ſe non eſſe notum. Atque adeò quæri poteſt, utrùm nos bene ratiocinemur? Si bene ratiocinamur, debemus incipere à datâ idea, & cùm incipere à datâ ideâ egeat demonſtratione, deberemus iterum noſtrum ratiocinium probare, & tum iterum illud alterum, & ſic in infinitum. Sed ad hoc reſpondeo: quòd ſi quis fato quodam ſic proceſſiſſet, naturam inveſtigando, ſcilicet ad datæ veræ ideæ normam alias acquirendo ideas debito ordine, nunquam de ſuâ veritate [q] dubitaſſet, eò quòd veritas, uti oſtendimus, ſe ipſam patefacit, & etiam ſponte omnia ipſi affluxiſſent. Sed quia hoc nunquam, aut rarò contingit, ideò coactus fui illa ſic ponere, ut illud, quod non poſſumus fato, præmeditato tamen conſilio acquiramus, & ſimul, ut appareret, ad probandam veritatem, & bonum ratiocinium, nullis nos egere inſtrumentis, niſi ipſâ veritate, & bono ratiocinio: Nam bonum ratiocinium bene ratiocinando comprobavi, & adhuc probare conor. Adde, quòd etiam hoc modo homines aſſuefiant meditationibus ſuis internis. Ratio autem, cur in Naturæ inquiſitione rarò contingat, ut debito ordine ea inveſtigetur, eſt propter præjudicia, quorum cauſas poſtea in noſtrâ Philoſophia explicabimus. Deinde quia opus eſt magnâ, & accuratâ diſtinctione, ſicut poſtea oſtendemus; id quod valdè eſt laborioſum. Denique propter ſtatum rerum humanarum, qui, ut jam oſtenſum eſt, prorſùs eſt mutabilis. Sunt adhuc aliæ rationes, quas non inquirimus.

[q] *Sicut etiam hîc non dubitamus de noſtrâ veritate.*

Si quis fortè quærat, cur ipſe ſtatim ante omnia veritates naturæ iſto ordine oſtenderim: nam veritas ſe ipſam patefacit? Ei reſpondeo, ſimulque moneo, ne propter Paradoxa, quæ fortè paſſim occurrent, ea velit tanquam falſa rejicere; ſed priùs dignetur ordinem conſiderare, quo ea probemus, & tum certus evadet, nos verum aſſequutos fuiſſe, & hæc fuit cauſa, cur hæc præmiſerim.

Si poſtea fortè quis Scepticus & de ipſâ primâ veritate, & de omnibus, quas ad normam primæ deducemus, dubius adhuc maneret, ille profectò aut contra conſcientiam loquetur; aut nos fatebimur, dari homines penitùs etiam animo occæcatos à nativitate, aut à præjudiciorum cauſâ, id eſt, aliquo externo caſu. Nam neque ſeipſos ſentiunt; ſi aliquid affirmant, vel dubitant, neſciunt ſe dubitare, aut affirmare: dicunt ſe nihil ſcire; & hoc ipſum, quod nihil ſciunt, dicunt ſe ignorare; neque hoc abſolutè dicunt: nam metuunt fateri, ſe exiſtere, quamdiu nihil ſciunt; adeò ut tandem debeant obmuteſcere, ne fortè aliquid ſupponant, quod veritatem redoleat. Denique cum ipſis non eſt loquendum de ſcientiis: nam quod ad vitæ, & ſocietatis uſum attinet, neceſſitas eos coëgit, ut ſupponerent, ſe eſſe, & ut ſuum utile quærerent, & jurejurando multa affirmarent, & negarent. Nam, ſi aliquid ipſis probetur, neſciunt, an probet, aut deficiat argumentatio Si negant, concedunt, aut opponunt; neſciunt ſe negare, concedere, aut opponere; adeoque habendi ſunt tanquam automata, quæ mente omninò carent.

Reſumamus jam noſtrum propoſitum. Habuimus hucuſque primò finem, ad quem omnes noſtras cogitationes dirigere ſtudemus. Cognovimus ſecundò, quænam ſit optima perceptio, cujus ope ad noſtram perfectionem pervenire poſſimus. Cognovimus tertiò, quænam ſit prima via, cui mens inſiſtere debeat, ut bene incipiat; quæ eſt, ut ad normam datæ cujuscunque veræ ideæ pergat, certis legibus inquirere. Quod ut recte fiat, hæc debet Methodus præſtare: Primò veram ideam à cæteris omnibus perceptionibus diſtinguere, & mentem à cæteris perceptionibus cohibere. Secundò tradere regulas, ut res incognitæ ad talem normam percipiantur.

piantur. Tertiò ordinem constituere, ne inutilibus defatigemur. Postquam hanc Methodum novimus, vidimus quartò hanc Methodum perfectissimam futuram, ubi habuerimus ideam Entis perfectissimi. Unde initio illud erit maximè observandum, ut quantò ociùs ad cognitionem talis Entis perveniamus.

Incipiamus itaque à primâ parte Methodi, quæ est, uti diximus, distinguere, & separare ideam veram à cæteris perceptionibus, & cohibere mentem, ne falsas, fictas, & dubias cum veris confundat: quod utcunque fusè hîc explicare animus est, ut Lectores detineam in cogitatione rei adeò necessariæ, & etiam, quia multi sunt, qui vel de veris dubitant ex eo, quòd non attenderunt ad distinctionem, quæ est inter veram perceptionem, & alias omnes. Adeò ut sint veluti homines, qui, cum vigilarent, non dubitabant se vigilare; sed postquam semel in somniis, ut sæpe fit, putârunt se certò vigilare, quod postea falsum esse reperiebant, etiam de suis vigiliis dubitârunt: quod contingit, quia nunquam distinxerunt inter somnum, & vigiliam. Interim moneo, me hic essentiam uniuscujusque perceptionis, eamque per proximam suam causam non explicaturum; quia hoc ad Philosophiam pertinet; sed tantùm traditurum id, quod Methodus postulat, id est, circa quæ perceptio ficta, falsa, & dubia versetur, & quomodò ab unaquâque liberabimur. Sit itaque prima inquisitio circa ideam fictam.

Cùm omnis perceptio sit vel rei, tanquam existentis consideratæ, vel solius essentiæ, & frequentiores fictiones contingant circa res, tanquam existentes, consideratas; ideò priùs de hâc loquar; scilicet ubi sola existentia fingitur, & res, quæ in tali actu fingitur, intelligitur, sive supponitur intelligi. Ex.gr. Fingo Petrum, quem novi, ire domum, eum me invisere, & [r] similia. Hîc quæro, circa quæ talis idea versetur? Video eam tantùm versari circa possibilia; non verò circa necessaria, neque circa impossibilia. Rem impossibilem voco, cujus natura implicat contradictionem, ut ea existat: necessariam, cujus natura implicat contradictionem, ut

[r] *Vide ulteriùs id, quod de hypothesibus notabimus, quæ à nobis clarè intelliguntur; sed in eo est fictio, quòd dicamus, eas tales in corporibus cælestibus existere.*

ea non exiſtat: poſſibilem, cujus quidem exiſtentia, ipſâ ſuâ naturâ, non implicat contradictionem, ut exiſtat, aut non exiſtat; ſed cujus exiſtentiæ neceſſitas, aut impoſſibilitas pendet à cauſis nobis ignotis, quamdiu ipſius exiſtentiam fingimus; ideoque ſi ipſius neceſſitas, aut impoſſibilitas, quæ à cauſis externis pendet, nobis eſſet nota, nihil etiam de eâ potuiſſemus fingere. Unde ſequitur, ſi detur aliquis Deus, aut omniſcium quid, nihil prorſus nos poſſe fingere. Nam, quod ad Nos attinet, poſtquam [s] novi me exiſtere, non poſſum fingere me exiſtere, aut non exiſtere; nec etiam poſſum fingere elephantem, qui tranſeat per acûs foramen; nec poſſum, poſtquam [t] naturam Dei novi, fingere eum exiſtentem, aut non exiſtentem: idem intelligendum eſt de Chimærâ, cujus natura exiſtere implicat. Ex quibus patet id, quod dixi, ſcilicet quòd fictio, de quâ hic loquimur, non contingit circà æternas [u] veritates. Sed antequam ulteriùs pergam, hîc obiter notandum eſt, quòd illa differentia, quæ eſt inter eſſentiam unius rei, & eſſentiam alterius, ea ipſa ſit inter actualitatem, aut exiſtentiam ejuſdem rei, &inter actualitatem, aut exiſtentiam alterius rei. Adeò ut ſi exiſtentiam ex. gr. Adami tantùm per generalem exiſtentiam concipere velimus, idem futurum ſit, ac ſi, ad concipiendam ipſius eſſentiam, ad naturam entis attendamus, ut tandem definiamus, Adamum eſſe ens. Itaque quò exiſtentia generaliùs concipitur, eò etiam confuſiùs concipitur, faciliuſque unicuique rei poteſt affingi: econtra, ubi particulariùs concipitur,

[s] *Quia res, modò ea intelligatur, ſe ipſam manifeſtat, ideò tantùm egemus exemplo ſine aliâ demonſtratione. Idemque erit hujus contradictoria, quæ ut appareat eſſe falſa, tantùm opus recenſeri, uti ſtatim apparebit, quum de fictione circa eſſentiam loquemur.*

[t] *Nota. Quamvis multi dicant ſe dubitare, an Deus exiſtat, illos tamen nihil præter nomen habere, vel aliquid fingere, quod Deum vocant: id quod cum Dei naturâ non convenit, ut poſtea ſuo loco oſtendam.*

[u] *Statim etiam oſtendam, quòd nulla fictio verſetur circa æternas veritates. Per æternam veritatem talem intelligo, quæ, ſi eſt affirmativa, nunquam poterit eſſe negativa. Sic prima, & æterna veritas eſt*, Deum eſſe, *non autem eſt æterna veritas*, Adamum cogitare. Chimæram non eſſe, *eſt æterna veritas, non autem*, Adamum non cogitare.

cla-

clariùs tum intelligitur, & difficiliùs alicui, nisi rei ipsi, ubi non attendimus ad naturæ ordinem, affingitur. Quod notatu dignum est.

Veniunt jam hîc ea consideranda, quæ vulgò dicuntur fingi, quamvis clarè intelligamus, rem ità sese non habere, uti eam fingimus. Ex. gr. quamvis sciam terram esse rotundam, nihil tamen vetat, quominùs alicui dicam terram medium globum esse, & tanquam medium ponum auriacum in scutellâ, aut solem circùm terram moveri, & similia. Ad hæc si attendamus, nihil videbimus, quod non cohæreat cum jam dictis, modò priùs advertamus, nos aliquando potuisse errare, & jam errorum nostrorum esse conscios; deinde quòd possumus fingere, aut ad minimum putare, alios homines in eodem esse errore, aut in eum, ut nos antehac, posse incidere. Hoc, inquam, fingere possumus, quamdiu nullam videmus impossibilitatem, nullamque necessitatem: Quando itaque alicui dico, terram non esse rotundam, &c. nihil aliud ago, quàm in memoriam revoco errorem, quem fortè habui, aut in quem labi potui, & postea fingo, aut puto eum, cui hoc dico, adhuc esse, aut posse labi in eundem errorem. Quod, ut dixi, fingo, quamdiu nullam video impossibilitatem, nullamque necessitatem: hanc verò si intellexissem, nihil prorsùs fingere potuissem, & tantùm dicendum fuisset, me aliquid operatum esse.

Supereſt jam, ut ea etiam notemus, quæ in Quæstionibus supponuntur; id quod passim etiam contingit circa impossibilia. Ex. gr. Quum dicimus: supponamus hanc candelam ardentem jam non ardere, aut supponamus eam ardere in aliquo spatio imaginario, sive ubi nulla dantur corpora: Quorũ similia passim supponuntur, quamvis hoc ultimum clarè intelligatur impossibile esse; sed quando hoc fit, nil prorsùs fingitur. Nam primò nihil aliud egi, quam quòd [x] in

x *Postea cùm de fictione, quæ versatur circa essentias, loquemur, clarè apparebit, quòd fictio nunquam aliquid novi facit, aut menti præbet; sed quòd tantùm ea, quæ sunt in cerebro, aut in imaginatione, revocantur ad memoriam, & quòd confuse ad omnia simul mens attendit. Revocantur ex. gr. in memoriam loquela, & arbor; & cum mens confuse attendit sine distinctione, putat arborem loqui. Idem de existentiâ intelligitur, præsertim, uti diximus, cùm adeò generaliter, ac ens, concipitur: quia tum facilè applicatur omnibus, quæ simul in memoriâ occurrunt. Quod notatu valdè dignum est.*

memoriam revocavi aliam candelam non ardentem, (aut hanc eandem concepi ſine flammâ) &, quod cogito de eâ candelâ, id ipſum de hâc intelligo, quamdiu ad flammam non attendo. In ſecundo nihil aliud fit, quàm abſtrahere cogitationes à corporibus circumjacentibus, ut mens ſe convertat ad ſolam candelæ, in ſe ſolâ ſpectatæ, contemplationem; ut poſtea concludat candelam nullam habere cauſam ad ſui ipſius deſtructionem. Adeò ut ſi nulla eſſent corpora circumjacentia, candela hæc, ac etiam flamma manerent immutabiles, aut ſimilia: Nulla igitur datur hic fictio; ſed [y] veræ, ac meræ aſſertiones.

Tranſeamus jam ad fictiones, quæ verſantur circa eſſentias ſolas, vel cum aliquâ actualitate, ſive exiſtentiâ ſimul. Circa quas, hoc maximè venit conſiderandum: quòd, quò mens minùs intelligit, & tamen plura percipit, eò majorem habeat potentiam fingendi, & quò plura intelligit, eò magis illa potentia diminuatur. Eodem ex. gr. modo, quo ſuprà vidimus, nos non poſſe fingere, quamdiu cogitamus, nos cogitare, & non cogitare; ſic etiam, poſtquam novimus naturam corporis, non poſſumus fingere muſcam infinitam; ſive poſtquam novimus naturam [z] animæ, non poſſumus fingere eam eſſe quadratam, quamvis omnia verbis poſſimus effari. Sed, uti diximus, quò minùs homines nôrunt naturam, eò faciliùs multa poſſunt fingere; veluti, arbores loqui, homines in momento mutari in lapides, in fontes, apparere in ſpeculis ſpectra, nihil fieri aliquid, etiam Deos in beſtias, & homines mutari, ac infinita ejus generis alia.

[y] *Idem etiam de hypotheſibus intelligendum, quæ fiunt ad certos motûs explicandum, qui conveniunt cum cælorum phænomenis, niſi quòd ex iis, ſi motibus cæleſtibus applicentur, naturam cælorum concludant, quæ tamen alia poteſt eſſe, præſertim cùm ad explicandum tales motûs multæ aliæ cauſæ poſſint concipi.*

[z] *Sæpe contingit, hominem hanc vocem* anima *ad ſuam memoriam revocare, & ſimul aliquam corpoream imaginem formare. Cùm verò hæc duo ſimul repræſentantur, facilè putat ſe imaginari, & fingere animam corpoream: quia nomen à re ipſa non diſtinguit. Hîc poſtulo, ut lectores non ſint præcipites ad hoc refutandum, quod, ut ſpero, non facient, modò ad exempla quàm accuratè attendant, & ſimul ad ea, quæ ſequuntur.*

Ali-

Aliquis fortè putabit, quòd fictio fictionem teriminat; ſed non intellectio; hoc eſt, poſtquam finxi aliquid, & quâdam libertate volui aſſentiri, id ſic in rerum naturâ exiſtere, hoc efficit, ut poſtea non poſſimus id alio modo cogitare. Ex. gr. poſtquam finxi (ut cum iis loquar) naturam corporis talem, mihique ex meâ libertate perſuadere volui, eam ſic realiter exiſtere, non ampliùs licet muſcam v. g. infinitam fingere, & poſtquam finxi eſſentiam animæ, eam quadrare non poſſum, &c. Sed hoc examinandum. Primò: vel negant, vel concedunt nos aliquid poſſe intelligere. Si concedunt, neceſſariò id ipſum, quod de fictione dicunt, etiam de intellectione dicendum erit. Si verò hoc negant, videamus nos, qui ſcimus, nos aliquid ſcire, quid dicant. Hoc ſcilicet dicunt, animam poſſe ſentire, & multis modis percipere non ſe ipſam, neque res, quæ exiſtunt; ſed tantùm ea, quæ nec in ſe, nec ullibi ſunt, hoc eſt, animam poſſe ſolâ ſuâ vi creare ſenſationes, aut ideas, quæ non ſunt rerum; adeò ut ex parte eam, tanquam Deum, conſiderent. Porrò dicunt, nos, aut animam noſtram talem habere libertatem, ut nosmet, aut ſe, imò ſuam ipſam libertatem cogat: Nam poſtquam ea aliquid finxit, & aſſenſum ei præbuit, non poteſt id alio modo cogitare, aut fingere, & etiam eâ fictione cogitur, ut etiam tali modo cogitentur, ut prima fictio non oppugnetur; ſicut hîc etiam coguntur abſurda, quæ hic recenſeo, admittere propter ſuam fictionem; ad quæ explodenda non defatigabimur ullis [a] demonſtrationibus. Sed eos in ſuis deliriis linquendo, curabimus, ut ex verbis, quæ cum ipſis fecimus, aliquid veri ad noſtram rem hauriamus, nempe hoc; Mens, cùm ad rem fictam, & ſuâ naturâ falſam attendit, ut eam penſitet, & intelligat, bonoque ordine ex eâ deducat, quæ ſunt deducenda, facilè falſitatem patefaciet; & ſi res ficta ſuâ naturâ ſit

[a] *Quamvis hoc experientiâ videar concludere, & quis dicat id nil eſſe, quia deficit demonſtratio, eam, ſi quis deſiderat, ſic habeat. Cùm in naturâ nihil poſſit dari, quod ejus leges oppugnet; ſed cùm omnia ſecundùm certas ejus leges fiant, ut certos, certis legibus, ſuos producant effectûs irrefragabili concatenatione: hinc ſequitur, quod anima, ubi rem verè concipit, perget obiectivè eoſdem effectûs formare. Vide infrà, ubi de ideâ falſâ loquor.*

vera ,,

vera, cùm mens ad eam attendit, ut eam intelligat, & ex eâ bono ordine incipit deducere, quæ inde ſequuntur, feliciter perget ſine ullâ interruptione, ſicut vidimus, quòd ex falſâ fictione, modò allatâ, ſtatim ad oſtendendam ejus abſurditatem, & alias inde deductas, præbuit ſe intellectus.

Nullo ergo modo timendum erit, nos aliquid fingere, ſi modò clarè & diſtinctè rem percipiamus: nam ſi fortè dicamus homines in momento mutari in beſtias, id valdè generaliter dicitur; adeò ut nullus detur conceptus, id eſt, idea, ſive cohærentia ſubjecti, & prædicati in mente: ſi enim daretur, ſimul videret medium, & cauſas, quo, & cur tale quid factum ſit. Deinde nec ad naturam ſubjecti, & prædicati attenditur. Porrò, modò prima idea non ſit ficta, & ex eâ cæteræ omnes ideæ deducantur, paulatim præcipitantia fingendi evaneſcet; deinde cùm idea ficta non poſſit eſſe clara, & diſtincta; ſed ſolummodò confuſa, & omnis confuſio inde procedat, quòd mens rem integram, aut ex multis compoſitam, tantùm ex parte noſcat, & notum ab ignoto non diſtinguat: præterea quòd ad multa, quæ continentur in unâquâque re, ſimul attendat ſine ullâ diſtinctione, inde ſequitur primò, quòd ſi idea ſit alicujus rei ſimpliciſſimæ, ea non niſi clara, & diſtincta poterit eſſe: Nam res illa non ex parte; ſed tota, aut nihil ejus innoteſcere debebit. Sequitur ſecundò, quòd ſi res, quæ componitur ex multis, in partes omnes ſimpliciſſimas cogitatione dividatur, & ad unamquamque ſeorſim attendatur, omnis tum confuſio evaneſcet. Sequitur tertiò, quòd fictio non poſſit eſſe ſimplex; ſed quòd fiat ex compoſitione diverſarum idearum confuſarum, quæ ſunt diverſarum rerum, atque actionum, in naturâ exiſtentium; vel meliùs ex attentione [b] ſimul ſine aſſenſu ad tales diverſas ideas: Nam ſi eſſet ſimplex, eſſet clara, & diſtincta, & per conſequens vera. Si ex compoſitione idearum diſtinctarum, eſſet etiam earum

[b] NB. *Quod fictio in ſe ſpectata non multùm differat à ſomnio, niſi quòd in ſomniis non offerantur cauſæ, quæ vigilantibus ope ſenſuum offeruntur: ex quibus colligunt illa repræſentamina illo tempore non repreſentari à rebus extra ſe conſtitutis. Error autem, ut ſtatim apparebit, eſt vigilando ſomniare; &, ſi ſit admodum manifeſtus, delirium vocatur.*

com-

compoſitio clara, & diſtincta, ac proinde vera. Ex. gr. poſtquam novimus naturam circuli, ac etiam naturam quadrati, jam non poſſum ea duo componere, & circulum facere quadratum, aut animam quadratam, & ſimilia. Concludamus iterum breviter, & videamus, quomodò fictio nullo modo ſit timenda, ut ea cum veris ideis confundatur. Nam quoad primam, de quâ priùs locuti ſumus, ubi ſcilicet res clarè concipitur, vidimus, quòd ſi ea res, quæ clarè concipitur, & etiam ipſius exiſtentia ſit per ſe æterna veritas, nihil circa talem rem poterimus fingere; ſed ſi exiſtentia rei conceptæ non ſit æterna veritas, tantùm eſt curandum, ut exiſtentia rei cum ejus eſſentiâ conferatur, & ſimul ad ordinem naturæ attendatur. Quoad ſecundam fictionem, quam diximus eſſe ſimul attentionem ſine aſſenſu ad diverſas ideas confuſas, quæ ſunt diverſarum rerum, atque actionum, in naturâ exiſtentium; vidimus etiam rem ſimpliciſſimam non poſſe fingi; ſed intelligi, & etiam rem compoſitam, modò ad partes ſimpliciſſimas, ex quibus componitur, attendamus; imò nec ex ipſis ullas actiones, quæ veræ non ſunt, nos poſſe fingere: Nam ſimul cogemur contemplari, quomodò, & cur tale quid fiat.

His ſic intellectis, tranſeamus jam ad inquiſitionem ideæ falſæ, ut videamus, circa quæ verſetur, & quomodò nobis poſſimus cavere, ne in falſas perceptiones incidamus. Quod utrumque non erit nobis jam difficile poſt inquiſitionem ideæ fictæ: Nam inter ipſas nulla alia datur differentia, niſi quòd hæc ſupponat aſſenſum, hoc eſt, (uti jam notavimus) quòd nullæ offeruntur cauſæ, dum repræſentamina ipſi offeruntur, quibus, ſicut fingens, poſſit colligere, ea non oriri à rebus extra ſe, & quòd ferè nihil aliud ſit, quàm oculis apertis, ſive dum vigilamus, ſomniare. Verſatur itaque idea falſa, vel (ut meliùs loquar) refertur ad exiſtentiam rei, cujus eſſentia cognoſcitur, ſive circa eſſentiam eodem modo, ac idea ficta. Quæ ad exiſtentiam refertur, emendatur eodem modo, ac fictio: nam ſi natura rei notæ ſupponat exiſtentiam neceſſariam, impoſſibile eſt, ut circa exiſtentiam illiùs rei fallamur; ſed ſi exiſtentia rei non ſit æterna veritas, uti eſt ejus eſſentia; ſed quòd neceſſitas, aut impoſſibilitas exiſtendi pendeat à cauſis externis, tum

cape omnia eodem modo, quo diximus, cùm de fictione sermo esset: nam eodem modo emendatur. Quod attinet ad alteram, quæ ad essentias refertur, vel etiam ad actiones, tales perceptiones necessariò semper sunt confusæ, compositæ ex diversis confusis perceptionibus rerum in naturâ existentium, ut cùm hominibus persuadetur, in silvis, in imaginibus, in brutis, & cæteris adesse numina; dari corpora, ex quorum solâ compositione fiat intellectus; cadavera ratiocinari, ambulare, loqui; Deum decipi, & similia; sed ideæ, quæ sunt claræ, & distinctæ nunquam possunt esse falsæ: Nam ideæ rerum, quæ clarè, & distinctè concipiuntur, sunt vel simplicissimæ, vel compositæ ex ideis simplicissimis, id est, à simplicissimis ideis deductæ. Quòd verò idea simplicissima non queat esse falsa, poterit unusquisque videre, modò sciat, quid sit verum, sive intellectus, & simul quid falsum.

Nam, quod id spectat, quod formam veri constituit, certum est, cogitationem veram à falsâ non tantùm per denominationem extrinsecam; sed maximè per intrinsecam distingui. Nam si quis faber ordine concepit fabricam aliquam, quamvis talis fabrica nunquam exstiterit, nec etiam unquam exstitura sit, ejus nihilominùs cogitatio vera est, & cogitatio eadem est, sive fabrica existat, sive minùs; & contrà si aliquis dicit, Petrum ex. gr. existere, nec tamen scit, Petrum existere, illa cogitatio respectu illius falsa est, vel, si mavis, non est vera; quamvis Petrus reverâ existat. Nec hæc enunciatio, Petrus existit, vera est, nisi respectu illius, qui certò scit, Petrum existere. Unde sequitur in ideis dari aliquid reale, per quod veræ à falsis distinguuntur: quod quidem jam investigandum erit, ut optimam veritatis normam habeamus, (ex datâ enim veræ ideæ normâ nos nostras cogitationes debere determinare diximus, methodumque cognitionem esse reflexivam.) & proprietates intellectûs noscamus; nec dicendum hanc differentiam ex eo oriri, quòd cogitatio vera est res cognoscere per primas suas causas, in quo quidem à falsâ valdè differret, prout eandem suprà explicui: Cogitatio enim vera etiam dicitur, quæ essentiam alicujus principii objectivè involvit, quod causam non habet, & per se, & in se cognoscitur. Quare forma veræ cogitationis in eâdem

ipsâ

ipſâ cogitatione ſine relatione ad alias debet eſſe ſita; nec objectum tanquam cauſam agnoſcit; ſed ab ipſâ intellectûs potentiâ, & naturâ pendêre debet. Nam ſi ſupponamus, intellectum ens aliquod novum percepiſſe, quod nunquam exſtitit, ſicut aliqui Dei intellectum concipiunt, antequam res crearet, (quæ ſanè perceptio à nullo objecto oriri potuit) & ex tali perceptione alias legitimè deduceret, omnes illæ cogitationes veræ eſſent, & à nullo objecto externo determinatæ; ſed à ſolâ intellectûs potentiâ, & naturâ penderent. Quare id, quod formam veræ cogitationis conſtituit, in ipſâ eâdem cogitatione eſt quærendum, & ab intellectûs naturâ deducendum. Hoc igitur ut inveſtigetur, ideam aliquam veram ob oculos ponamus, cujus objectum maximè certò ſcimus à vi noſtrâ cogitandi pendêre, nec objectum aliquod in naturâ habere: in tali enim ideâ, ut ex jam dictis patet, faciliùs id, quod volumus, inveſtigare poterimus. Ex. gr. ad formandum conceptum globi fingo ad libitum cauſam, nempe ſemicirculum circa centrum rotari, & ex rotatione globum quaſi oriri. Hæc ſanè idea vera eſt, & quamvis ſciamus nullum in naturâ globum ſic unquam ortum fuiſſe, eſt hæc tamen vera perceptio, & facillimus modus formandi globi conceptum. Jam notandum hanc perceptionem affirmare ſemicirculum rotari, quæ affirmatio falſa eſſet, ſi non eſſet juncta conceptui globi, vel cauſæ talem motum determinantis, ſive abſolutè, ſi hæc affirmatio nuda eſſet. Nam tum mens tantùm tenderet ad affirmandum ſolum ſemicirculi motum, qui nec in ſemicirculi conceptu continetur, nec ex conceptu cauſæ motum determinantis oritur. Quare falſitas in hoc ſolo conſiſtit, quod aliquid de aliquâ re affirmetur, quod in ipſius, quem formavimus conceptu, non continetur, ut motus, vel quies de ſemicirculo. Unde ſequitur ſimplices cogitationes non poſſe non eſſe veras, ut ſimplex ſemicirculi, motûs, quantitatis, &c. idea. Quicquid hæ affirmationis continent, earum adæquat conceptum, nec ultra ſe extendit; quare nobis licet ad libitum ſine ullo erroris ſcrupulo ideas ſimplices formare. Supereſt igitur tantùm quærere, quâ potentiâ mens noſtra eas formare poſſit, & quouſque ea potentia ſe extendat: hoc enim invento facilè videbimus ſummam, ad quam poſſumus pervenire, cogni-

tionem. Certum enim est hanc ejus potentiam se non extendere in infinitum: Nam cùm aliquid de aliquâ re affirmamus, quod in conceptu, quem de eâ formamus, non continetur, id defectum nostræ perceptionis indicat, sive quòd mutilatas quasi, & truncatas habemus cogitationes, sive ideas. Motum enim semirculi falsum esse vidimus, ubi nudus in mente est, eum ipsum autem verum, si conceptui globi jungatur, vel conceptui alicujus causæ talem motum determinantis. Quòd si de naturâ entis cogitantis sit, uti primâ fronte videtur, cogitationes veras, sive adæquatas formare, certum est, ideas inadæquatas ex eo tantùm in nobis oriri, quòd pars sumus alicujus entis cogitantis, cujus quædam cogitationes ex toto, quædam ex parte tantùm nostram mentem constituunt.

Sed quod adhuc venit considerandum, & quod circa fictionem non fuit operæ pretium notare, & ubi maxima datur deceptio, est, quando contingit, ut quædam, quæ in imaginatione offeruntur, sint etiam in intellectu, hoc est, quòd clarè, & distinctè concipiantur, quòd tum, quamdiu distinctum à confuso non distinguitur, certitudo, hoc est, idea vera cum non distinctis commiscetur. Ex. gr. quidam Stoicorum fortè audiverunt nomen animæ, & etiam quòd sit immortalis, quæ tantùm confusè imaginabantur; imaginabantur etiam, & simul intelligebant corpora subtilissima cætera omnia penetrare, & à nullis penetrari. Cùm hæc omnia simul imaginabantur, concomitante certudine hujus axiomatis, statim certi reddebantur, mentem esse subtilissima illa corpora, & subtilissima illa corpora non dividi, &c. sed ab hoc etiam liberamur, dum conamur ad normam datæ veræ ideæ omnes nostras perceptiones examinare cavendo, uti initio diximus, ab iis, quas ex auditu, aut ab experientiâ vagâ habemus. Adde quòd talis deceptio ex eo oritur, quòd res nimis abstractè concipiunt: nam per se satis clarum est, me illud, quod in suo vero objecto concipio, alteri non posse applicare. Oritur denique etiam ex eo, quòd prima elementa totius naturæ non intelligunt; unde sine ordine procedendo, & naturam cum abstractis, quamvis sint vera axiomata, confundendo, se ipsos confundunt, ordinemque naturæ pervertunt.

tunt. Nobis autem, ſi quàm minimè abſtractè procedamus, & à primis elementis, hoc eſt, à fonte, & origine naturæ, quàm primùm fieri poteſt, incipiamus, nullo modo talis deceptio erit metuenda. Quod autem attinet ad cognitionem originis naturæ, minimè eſt timendum, ne eam cum abſtractis confundamus: nam cùm aliquid abſtractè concipitur, uti ſunt omnia univerſalia, ſemper latiùs comprehenduntur in intellectu, quàm reverâ in naturâ exiſtere poſſunt eorum particularia. Deinde cùm in naturâ dentur multa, quorum differentia adeò eſt exigua, ut ferè intellectum effugiat, tum facilè (ſi abſtractè concipiantur) poteſt contingere, ut confundamur; at cùm origo naturæ, ut poſtea videbimus, nec abſtractè, ſive univerſaliter concipi poſſit, nec latiùs poſſit extendi in intellectu, quàm reverâ eſt, nec ullam habeat ſimilitudinem cum mutabilibus, nulla circa ejus ideam metuenda eſt confuſio, modò normam veritatis (quam jam oſtendimus) habeamus: eſt nimirum hoc ens, unicum, [z] infinitum, hoc eſt, eſt omne [a] eſſe, & præter quod nullum datur eſſe.

Hucuſque de idea falſâ, ſupereſt, ut de ideâ dubiâ inquiramus, hoc eſt, ut inquiramus, quænam ſint ea, quæ nos poſſunt in dubium pertrahere, & ſimul quomodò dubitatio tollatur. Loquor de verâ dubitatione in mente, & non de eâ, quam paſſim videmus contingere, ubi ſcilicet verbis, quamvis animus non dubitet, dicit quis ſe dubitare: non eſt enim Methodi hoc emendare; ſed potiùs pertinet ad inquiſitionem pertinaciæ, & ejus emendationem. Dubitatio itaque in animâ nulla datur per rem ipſam, de quâ dubitatur, hoc eſt, ſi tantùm unica ſit ideâ in animâ, ſive ea ſit vera, ſive falſa, nulla dabitur dubitatio, neque etiam certitudo: Sed tantùm talis ſenſatio. Eſt enim in ſe nihil aliud niſi talis ſenſatio; ſed dabitur per aliam ideam, quæ non adeò clara, ac diſtincta eſt, ut poſſimus ex eâ aliquid certi circa rem, de quâ dubitatur, concludere,

[z] *Hæc non ſunt attributa Dei, quæ oſtendunt ipſius eſſentiam, ut in Philoſophiâ oſtendam.*

[a] *Hoc ſuprà jam demonſtratum eſt. Si enim tale ens non exiſteret, unquam poſſet produci; adeóque mens plus poſſet intelligere, quàm natura præſtare, quod ſuprà falſum eſſe conſtitit.*

hoc eſt, idea, quæ nos in dubium conjicit, non eſt clara & diſtincta. Ex. gr. ſiquis nunquam cogitaverit de ſenſuum fallaciâ, ſive experientiâ, ſive quomodocunque ſit, nunquam dubitabit, an ſol major, aut minor ſit, quàm apparet. Inde Ruſtici paſſim mirantur, cùm audiunt ſolem multò majorem eſſe, quàm globum terræ, ſed [b] cogitando de fallaciâ ſenſuum oritur dubitatio, & ſi quis poſt dubitationem acquiſiverit veram cognitionem ſenſuum, & quomodò per eorum inſtrumenta res ad diſtantiam repræſententur, tum dubitatio iterum tollitur. Unde ſequitur, nos non poſſe veras ideas in dubium vocare ex eo, quòd fortè aliquis Deus deceptor exiſtat, qui vel in maximè certis nos fallit, niſi quamdiu nullam habemus claram, & diſtinctam ideam, hoc eſt, ſi attendamus ad cognitionem, quam de origine omnium rerum habemus, & nihil inveniamus, quod nos doceat, eum non eſſe deceptorem eâdem illâ cognitione, quâ, cum attendimus ad naturam trianguli, invenimus ejus tres angulos æquales eſſe duobus rectis; ſed ſi talem cognitionem Dei habemus, qualem habemus trianguli, tum omnis dubitatio tollitur. Et eodem modo, quo poſſumus pervenire ad talem cognitionem trianguli, quamvis non certò ſciamus, an aliquis ſummus deceptor nos fallat, eodem etiam modo poſſumus pervenire ad talem Dei cognitionem, quamvis non certò ſciamus, an detur quis ſummus deceptor, &, modò eam habeamus, ſufficiet ad tollendam, uti dixi, omnem dubitationem, quam de ideis claris, & diſtinctis habere poſſumus. Porrò ſi quis rectè procedat inveſtigando, quæ priùs ſunt inveſtiganda, nullâ interruptâ concatenatione rerum, & ſciat, quomodò quæſtiones ſint determinandæ, antequam ad earum cognitionem accingamur, nunquam niſi certiſſimas ideas, id eſt, claras, & diſtinctas habebit: Nam dubitatio nihil aliud eſt, quàm ſuſpenſio animi circa aliquam affirmationem, aut negationem, quam affirmaret, aut negaret, niſi occurreret aliquid, quo ignoto cognitio ejus rei debet eſſe imperfecta. Unde colligitur, quòd dubitatio ſemper oritur ex eo, quòd res abſque ordine inveſtigentur.

Hæc ſunt, quæ promiſi tradere in hâc primâ parte Methodi. Sed

[b] *Id eſt, ſcit ſenſûs aliquando ſe decepiſſe; ſed hoc tantùm confuſè ſcit: Nam neſcit quomodò ſenſûs fallant.*

ut

ut nihil omittam eorum, quæ ad cognitionem intellectûs, & ejus vires poſſunt conducere, tradam etiam pauca de memoriâ, & oblivione; ubi hoc maximè venit conſiderandum, quòd memoria corroboretur ope intellectûs, & etiam abſque ope intellectûs. Nam quoad primum, quò res magis eſt intelligibilis, eò faciliùs retinetur, & contrà, quò minùs, eò faciliùs eam oblivíſcimur. Ex. gr. ſi tradam alicui copiam verborum ſolutorum, ea multò difficiliùs retinebit, quàm ſi eadem verba in formâ narrationis tradam. Corroboratur etiam abſque ope intellectûs, ſcilicet à vi, quâ imaginatio, aut ſenſus, quem vocant communem, afficitur ab aliquâ re ſingulari corporeâ. Dico *ſingularem*: imaginatio enim tantùm à ſingularibus afficitur: Nam ſi quis legerit ex.gr. unam tantùm Fabulam amatoriam, eam optimè retinebit, quamdiu non legerit plures alias ejus generis, quia tum ſola viget in imaginatione; ſed ſi plures ſint ejusdem generis, ſimul omnes imaginamur, & facilè confunduntur. Dico etiam *corpoream*: nam à ſolis corporibus afficitur imaginatio. Cùm itaque memoria ab intellectu corroboretur, & etiam ſine intellectu, inde concluditur, eam quid diverſum eſſe ab intellectu, & circa intellectum in ſe ſpectatum nullam dari memoriam, neque oblivionem Quid ergo erit memoria? Nihil aliud, quàm ſenſatio impreſſionum cerebri, ſimul cum cogitatione ad determinatam durationem [d] ſenſationis; quod etiam oſtendit reminiſcentia. Nam ibi anima cogitat de illâ ſenſatione; ſed non ſub continuâ duratione; & ſic idea iſtius ſenſationis non eſt ipſa duratio ſenſationis, id eſt, ipſa memoria. An verò ideæ ipſæ aliquam patiantur corruptionem, videbimus in Philoſophiâ. Et ſi hoc alicui valdè abſurdum videatur, ſufficiet ad noſtrum propoſitum, ut cogitet, quòd, quo res eſt ſingularior, eò faciliùs retineatur, ſicut ex exemplo Comœdiæ modò allato patet. Porrò quò res in-

[d] *Si verò duratio ſit indeterminata, memoria ejus rei eſt imperfecta, quod quiſque etiam videtur à naturâ didiciſſe. Sæpe enim, ut alicui meliùs credamus in eo, quod dicit, rogàmus, quando, & ubi id contigerit. Quamvis etiam ideæ ipſæ ſuam habeant durationem in mente, tamen cùm aſſueti ſimus durationem determinare ope alicujus menſuræ motûs, quod etiam ope imaginationis fit, ideò nullam adhuc memoriam obſervamus, quæ ſit puræ mentis.*

telli-

telligibilior, eò etiam faciliùs retinetur. Unde maximè ſingularem, & tantummodò intelligibilem non poterimus non retinere.

Sic itaque diſtinximus inter ideam veram, & cæteras perceptiones, oſtendimusque, quòd ideæ fictæ, falſæ, & cæteræ habeant ſuam originem ab imaginatione, hoc eſt, à quibusdam ſenſationibus fortuitis, (ut ſic loquar) atque ſolutis, quæ non oriuntur ab ipſâ mentis potentiâ; ſed à cauſis externis, prout corpus, ſive ſomniando, ſive vigilando varios accipit motûs. Vel ſi placet, hîc per imaginationem, quicquid velis, cape, modò ſit quid diverſum ab intellectu, & unde anima habeat rationem patientis; perinde enim eſt quicquid capias, poſtquam novimus eandem quid vagum eſſe, & à quo anima patitur, & ſimul etiam novimus, quomodò ope intellectûs ab eâdem liberamur. Quare etiam nemo miretur, me hic nondum probare, dari corpus & alia neceſſaria, & tamen loqui de imaginatione, de corpore, & ejus conſtitutione. Nempe, ut dixi, eſt perinde quid capiam, poſtquam novi eſſe quid vagum, &c.

At ideam veram ſimplicem eſſe oſtendimus, aut ex ſimplicibus compoſitam, & quæ oſtendit, quomodò, & cur aliquid ſit, aut factum ſit, & quòd ipſius effectûs objectivi in animâ procedunt ad rationem formalitatis ipſius objecti; id, quod idem eſt, quod veteres dixerunt, nempe veram ſcientiam procedere à cauſâ ad effectûs; niſi quòd nunquam, quod ſciam, conceperunt, uti nos hîc, animam ſecundùm certas leges agentem, & quaſi aliquod automa ſpirituale. Unde, quantum in initio licuit, acquiſivimus notitiam noſtri intellectûs, & talem normam veræ ideæ, ut jam non vereamur, ne vera cum falſis, aut fictis confundamus; nec etiam mirabimur, cur quædam intelligamus, quæ nullo modo ſub imaginationem cadunt, & alia ſint in imaginatione, quæ prorſùs oppugnant intellectum; alia denique cum intellectu conveniant. Quandoquidem novimus operationes illas, à quibus imaginationes producuntur, fieri ſecundùm alias leges, prorſùs diverſas à legibus intellectûs, & animam circa imaginationem tantùm habere rationem patientis. Ex quo etiam conſtat, quàm facilè ii in

magnos

magnos errores poſſunt delabi, qui non accuratè diſtinxerunt inter imaginationem, & intellectionem. In hos ex. gr. quòd extenſio debeat eſſe in loco, debeat eſſe finita, cujus partes ab invicem diſtinguuntur realiter, quòd ſit primum, & unicum fundamentum omnium rerum, & uno tempore majus ſpatium occupet, quàm alio, multaque ejusmodi alia, quæ omnia prorſus oppugnant veritatem, ut ſuo loco oſtendemus.

Deinde cùm verba ſint pars imaginationis, hoc eſt, quòd, prout vagè ex aliquâ diſpoſitione corporis componuntur in memoria, multos conceptûs fingamus, ideò non dubitandum, quin etiam verba æquè, ac imaginatio, poſſint eſſe cauſa multorum, magnorumque errorum, niſi magnopere ab ipſis caveamus. Adde quòd ſint conſtituta ad libitum, & captum vulgi; adeò ut non ſint niſi ſigna rerum, prout ſunt in imaginatione, non autem prout ſunt in intellectu; quod clarè patet ex eo, quòd omnibus iis, quæ tantùm ſunt in intellectu; & non in imaginatione, nomina impoſuerunt ſæpe negativa, uti ſunt, incorporeum, infinitum, &c. & etiam multa, quæ ſunt reverâ affirmativa, negativè exprimunt, & contrà, uti ſunt increatum, independens, infinitum, immortale, &c. quia nimirùm horum contraria multò faciliùs imaginamur; ideoque priùs primis hominibus occurrerunt, & nomina poſitiva uſurpârunt. Multa affirmamus & negamus, quia natura verborum id affirmare, & negare patitur, non verò rerum natura; adeoque hâc ignoratâ facilè aliquid falſum pro vero ſumeremus.

Vitamus præterea aliam magnam cauſam confuſionis, & quæ facit, quò minùs intellectus ad ſe reflectat: nempe, cùm non diſtinguimus inter imaginationem, & intellectionem, putamus ea, quæ faciliùs imaginamur, nobis eſſe clariora, & id, quod imaginamur, putamus intelligere. Unde quæ ſunt poſtponenda anteponimus, & ſic verus ordo progrediendi pervertitur, nec aliquid legitimè concluditur.

[c] Porrò, ut tandem ad ſecundam partem hujus Methodi perve-

[c] *Præcipua hujus partis Regula eſt, ut ex primâ parte ſequitur, recenſere omnes ideas, quas ex puro intellectu in nobis invenimus, ut ea ab iis, quas imaginamur, diſtinguantur; quod ex proprietatibus uniuscujuſque, nempe imaginationis & intellectionis, erit eliciendum.*

niamus, proponam primò noſtrum ſcopum in hâc Methodo, ac deinde media, ut eum attingamus. Scopus itaque eſt claras, & diſtinctas habere ideas, tales videlicet, quæ ex purâ mente, & non ex fortuitis motibus corporis factæ ſint. Deinde, omnes ideæ ad unam ut redigantur, conabimur eas tali modo concatenare, & ordinare, ut mens noſtra, quoad ejus fieri poteſt, referat objectivè formalitatem naturæ, quoad totam, & quoad ejus partes.

Quoad primum, ut jam tradidimus, requiritur ad noſtrum ultimum finem, ut res concipiatur vel per ſolâm ſuâm eſſentiam, vel per proximâm ſuam cauſâm. Scilicet ſi res ſit in ſe, ſive, ut vulgò dicitur, cauſa ſui, tum per ſolam ſuam eſſentiam debebit intelligi; ſi verò res non ſit in ſe, ſed requirat cauſam, ut exiſtat, tum per proximam ſuam cauſam debet intelligi: Nam reverâ [f] cognitio effectûs nihil aliud eſt, quàm perfectiorem cauſæ cognitionem acquirere. Unde nunquam nobis licebit, quamdiu de Inquiſitione rèrum agimus, ex abſtractis aliquid concludere, & magnopere cavebimus, ne miſceamus ea, quæ tantùm ſunt in intellectu, cum iis, quæ ſunt in re; Sed optima concluſio erit depromenda ab eſſentiâ aliquâ particulari affirmativâ, ſive à verâ & legitimâ definitione. Nam ab axiomatis ſolis univerſalibus non poteſt intellectus ad ſingularia deſcendere, quandoquidem axiomata ad infinita ſe extendunt, nec intellectum magis ad unum, quàm ad aliud ſingulare contemplandum, determinant. Quare recta inveniendi via eſt ex datâ aliquâ definitione cogitationes formare: quòd eò feliciùs & faciliùs procedet, quò rem aliquam meliùs definiverimus; Quare cardo totius hujus ſecundæ Methodi partis in hoc ſolo verſatur, nempe in conditionibus bonæ definitionis cognoſcendis, & deinde in modo eas inveniendi. Primò itaque de conditionibus definitionis agam.

Definitio ut dicatur perfecta, debebit intimam eſſentiam rei explicare, & cavere, ne ejus loco propria quædam uſurpemus; ad quod explicandum, ut alia exempla omittam, ne videar aliorum errores velle detegere, adferam tantùm exemplum alicujus rei abſtractæ, quæ perinde eſt, quomodocunque definiatur,

[f] *Nota, quòd hinc appareat nihil nos de Naturâ poſſe intelligere, quin ſimul cognitionem primæ cauſæ, ſive Dei ampliorem reddamus.*

circuli

circuli ſcilicet: quòd ſi definiatur, eſſe figuram aliquam, cujus lineæ, à centro ad circumferentiam ductæ, ſunt æquales, nemo non videt talem definitionem minimè explicare eſſentiam circuli; ſed tantùm ejus aliquam proprietatem. Et quamvis, ut dixi, circa figuras, & cætera entia rationis hoc parùm referat; multùm tamen refert circa entia Phyſica, & realia: nimirùm, quia proprietates rerum non intelliguntur, quamdiu earum eſſentiæ ignorantur; ſi autem has prætermittimus, neceſſariò concatenationem intellectûs, quæ naturæ concatenationem referre debet, pervertemus, & à noſtro ſcopo prorſùs aberrabimus. Ut itaque hoc vitio liberemur, erunt hæc obſervanda in Definitione.

I. Si res ſit creata, definitio debebit, uti diximus, comprehendere cauſam proximam. Ex. gr. Circulus ſecundum hanc legem ſic eſſet definiendus: eum eſſe figuram, quæ deſcribitur à lineâ quâcunque, cujus alia extremitas eſt fixa, alia mobilis, quæ definitio clarè comprehendit cauſam proximam.

II. Talis requiritur conceptus rei, ſive definitio, ut omnes proprietates rei, dum ſola, non autem cum aliis conjuncta, ſpectatur, ex eâ concludi poſſint, uti in hâc definitione circuli videre eſt. Nam ex eâ clarè concluditur omnes lineas à centro ad circumferentiam ductas æquales eſſe; quodque hoc ſit neceſſarium requiſitum definitionis, adeò per ſe eſt attendenti manifeſtum, ut non videatur operæ pretium in ipſius demonſtratione morari, nec etiam oſtendere ex hoc ſecundo requiſito omnem definitionem debere eſſe affirmativam. Loquor de affirmatione intellectivâ, parùm curando verbalem, quæ propter verborum penuriam poterit fortaſſe aliquando negativè exprimi, quamvis affirmativè intelligatur.

Definitionis verò rei increatæ hæc ſunt requiſita.

I. Ut omnem cauſam ſecludat, hoc eſt, objectum nullo alio præter ſuum eſſe egeat ad ſui explicationem.

II. Ut datâ ejus rei definitione nullus maneat locus Quæſtioni, An ſit?

III. Ut nulla, quoad mentem, habeat ſubſtantiva, quæ poſſint adjectivari, hoc eſt, ne per aliqua abſtracta explicetur.

IV. Et ultimò (quamvis hoc notare non ſit valdè neceſſarium) requi-

requiritur, ut ab ejus definitione omnes ejus proprietates concludantur. Quæ etiam omnia attendenti accuratè fiunt manifesta.

Dixi etiam, quòd optima conclusio erit depromenda ab essentiâ aliquâ particulari affirmativâ: Quò enim specialior est idea, eò dinctior, ac proinde clarior est. Unde cognitio particularium quàm maximè nobis quærenda est.

Quoad ordinem verò, & ut omnes nostræ perceptiones ordinentur, & uniantur, requiritur, ut, quàmprimum fieri potest, & ratio postulat, inquiramus, an detur quoddam ens, & simul quale, quod sit omnium rerum causa, ut ejus essentia objectiva sit etiam causa omnium nostrarum idearum, & tum mens nostra, uti diximus, quàm maximè referet Naturam: Nam & ipsius essentiam, & ordinem, & unionem habebit objectivè. Unde possumus videre, apprimè nobis esse necessarium, ut semper à rebus physicis, sive ab entibus realibus omnes nostras ideas deducamus, progrediendo, quoad ejus fieri potest, secundum seriem causarum ab uno ente reali ad aliud ens reale, & ità quidem, ut ad abstracta, & universalia non transeamus, sive ut ab iis aliquid reale non concludamus, sive ut ea ab aliquo reali non concludantur: Utrumque enim verum progressum intellectûs interrumpit. Sed notandum, me hîc per seriem causarum, & realium entium non intelligere seriem rerum singularium mutabilium; sed tantummodò seriem rerum fixarum, æternarumque. Seriem enim rerum singularium mutabilium impossibile foret humanæ imbecillitati assequi, cùm propter earum omnem numerum superantem multitudinem, tum propter infinitas circumstantias in unâ & eâdem re, quarum unaquæque potest esse causa, ut res existat, aut non existat. Quandoquidem earum existentia nullam habet connexionem cum earundem essentia, sive (ut jam diximus) non est æterna veritas. Verumenimverò neque etiam opus est, ut earum seriem intelligamus: siquidem rerum singularium mutabilium essentiæ non sunt depromendæ ab earum serie, sive ordine existendi; cùm hic nihil aliud nobis præbeat præter denominationes extrinsecas, relationes, aut ad summum circumstantias; quæ omnia longè absunt ab intimâ essentiâ rerum. Hæc verò tantùm est petenda à fixis, atque æternis rebus,

bus, & ſimul à legibus in iis rebus, tanquam in ſuis veris codicibus, inſcriptis, ſecundùm quas omnia ſingularia, & fiunt, & ordinantur; imò hæc mutabilia ſingularia adeò intimè, atque eſſentialiter (ut ſic dicam) ab iis fixis pendent, ut ſine iis nec eſſe, nec concipi poſſint. Unde hæc fixa, & æterna, quamvis ſint ſingularia, tamen ob eorum ubique præſentiam, ac latiſſimam potentiam erunt nobis, tanquam univerſalia, ſive genera definitionum rerum ſingularium mutabilium, & cauſæ proximæ omnium rerum.

Sed, cùm hoc ità ſit, non parùm difficultatis videtur ſubeſſe, ut ad horum ſingularium cognitionem pervenire poſſimus: nam omnia ſimul concipere res eſt longè ſupra humani intellectûs vires. Ordo autem, ut unum ante aliud intelligatur, uti diximus, non eſt petendus ab eorum exiſtendi ſerie, neque etiam à rebus æternis. Ibi enim omnia hæc ſunt ſimul naturâ. Unde alia auxilia neceſſariò ſunt quærenda præter illa, quibus utimur ad res æternas, earumque leges intelligendum; attamen non eſt hujus loci ea tradere, neque etiam opus eſt, niſi poſtquam rerum æternarum, earumque infallibilium legum ſufficientem acquiſiverimus cognitionem, ſenſuumque noſtrorum natura nobis innotuerit.

Antequam ad rerum ſingularium cognitionem accingamur, tempus erit, ut ea auxilia tradamus, quæ omnia eò tendent, ut noſtris ſenſibus ſciamus uti, & experimenta certis legibus, & ordine facere, quæ ſufficient ad rem, quæ inquiritur, determinandam, ut tandem ex iis concludamus, ſecundùm quaſnam rerum æternarum leges facta ſit, & intima ejus natura nobis innoteſcat, ut ſuo loco oſtendam. Hîc, ut ad propoſitum revertar, tantùm enitar tradere, quæ videntur neceſſaria, ut ad cognitionem rerum æternarum pervenire poſſimus, earumque definitiones formemus conditionibus ſuprà traditis.

Quod ut fiat, revocandum in memoriam id, quod ſuprà diximus, nempe quòd, ubi mens ad aliquam cogitationem attendit, ut ipſam perpendat, bonoque ordine ex eâ deducat, quæ legitimè ſunt deducenda, ſi ea falſa fuerit, falſitatem deteget; ſin autem vera, tum feciliter perget ſine ullâ interruptione res veras inde de-

ducere; hoc, inquam, ad noſtram rem requiritur. Nam ex nullo fundamento cogitationes noſtræ terminari queunt. Si igitur rem omnium primam inveſtigare velimus, neceſſe eſt dari aliquod fundamentum, quod noſtras cogitationes eo dirigat. Deinde quia methodus eſt ipſa cognitio reflexiva, hoc fundamentum, quod noſtras cogitationes dirigere debet, nullum aliud poteſt eſſe, quàm cognitio ejus, quod formam veritatis conſtituit, & cognitio intellectûs, ejuſque proprietatum, & virium: hâc enim acquiſitâ fundamentum habebimus, à quo noſtras cogitationes deducemus, & viam, quâ intellectus, prout ejus fert capacitas, pervenire poterit ad rerum æternarum cognitionem, habitâ nimirûm ratione virium intellectûs.

Quòd ſi verò ad naturam cogitationis pertineat veras formare ideas, ut in primâ parte oſtenſum, hîc jam inquirendum, quid per vires & potentiam intellectûs intelligamus. Quoniam verò præcipua noſtræ Methodi pars eſt vires intellectûs, ejusque naturam optimè intelligere, cogimur neceſſariò (per ea, quæ in hâc ſecundâ parte Methodi tradidi) hæc deducere ex ipſâ cogitationis, & intellectûs definitione. Sed huc uſque nullas regulas inveniendi definitiones habuimus, & quia eas tradere non poſſumus, niſi cognitâ naturâ, ſive definitione intellectûs, ejuſque potentiâ, hinc ſequitur, quòd vel definitio intellectûs per ſe debet eſſe clara, vel nihil intelligere poſſumus. Illa tamen per ſe abſolutè clara non eſt; attamen quia ejus proprietates, ut omnia, quæ ex intellectu habemus, clarè, & diſtinctè percipi nequeunt, niſi cognitâ earum naturâ: ergo definitio intellectûs per ſe innoteſcet, ſi ad ejus proprietates, quas clarè & diſtinctè intelligimus, attendamus. Intellectûs igitur proprietates hîc enumeremus, eaſque perpendamus, deque noſtris innatis & inſtrumentis agere incipiamus.

Intellectûs proprietates, quas præcipuè notavi, & clarè intelligo hæ ſunt.

I. Quòd certitudinem involvat, hoc eſt, quòd ſciat res ità eſſe formaliter, ut in ipſo objectivè continentur.

II. Quòd quædam percipiat, ſive quasdam formet ideas abſo-

& *Vide ſuprà pag. 365. 366. & ſeqq.*

lutè,

lutè, quasdam ex aliis. Nempe quantitatis ideam format absolutè, nec ad alias attendit cogitationes; motûs verò ideas non, nisi attendendo ad ideam quantitatis.

III. Quas absolutè format, infinitatem exprimunt; at determinatas ex aliis format. Ideam enim quantitatis, si eam per causam percipit, tum quantitatem determinat, ut cùm ex motu alicujus plani corpus, ex motu lineæ verò planum, ex motu denique puncti lineam oriri percipit; quæ quidem perceptiones non inserviunt ad intelligendam, sed tantùm ad determinandam quantitatem. Quod inde apparet, quia eas quasi ex motu oriri concipimus, cùm tamen motus non percipiatur, nisi perceptâ quantitate, & motum etiam ad formandam lineam in infinitum continuare possumus, quod minimè possemus facere, si non haberemus ideam infinitæ quantitatis.

IV. Ideas positivas priùs format, quàm negativas.

V. Res non tam sub duratione, quàm sub quâdam specie æternitatis percipit, & numero infinito; vel potiùs ad res percipiendas, nec ad numerum, nec ad durationem attendit: cùm autem res imaginatur, eas sub certo numero, determinata duratione, & quantitate percipit.

VI. Ideæ, quas claras & distinctas formamus, ità ex solâ necessitate nostræ naturæ sequi videntur, ut absolutè à solâ nostrâ potentiâ pendêre videantur; confusæ autem contrà. Nobis enim invitis sæpe formantur.

VII. Ideas rerum, quas intellectus ex aliis format, multis modis mens determinare potest: ut ad determinandum ex. gr. planum ellipseos, fingit stylum chordæ adhærentem circa duo centra moveri, vel concipit infinita puncta eandem semper, & certam rationem ad datam aliquam rectam lineam habentia, vel conum plano aliquo obliquo sectum, ita ut angulus inclinationis major sit angulo verticis coni, vel aliis infinitis modis.

VIII. Ideæ, quò plus perfectionis alicujus objecti exprimunt, eò perfectiores sunt. Nam fabrum, qui fanum aliquod excogitavit, non ità admiramur, ac illum, qui templum aliquod insigne excogitavit.

Reli-

Reliqua, quæ ad cogitationem referuntur, ut amor, lætitia, &c. nihil moror: nam nec ad noſtrum inſtitutum præſens faciunt, nec etiam poſſunt concipi, niſi percepto intellectu. Nam perceptione omninò ſublatâ ea omnia tolluntur.

Ideæ falſæ, & fictæ nihil poſitivum habent, (ut abunde oſtendimus) per quod falſæ, aut fictæ dicuntur; ſed ex ſolo defectu cognitionis, ut tales, conſiderantur. Ideæ ergo falſæ, & fictæ, quatenus tales, nihil nos de eſſentia cogitationis docere poſſunt; ſed hæc petenda ex modò recenſitis proprietatibus poſitivis, hoc eſt, jam aliquid commune ſtatuendum eſt, ex quo hæ proprietates neceſſariò ſequantur, ſive quo dato hæ neceſſariò dentur, & quo ſublato hæc omnia tollantur.

Reliqua deſiderantur.

EPISTOLÆ

Doctorum Quorundam Virorum

Ad

B. D. S.

Et Auctoris

RESPONSIONES;

Ad aliorum ejus Operum elucidationem non parùm facientes.

QUESTIONS?

EPISTOLÆ

Doctorum Quorundam Virorum

Ad

B. D. S.

Cum Auctoris Responsionibus:

Epistola I.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS.

Clarissime Domine, Amice colende.

TAm ægrè nuper, cùm tibi in secessu tuo Rhenoburgi, adessem, à latere tuo divillebar, ut quamprimùm in Angliam factus sum redux, tecum rursus uniri, quantum fieri potest, commercio saltem epistolico annitar. Rerum solidarum scientia, conjuncta cum humanitate, & morum elegantiâ, (quibus omnibus Natura, & Industria amplissimè te locupletârunt) eas habent in semetipsis illecebras, ut viros quosvis ingenuos, & liberaliter educatos, in sui amorem rapiant. Age itaque, Vir Præstantissime, amicitiæ non fucatæ dextras jungamus, eamque omni studiorum, & officiorum genere sedulò colamus. Quod quidem à tenuitate meâ proficisci potest, tuum judica. Quas tu possides ingenii dotes, earum partem, cùm sine tuo id fieri detrimento possit, me mihi vendicare sinas. Habebamus Rhenoburgi sermonem de Deo, de Extensione, & Cogitatione infinitâ, de horum attribu-

torum diſcrimine, & convenientiâ, de ratione unionis animæ humanæ cum corpore; porrò de Principiis Philoſophiæ Carteſianæ, & Baconianæ. Verùm cùm quaſi per tranſennam, & in transcurſu duntaxat de tanti momenti argumentis tunc loqueremur, atque interim iſta omnia menti meæ crucem figant, ex amicitiæ inter nos initæ jure tecum agere nunc aggrediar, ac peramanter rogare, ut circa ſubjecta præmemorata tuos conceptûs nonnihil fuſiùs mihi exponere; imprimis verò in hiſce duobus me edocere non graveris, videlicet, primò, quâ in re Extenſionis, & Cogitationis verum diſcrimen ponas; ſecundò, quos in Carteſii, & Baconis Philoſophiâ defectûs obſerves, quâque ratione eos è medio tolli, ac ſolidiora ſubſtitui poſſe judices. Quò liberaliùs de hiſce, & ſimilibus ad me ſcripſeris, eò arctiùs me tibi devincies, & ad paria, ſi modò poſſim, præſtanda vehementer obſtringes. Sub prælo hîc jam ſudant Exercitationes quædam Phyſiologicæ à Nobili quodam Anglo, egregiæ eruditionis viro, perſcriptæ. Tractant illæ de aëris indole, & proprietate Elaſticâ, quadraginta tribus experimentis comprobatâ: de Fluiditate item, & Firmitudine, & ſimilibus. Quamprimùm excuſæ fuerint, curabo, ut per Amicum, mare fortaſſis trajicientem, tibi exhibeantur. Tu interim longùm vale, & amici tui memor vive, qui eſt

Tuus omni affectu, & ſtudio

HENRICUS OLDENBURG.

Londini $\frac{18}{28}$ Auguſt. 1661.

EPISTOLA II.

Viro Nobilissimo, ac Doctissimo,

H. OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

VIR CLARISSIME,

QUàm grata sit mihi tua amicitia, ipse judicare poteris, modò simul à tuâ humanitate impetrare possis, ut tibi ad virtutes, quibus abundas, reflectere liceat, & quamvis, quamdiu ipsas contemplor, non parùm mihi videar superbire, nempe quòd eam tecum inire audeam, præsertim dum cogito amicorum omnia, præcipuè spiritualia, debere esse communia; tamen hoc tuæ humanitati potiùs, simul & benevolentiæ, quàm mihi erit tribuendum. Summitate enim illius te deprimere, & copiâ hujus adeò mè locupletare voluisti, ut arctam amicitiam, quam mihi constanter polliceris, & à me reciprocam dignatus es petere, inire non verear, eaque ut sedulò colatur, enixè sim curaturus. Ingenii mei dotes quod attinet, si quas possiderem, eas te tibi vendicare libentissimè sinerem, quanquam scirem, id non sine meo magno detrimento futurum. Sed ne videar hoc modo tibi, quod à me jure amicitiæ petis, velle denegare, quid circa illa, de quibus loquebamur, sentiam, conabor explicare, quanquam non putem, nisi tua benignitas interfit, hoc medium futurum, ut mihi arctiùs devinciaris. De Deo itaque incipiam breviter dicere; quem definio esse Ens, constans infinitis attributis, quorum unumquodque est infinitum, sive summè perfectum in suo genere. Ubi notandum, me per attributum intelligere omne id, quod concipitur per se, & in se; adeò ut ipsius conceptus non involvat conceptum alterius rei. Ut ex. gr. Extensio per se, & in se concipitur; at motus non item. Nam concipitur in alio,

& ipsius conceptus involvit Extensionem. Verùm, quòd hæc sit vera Dei definitio, constat ex hoc, quòd per Deum intelligamus Ens summè perfectum, & absolutè infinitum. Quòd autem tale ens existat, facile est ex hâc definitione demonstrare; sed, quia non est hujus loci, demonstratione supersedebo. Sed quod hîc demonstrare debeo, ut primæ quæstioni V. Clar. satisfaciam, sunt hæc sequentia. Primò, quòd in rerum natura non possunt existere duæ substantiæ, quin totâ essentiâ differant. Secundò, substantiam non posse produci; sed quòd sit de ipsius essentiâ existere. Tertiò, quòd omnis substantia debeat esse infinita, sive summè perfecta in suo genere; quibus demonstratis facilè poterit videre Vir. Clar. quò tendam, modò simul attendat ad definitionem Dei, adeò ut non sit opus apertiùs de his loqui. Ut autem hæc clarè, & breviter demonstrarem, nihil meliùs potui excogitare, nisi ut ea more Geometrico probata examini tui ingenii subjicerem, ea * itaque hic seperatim mitto, tuumque circa ipsa judicium exspectabo. Petis à me secundò, quosnam errores in Cartesii, & Baconis Philosophiâ observem. Quâ in re, quamvis meus mos non sit aliorum errores detegere, volo etiam tibi morem gerere. Primus itaque, & maximus est, quòd tam longè à cognitione primæ causæ, & originis omnium rerum aberrârint. Secundus, quòd veram naturam humanæ Mentis non cognoverint. Tertius, quòd veram causam erroris nunquam assecuti sint; quorum trium quàm maximè necessaria sit vera cognitio, tantùm ab iis ignoratur, qui omni studio, & disciplinâ prorsùs destituti sunt. Quòd autem à cognitione primæ causæ, & humanæ Mentis aberraverint, facilè colligitur ex veritate trium propositionum suprà memoratarum: quare ad solum tertium errorem ostendendum me converto. De Bacone parùm dicam, qui de hâc re admodùm confusè loquitur, & ferè nihil probat; sed tantùm narrat. Nam primò supponit, quòd intellectus humanus præter fallaciam sensuum suâ solâ naturâ fallitur, omniaque fingit ex analogiâ suæ naturæ, & non ex analogiâ universi, adeò ut sit instar speculi inæqualis ad radios rerum, qui suam naturam naturæ rerum immi-

* *Vide Ethices partem* 1. *ab initio usque ad Prop.* 4.

scet,

ſcet, &c. Secundò, quòd intellectus humanus fertur ad abſtracta propter naturam propriam, atque ea, quæ fluxa ſunt, fingit eſſe conſtantia, &c. Tertiò, quòd intellectus humanus gliſcat, neque conſiſtere, aut acquieſcere poſſit; & quas adhuc alias cauſas adſignat, facilè omnes ad unicam Carteſii reduci poſſunt; ſcilicet quia voluntas humana eſt libera, & latior intellectu, ſive ut ipſe Verulamius (Aph. 49.) magis confuſè loquitur, quia intellectus * luminis ſicci non eſt; ſed recipit infuſionem à voluntate. (Notandum hîc, quòd Verulamius ſæpe capiat intellectum pro Mente, in quo à Carteſio differt) Hanc ergo cauſam, cæteras ut nullius momenti parùm curando, oſtendam eſſe falſam, quòd & ipſi facilè vidiſſent, modò attendiſſent ad hoc, quòd ſcilicet voluntas differt ab hâc, & illâ volitione, eodem modo ac albedo ab hoc, & illo albo, ſive humanitas ab hoc, & illo homine; adeò ut æquè impoſſibile ſit concipere, voluntatem cauſam eſſe hujus, ac illius volitionis, atque humanitatem eſſe cauſam Petri, & Pauli. Cùm igitur voluntas non ſit, niſi ens rationis, & nequaquam dicenda cauſa hujus, & illius volitionis; & particulares volitiones, quia, ut exiſtant, egent cauſâ, non poſſint dici liberæ; ſed neceſſariò ſint tales, quales à ſuis cauſis determinantur; & denique ſecundum Carteſium, ipſiſſimi errores ſint particulares volitiones, inde neceſſariò ſequitur, errores, id eſt, particulares volitiones, non eſſe liberas, ſed determinari à cauſis externis, & nullo modo à voluntate, quod demonſtrare promiſi. &c.

* *Vide Verulamii Novum Organum lib.* 1. *Aphoriſmo* 49.

EPISTOLA III.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Vir præstantissime, & Amicissime.

REdditæ mihi sunt perdoctæ tuæ literæ, & magnâ cum voluptate perlectæ. Geometricum tuum probandi morem valdè probo; sed meam simul hebetudinem incuso, quòd, quæ tam accuratè doces, ego haud ità promptè assequar. Patiaris igitur, oro, ut documenta istius meæ tarditatis tibi prodam, dum sequentes Quæstiones moveo, earumque solutiones à te peto. Prima est, an clarè, & indubitanter intelligas ex solâ illâ definitione, quam de Deo tradis, demonstrari, tale Ens existere? Ego sanè, cùm mecum perpendo, definitiones non nisi conceptûs Mentis nostræ continere; Mentem autem nostram multa concipere, quæ non existunt, & fœcundissimum esse in rerum semel conceptarum multiplicatione, & augmentatione, necdum video, quomodò ex eo conceptu, quem de Deo habeo, inferre possim Dei existentiam. Possum quippe ex mentali congerie omnium perfectionum, quas in hominibus, animalibus, vegetabilibus, mineralibus, &c. deprehendo, concipere, & formare substantiam aliquam unam, quæ omnes illas virtutes solidè possideat, quin imò Mens mea valet easdem in infinitum multiplicare, & augere; adeóque Ens quoddam perfectissimum, & excellentissimum apud sese effigiare, cùm tamen nullatenus inde concludi possit hujusmodi Entis existentia. Secunda Quæstio est, an tibi sit indubitatum, Corpus non terminari Cogitatione, nec Cogitationem Corpore? cùm adhuc sub judice lis sit, quid sit Cogitatio, sitne motus corporeus, an actus quidam spiritualis, corporeo planè contradistinctus? Tertia est, an axiomata illa, quæ mihi communicâsti, habeas pro Principiis indemonstrabilibus, & Naturæ luce cognitis, nullâque probatio-

bationeegentibus? Fortaſſe primum Axioma tale eſt; ſed non video, quomodò tria reliqua in talium numerum referri queant. Secundum quippe ſupponit, nihil exiſtere in rerum Naturâ præter Subſtantias, & Accidentia, cùm tamen multi ſtatuant, tempus, & locum rationem habere neutrius. Tertium tuum Axioma, *Res* nempe, *quæ diverſa habent artributa, nihil habere inter ſe commune*, tantùm abeſt, ut clarè à me concipiatur, ut potiùs contrarium ejus tota Rerum univerſitas videatur evincere; Res enim omnes nobis cognitæ, tum in nonnullis inter ſe differunt, tum in quibuſdam conveniunt. Quartum denique, *Res ſcilicet, quæ nihil commune habent inter ſe, unam alterius cauſam eſſe non poſſe*, non ità perſpicuum eſt intellectui meo caliginoſo, quin luce aliquâ perfundi egeat. Deus quippe nihil formaliter commune habet cum rebus creatis, earum tamen cauſa à nobis ferè omnibus habetur. Hæc igitur Axiomata, cùm apud me non videantur extra omnem dubitationis aleam poſita, facilè conjicis Propoſitiones tuas iis ſuperſtructas non poſſe non vacillare. Et quò magis eas conſidero, eò pluribus ſuper eas dubitationibus obruor. Ad primam quippe expendo, duos homines eſſe duas Subſtantias, & ejusdem attributi, cùm & unus, & alter ratione valeant; inde concludo, dari duas Subſtantias ejuſdem attributi. Circa ſecundam conſidero, cùm nihil poſſit eſſe cauſa ſuì ipſius, vix cadere ſub captum noſtrum, quomodò verum eſſe poſſit, *Subſtantiam non poſſe produci, neque ab aliâ quâcunque Subſtantiâ.* Hæc enim Propoſitio omnes Subſtantias cauſas ſui ſtatuit, easdemque omnes, & ſingulas à ſe invicem independentes, totidemque Deos facit, & hâc ratione primam omnium Rerum cauſam negat: quod ipſum lubens fateor me non capere, niſi hanc mihi gratiam facias, ut Sententiam tuam de ſublimi hoc argumento nonnihil enuclatiùs, & pleniùs mihi aperias, doceasque, quænam ſit Subſtantiarum origo, & productio, rerumque à ſe invicem dependentia, & mutua ſubordinatio. Ut hâc in re liberè, & fidenter mecum agas, per eam, quam inivimus, amicitiam te conjuro, rogoque enixiſſimè, ut perſuaſum tibi habeas quàm maximè, omnia iſta, quæ mihi impertiri dignaberis, integra, & ſalva fore, meque nullatenus commiſſurum,

rum, ut eoru m quippiam in tui noxam, aut fraudem à me evulgetur. In Collegio noſtro Philoſophico experimentis, & obſervationibus faciendis gnaviter, quantum per facultates licet, indulgemus, & concinnandæ Artium Mechanicarum Hiſtoriæ immoramur, ratum habentes ex Principiis Mechanicis formas, & qualitates rerum optimè poſſe explicari, & per motum, figuram, atque texturam, & varias eorum complicationes omnia Naturæ effecta produci, nec opus eſſe, ut ad formas inexplicabiles, & qualitates occultas, ceu ignorantiæ aſylum, recurramus. Librum, quem promiſi, tibi transmittam, quàm primùm Legati veſtri Belgici, qui hîc agunt, nuncium aliquem, (ut ſæpe facere ſolent) Hagam Comitis expedient, aut quamprimùm Amicus quidam alius, cui tutò eum committere poſſim, ad vos excurret. Veniam peto meæ prolixitati, & libertati, atque unicè rogo, ut quæ ſine ullis involucris, & elegantiis aulicis liberè ad tuas reposui, in bonam partem, ut amici ſolent, accipias, meque credas ſine fuco, & arte

Tibi Addictiſſimum

HENR. OLDENBURG.

Londini, Die 27. Septemb. 1661.

EPISTOLA IV.

Viro Nobiliſſimo ac Doctiſſimo,

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Vir Clariſſime,

DUm paro ire Amſtelædamum, ut ibi hebdomadam, unam ac alteram commorer, tuam perquàm gratam epiſtolam accipi,

pi, tuasque objectiones in tres, quas misi, Propositiones vidi; quibus solis, cæteris propter temporis brevitatem, omissis conabor satisfacere. Ad primam itaque dico, quòd non ex definitione cujuscunque rei sequitur existentia rei definitæ: sed tantummodò (ut in Scholio, quod tribus Propositionibus adjunxi, demonstravi) sequitur ex definitione, sive ideâ alicujus attributi, id est, (uti apertè circa definitionem Dei explicui) rei, quæ per se, & in se concipitur. Rationem verò hujus differentiæ etiam in memorato Scholio satis clarè, ni fallor, proposui, præcipuè Philosopho. Supponitur enim non ignorare differentiam, quæ est inter fictionem, & inter clarum, & distinctum conceptum; neque etiam veritatem hujus Axiomatis, scilicet, quòd omnis definitio, sive clara, & distincta idea sit vera. Quibus notatis non video, quid ad primæ quæstionis solutionem ultrà desideretur. Quare ad solutionem secundæ pergo. Ubi videris concedere, quòd si Cogitatio non pertineat ad Extensionis naturam, quòd tum Extensio non terminaretur Cogitatione, nimirum cùm de exemplo tantùm dubites. Sed nota, amabo, si quis dicat Extensionem non Extensione terminari, sed Cogitatione, annon idem dicet, Extensionem non esse absolutè infinitam, sed tantùm quoad Extensionem? Hoc est, non absolutè mihi concedit Extensionem, sed quoad Extensionem, id est, in suo genere esse infinitam? At ais, forte Cogitatio est actus corporeus. Sit, quamvis nullus concedam; sed hoc unum non negabis, Extensionem, quoad Extensionem, non esse Cogitationem, quod ad meam definitionem explicandam, & ad tertiam Propositionem demonstrandam sufficit. Pergis tertiò in ea, quæ proposui, objicere, quòd Axiomata non sunt inter Notiones communes numeranda. Sed de hâc re non disputo. Verùm etiam de ipsorum veritate dubitas, imò quasi videris velle ostendere eorum contrarium magis esse vero simile. Sed attende, quæso, ad definitionem, quam Substantiæ, & Accidentis dedi, ex quâ hæc omnia concluduntur. Nam cùm per Substantiam intelligam id, quod per se, & in se concipitur, hoc est, cujus conceptûs non involvit conceptum alterius rei: per modificationem autem, sive per Accidens id, quod in alio est, & per id, in quo est, concipitur. Hinc clarè constat

Primò, quòd Subſtantia ſit prior naturâ ſuis Accidentibus. Nam hæc ſine illâ nec exiſtere, nec concipi poſſunt. Secundò quòd præter Subſtantias, & Accidentia nihil detur realiter, ſive extra intellectum. Nam quicquid datur, vel per ſe, vel per aliud concipitur, & ipſius conceptus vel involvit conceptum alterius rei, vel non involvit. Tertiò, quod res, quæ diverſa habent attributa, nihil habent inter ſe commune. Per attributum enim explicui id, cujus conceptus non involvit conceptum alterius rei. Quartò denique, quòd rerum, quæ nihil commune habent inter ſe, una alterius cauſa eſſe non poteſt. Nam cùm nihil ſit in effectu commune cum cauſâ, torum, quod haberet, haberet à nihilo. Quòd autem adfers, quòd Deus nihil formaliter commune habeat cum rebus creatis, &c. ego prorſùs contrarium ſtatui in meâ definitione. Dixi enim, Deum eſſe Ens conſtans infinitis attributis, quorum unumquodque eſt infinitum, ſive ſummè perfectum in ſuo genere. Quòd autem adfers, in primam Propoſitionem; quæſo, mi amice, ut conſideres homines non creari; ſed tantùm generari, & quòd eorum corpora jam antea exiſtebant, quamvis alio modo formata. Verùm hoc concluditur, quod libenter etiam fateor, ſcilicet quòd ſi una pars materiæ annihilaretur, ſimul etiam tota Extenſio evaneſceret. Secunda autem Propoſitio non multos Deos facit; ſed tantùm unum, ſcilicet conſtantem infinitis attributis, &c.

EPISTOLA V.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS.

Amice plurimùm colende,

LIbellum, quem promiſeram, en accipe, mihique tuum de eo judicium, imprimis circa ea, quæ de Nitro, deque Fluiditate, ac Firmitudine inſerit Specimina, reſcribe. Gratias tibi maxi-

mas

mas ago pro eruditis tuis literis ſecundis, quas heri accepi. Doleo tamen magnopere, quòd iter tuum Amſtelædamenſe obfuerit, quò minùs ad omnia mea dubia reſponderis. Quod tum prætermiſſum, quamprimùm per otium licuerit, expedias, oro. Multum quidem mihi lucis in poſteriori hâc epiſtolâ affudiſti, non tamen tantum, ut omnem caliginem diſpulerit; quod tum, credo, fiet feliciter, quando diſtinctè, & clarè de verâ, & primâ rerum origine me inſtruxeris. Quamdiu enim perſpicuum mihi non eſt, à quâ cauſâ, & quomodò res cœperint eſſe, & quo nexu à primâ cauſâ, ſi qua talis ſit, dependeant; omnia, quæ audio, quæque lego, ſcopæ mihi diſſolutæ videntur. Tu igitur, Doctiſſime Domine, ut facem hâc in re mihi præeas, deque meâ fide, & gratitudine non dubites, enixè rogo, qui ſum

Tibi addictiſſimus

HENR. OLDENBURG.

Londini $\frac{11}{21}$ Octob. 1661.

EPISTOLA VI.

Continens Annotationes in librum

Nobiliſſimi Viri ROBERTI BOYLE,

De Nitro, Fluiditate, & Firmitate.

Viro Nobiliſſimo, ac Doctiſſima

HENR. OLDENBURGIO

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

VIR CLARISSIME,

LIbrum ingenioſſimi Boylii accepi, eumque, quantum per otium licuit, evolvi. Maximas tibi ago gratias pro munere hoc.

hoc. Video me non malam antehac, cùm primum hunc mihi librum promiseras, feciſſe conjecturam, nempe, te non niſi de re magni momenti ſollicitum fore. Vis interim, Doctiſſime Domine, ut tibi meum tenue de iis, quæ ſcripſit, judicium mittam, quod, ut mea fert tenuitas, faciam notando ſcilicet quædam, quæ mihi obſcura, ſive minùs demonſtrata videntur, neque adhuc omnia propter occupationes, percurrere, multò minùs examinare potui. Quæ igitur circa Nitrum, &c. notanda reperio, ſequentibus accipe.

DE NITRO.

PRimò colligit ex ſuo experimento de redintegratione Nitri, Nitrum eſſe quid heterogeneum, conſtans ex partibus fixis, & volatilibus, cujus tamen natura (ſaltem quoad Phænomena) valdè differt à naturâ partium, ex quibus componitur, quamvis ex ſolâ merâ mixturâ harum partium oriatur. Hæc, inquam, concluſio, ut diceretur bona, videtur mihi adhuc requiri aliquod experimentum, quo oſtendatur Spiritum Nitri non eſſe reverâ Nitrum, neque abſque ope ſalis lixivioſi poſſe ad conſiſtentiam reduci, neque cryſtalliſari; vel ad minimum requirebatur inquirere, an ſalis fixi, quæ in crucibulo manet quantitas, ſemper eadem ex eâdem quantitate Nitri, & ex majore ſecundum proportionem reperiatur. Et quod ad id attinet, quòd Clariſſimus Vir ait Sect. 9. ſe ope libellæ deprehendiſſe, & etiam quòd Phænomena ſpiritûs Nitri adeò ſint diverſa, imò quædam contraria Phænomenis ipſius Nitri, nihil, meo quidem judicio, faciunt ad confirmandam ejus concluſionem. Quod ut appareat, id, quod ſimpliciſſimum occurrit ad hoc de redintegratione Nitri explicandum, paucis exponam; ſimulque duo, aut tria experimenta admodùm facilia adjungam, quibus hæc explicatio aliquo modo confirmatur. Ut itaque hoc Phænomenon quàm ſimpliciſſimè explicem, nullam aliam differentiam inter ſpiritum Nitri, & ipſum Nitrum ponam, præterquam eam, quæ ſatis eſt manifeſta; hanc ſcilicet, quòd particulæ hujus quieſcant,

ſcant, illius verò non parùm concitatæ inter ſeſe agitentur. Et fixum ſal quod attinet, id nihil facere ad conſtituendam eſſentiam Nitri ſupponam; ſed ipſum, ut fœces Nitri, conſiderabo, à quibus neque ipſe ſpiritus Nitri (ut reperio) liberatur; ſed ipſi, quamvis confrictæ, ſatis copioſè innatant. Hoc ſal, ſive hæ fæces poros, ſive meatûs habent excavatos ad menſuram particularum Nitri. Sed vi ignis, dum particulæ nitroſæ ex ipſis expellebantur, quidam anguſtiores evaſerunt, & per conſequens alii dilatari cogebantur, & ipſa ſubſtantia, ſive parietes horum meatuum rigidæ, & ſimul admodùm fragiles reddebantur; ideóque cum ſpiritus Nitri ipſi inſtillaretur, quædam ipſius particulæ per anguſtiores illos meatûs impetu ſe inſinuare inceperunt, & cùm ipſarum craſſities (ut à Carteſio non malè demonſtratur) ſit inæqualis, eorum rigidos parietes priùs flectebant, inſtar arcûs, antequam eos frangerent; cùm autem ipſos frangerent, illa fragmenta reſilire cogebant, & ſuum, quem habebant motum, retinendo æquè ac antea ineptæ manebant ad conſiſtendum, atque cryſtalliſandum; partes verò Nitri per latiores meatûs ſe inſinuantes, quoniam ipſorum parietes non tangebant, neceſſariò ab aliquâ materiâ ſubtiliſſimâ cingebantur, & ab eâdem eodem modo, ac à flammâ, vel calore partes ligni, ſurſum expellebantur & in fumum avolabant; at ſi ſatis copioſæ erant, ſive quòd cum fragmentis parietum, & cum particulis per anguſtiores meatûs ingredientibus congregarentur, guttulas componebant ſurſum volitantes. Sed ſi ſal fixum ope [a] aquæ, vel aëris laxetur, languidiusque reddatur, tum ſatis aptum fit ad cohibendum impetum particularum Nitri, & eas cogendum, ut, quem habebant, motum amittant, atque iterum conſiſtant, eodem modo, ac globus tormentarius, cùm arenæ, aut luto impingit. In ſolâ hâc conſiſtentiâ particularum Spiritûs Nitri, Nitri redintegratio conſiſtit, ad quam efficiendum ſal fixum, ut ex hâc explicatione apparet, tanquam inſtrumentum adhibetur. Huc uſque de redintegratione.

Videamus jam, ſi placet, primò, cur ſpiritus Nitri, & ipſum

[a] *Si quæris cur ex inſtillatione ſpiritûs Nitri in ſal fixum diſſolutum ebullitio oriretur, lege notam in.* §. 24.

Nitrum

Nitrum ſapore adeò inter ſe differant; ſecundò, cur Nitrum ſit inflammabile, ſpiritus verò Nitri nullo modo. Ut primum intelligamus, advertendum eſt, quòd corpora, quæ ſunt in motu, nunquam aliis corporibus occurrant latiſſimis ſuis ſuperficiebus; quieſcentia verò aliis incumbunt latiſſimis ſuis ſuperficiebus: particulæ itaque Nitri, ſi, cum quieſcunt, linguæ imponantur, ei incumbent latiſſimis ſuis ſuperficiebus, & hoc modo ipſius poros obſtruent, quæ cauſa eſt frigoris; adde quòd ſalivâ non poteſt Nitrum diſſolvi in particulas adeò minutas. Sed ſi, cùm hæ particulæ concitatè moventur, linguæ imponantur, occurrent ipſi acutioribus ſuperficiebus, & per ejus poros ſe inſinuabunt, & quò concitatiùs moveantur, eò acriùs linguam pungent; eo modo ac acus, quæ ſi linguæ occurrat cuſpide, aut ſuâ longitudine ipſi incumbat, diverſas oriri faciet ſenſationes.


Cauſa verò, cur Nitrum ſit inflammabile, ſpiritus autem non item, eſt, quia, cùm particulæ Nitri quieſcunt, difficiliùs ab igne ſurſum ferri poſſunt, quàm cùm proprium verſùs omnes partes habeant motum, ideóque, cùm quieſcunt, tamdiu igni reſiſtunt, donec ignis eas ab invicem ſeparet, atque undequaque cingat; cùm verò ipſas cingit, huc illuc ipſas ſecum rapit, donec proprium acquirant motum, & ſurſum in fumum abeant. Sed particulæ ſpiritûs Nitri, cùm jam ſint in motu, & ab invicem ſeparatæ, à parvo calore ignis in majori ſphæra undequaque dilatantur, & hoc modo quædam in fumum abeunt, aliæ per materiam, ignem ſuppeditantem, ſe inſinuant, antequam flamma undiquaque cingantur; ideóque ignem potiùs extinguunt, quàm alunt.

Pergam jam ad experimenta, quæ hanc explicationem comprobare videntur. Primum eſt, quòd reperi particulas Nitri, quæ inter detonandum in fumum abeunt, merum eſſe nitrum: nam, cùm ſemel atque iterum Nitrum liquefacerem, donec crucibulum ſatis incanduerit, atque prunâ micante incenderem, ejus fumum calice vitreo frigido excepi, donec ab ipſo irroraretur, & poſtea halitu oris calicem etiam ultra madefeci, & tandem [b] aëri eum frigido expoſui, ut ſiccaretur. Quo facto hîc illic in calice ſtiriolæ

[b] *Cum hæc experiebar, aër erat ſereniſſimus.*

Nitri

Nitri apparuerunt, & ut minùs ſuſpicarer, id non ex ſolis particulis volatilibus fieri; ſed quòd fortè flamma partes integras Nitri ſecum raperet, (ut ſecundùm Clariſſimi Viri ſententiam loquar) & fixas ſimul cum volatilibus, antequam diſſolverentur, ex ſe expelleret: hoc, inquam, ut minùs ſuſpicarer, fumum per tubum ultra pedem longum, ut A, quaſi per caminum adſcendere feci, ut partes ponderoſiores tubo adhærerent, & ſolas volatiliores, per anguſtius foraminulum B tranſeuntes, exciperem; & res, uti dixi, ſucceſſit. Verùm neque hic ſubſiſtere volui; ſed, ut rem ulteriùs examinarem, majorem quantitatem Nitri accepi, liquefeci, & prunâ micante incendi; atque, uti antea, tubum A crucibulo impoſui, & juxta foramen B, quamdiu flamma duravit, fruſtulum ſpeculi tenebam, cui materia quædam adhæſit, quæ aëri expoſita liqueſcebat, &, quamvis aliquot dies exſpectaverim, nullum Nitri effectum obſervare potui; ſed, poſtquam ſpiritum Nitri affundebam, in Nitrum mutabatur. Ex quo videor poſſe conclud ere, primò quòd partes fixæ inter liquandum à volatilibus ſeparantur, & quòd flamma ipſas ab invicem diſſociatas ſurſum pellit. Secundò quòd, poſtquam partes fixæ à volatilibus inter detonandum diſſociantur, iterum conſociari non poſſunt: ex quo concluditur tertiò, quòd partes, quæ calici adhæſerunt, & in ſtiriolas coäluerunt, non fixæ; ſed tantùm volatiles fuerunt.



Secundum experimentum, & quod oſtendere videtur partes fixas, non niſi fæces Nitri eſſe, eſt; quòd Nitrum, quò magis eſt defæcatum, eò volatilius, & magis aptum ad cryſtalliſandum reperio. Nam cùm cryſtallos Nitri defæcati, ſive filtrati, poculo vitreo, qualis eſt A imponerem, & parum aquæ frigidæ infunderem, ſimul cum aquâ illâ frigidâ partim evaporabat, & ſurſum circa vitri labra particulæ illæ fugitivæ hærebant, & in ſtiriolas coäleſcebant.



Tertium experimentum, quod indicare videtur particulas ſpiritûs Nitri, ubi ſuum motum amittunt, inflamma-

biles reddi, est. Guttulas spiritûs Nitri involucro chartaceo humido instillavi, ac deinde arenam injeci, per cujus meatus spiritus Nitri continuò se insinuabat, & postquam arena totum, aut ferè totum spiritum Nitri imbiberat, eam in eodem involucro super ignem probè exsiccavi; quo facto arenam deposui, & chartam prunæ micanti appositi, quæ statim, atque ignem apprehendebat, eodem modo scintillabat, ac facere solet, cùm ipsum Nitrum imbiberit. Alia, si mihi fuisset commoditas ulteriùs experiundi, his adjunxissem, quæ fortassis rem prorsùs indicarent; sed quia aliis rebus prorsùs sum distractus in aliam occasionem, tuâ veniâ, differam, & ad alia notanda pergam.

§. 5. Ubi Vir Clarissimus de figurâ particularum Nitri obiter agit, culpat Modernos Scriptores, quòd ipsam perperam exhibuerint, inter quos nescio, an etiam Cartesium intelligat: Eum si intelligit, fortè ex aliorum dictis ipsum culpat. Nam Cartesius non loquitur de talibus particulis, quæ oculis conspici queunt. Neque puto Clarissimum Virum intelligere, quòd si stiriolæ Nitri abraderentur, donec in parallelipipeda, aut in aliam quamcunque figuram mutarentur, Nitrum esse desinerent; sed fortè Chymicos aliquos notat, qui nihil aliud admittunt, nisi quod oculis videre, & manibus palpare possunt.

§. 9. Si hoc experimentum accuratè potuisset fieri, prorsùs confirmaret id, quod concludere volebam ex primo suprà memorato experimento.

§. 13. Usque ad 18. conatur Vir Clarissimus ostendere, omnes tactiles qualitates pendêre à solo motu, figurâ, & cæteris mechanicis affectionibus, quas demonstrationes, quandoquidem à Clarissimo viro non tanquam Mathematicæ proferuntur, non opus est examinare, an prorsùs convincant. Sed interim nescio, cur Clarissimus Vir hoc adeò sollicitè conetur colligere ex hoc suo experimento; cùm jam hoc à Verulamio, & postea à Cartesio satis superque demonstratum sit. Neque video, hoc experimentum luculentiora nobis præbere indicia, quàm alia satis obvia experimenta. Nam quod calorem attinet; an idem non æquè clarè apparet ex eo, quòd si duo ligna, quamvis frigida contra se invicem confricen-

fricentur, flammam ex ſolo illo motu concipiant? quòd calx inſperſâ aquâ incaleſcat? Ad ſonum quod attinet, non video, quid in hoc experimento magis notabile reperiatur, quàm reperitur in aquæ communis ebullitione, & in aliis multis. De Colore autem, ut tantùm probabilia adferam, nihil aliud dicam, niſi quòd videmus omnia virentia in tot, tamque diverſos colores mutari. Porrò corpora, tetrum odorem ſpirantia, ſi agitentur, tetriorem ſpargunt odorem, & præcipuè ſi modicè incaleſcant. Denique vinum dulce in acetum mutatur, & ſic multa alia. Quare hæc omnia (*c ſi libertate Philoſophicâ uti liceat*) ſupervacanea judicarem? *Hoc dico, quia vereor, ne alii, qui Clariſſimum Virum minùs, quàm par eſt, amant, perperam de ipſo judicent.*

§. 24. De hujus Phænomeni cauſâ jam locutus ſum: hîc tantùm addo, me etiam experientiâ inveniſſe, guttulis illis ſalinis particulas ſalis fixi innatare. Nam cùm ipſæ ſurſum volitabant, vitro plano, quod paratum ad id habebam, occurrebant, quod utcunque calefeci, ut, quod volatile vitro adhærebat, evolaret; quo facto materiam craſſam albicantem vitro hic illic adhærentem conſpiciebam.

§. 25. In hâc §. videtut Clariſſimus Vir velle demonſtrare, partes alcaliſatas, per impulſum particularum ſalinarum, huc illuc ferri; particulas verò ſalinas proprio impulſu ſe ipſas in aërem tollere. Et ego in explicatione Phænomeni dixi, quòd particulæ Spiritûs Nitri concitatiorem motum acquirunt, eò quòd, cùm latiores meatus ingrediuntur, neceſſariò à materiâ aliquâ ſubtiliſſimâ cingi debent, & ab eâdem, ut ab igne particulæ ligni, ſurſum pelli; particulæ verò alcaliſatæ ſuum motum acceperunt ab impulſu particularum Spiritûs Nitri per anguſtiores meatus ſe inſinuantium. Hîc addo, aquam puram non adeò facilè ſolvere, atque laxare poſſe partes fixas: Quare non mirum eſt, quòd ex affuſione Spiritûs Nitri in ſolutionem ſalis iſtius fixi in aquâ diſſoluti talis ebullitio, qualem Vir Clariſſimus §. 24. recitat, oriatur; imò puto hanc ebullitionem fervidiorem fore, quàm ſi Spiritus Nitri ſali fixo adhuc intacto inſtillaretur. Nam in aquâ in minutiſſimas mole-

* *in Epiſtolâ à me miſſâ hæc conſultò omiſi.*

culas diſſolvitur, quæ faciliùs dirimi, atque liberiùs moveri poſſunt, quàm cùm omnes partes ſalis ſibi invicem incumbunt, atque firmiter adhærent.

§. 26. De ſapore Spiritûs acidi jam locutus ſum; quare de ſolo alcali dicendum reſtat. Id, cùm imponerem linguæ, calorem, quem punctio ſequebatur, ſentiebam. Quod mihi indicat, quoddam genus calcis eſſe: eodem enim modo atque calx ope aquæ, ità hoc ſal ope ſalivæ, ſudoris, Spiritûs Nitri, & fortè etiam aëris humidi incaleſcit.

§. 27. Non ſtatim ſequitur, particulam aliquam materiæ ex eo, quòd alii jungitur, novam acquirere figuram; ſed tantùm ſequitur ipſam majorem fieri, & id ſufficit ad efficiendum id, quod in hac §. ab Clar. Viro quæritut.

§. 33. Quid de ratione Philoſophandi Clariſſimi Viri ſentiam, dicam, poſtquam videro eam Diſſertationem, de quâ hîc, & in Commentatione Proæmiali pag. 23. mentio fit.

De FLUIDITATE.

§. 1. *Satis conſtat, annumerandas eſſe maximè generalibus affectionibus*, &c. Notiones ex vulgi uſu factas, vel quæ Naturam explicant, non ut in ſe eſt, ſed prout ad ſenſum humanum refertur, nullo modo inter ſumma genera numerandas cenſerem, neque miſcendas, (ne dicam confundendas) cum notionibus caſtis, & quæ Naturam, ut in ſe eſt, explicant. Hujus generis ſunt motus, quies, & eorum leges; illius verò viſibile, inviſibile, calidum, frigidum, & ut ſtatim dicam, fluidum etiam, & conſiſtens, &c.

§. 5. *Prima eſt corporum componentium parvitas, in grandioribus quippe &c.* Quamvis corpora ſint parva, ſuperficies tamen habent (aut habere poſſunt) inæquales, aſperitatesque. Quare ſi corpora magna tali proportione moveantur, ut eorum motus ad eorum molem ſit, ut motus minutorum corporum ad eorundem molem, fluida etiam eſſent dicenda, ſi nomen fluidi quid extrinſecum

secum non significaret, & non ex vulgi usu tantùm usurparetur ad significanda ea corpora mota, quorum minutiæ, atque interstitia humanum sensum effugiunt. Quare idem erit corpora dividere in fluida, & consistentia, ac in visibilia, & invisibilia.

Ibidem. *Nisi Chymicis experimentis id comprobare possemus.* Nunquam Chymicis, neque aliis experimentis, nisi demonstratione, & computatione, aliquis id comprobare poterit. Ratione enim, & calculo corpora in infinitum dividimus; & per consequens etiam Vires, quæ ad eadem movendum requiruntur; sed experimentis nunquam id comprobare poterimus.

§. 6. *Grandia corpora inepta nimis esse constituendis fluidis*, &c. Sive per fluidum intelligatur id, quòd modò dixi, sive non, res tamen per se est manifesta. Sed non video, quomodò Vir Clar. experimentis in hâc §. allatis id comprobet. Nam (quando de re incertâ dubitare volumus) quamvis ossa ad componendum Chylum, & similia fluida, sint inepta, fortè satis erunt apta ad novum quoddam genus fluidi componendum.

§. 10. *Idque dum eas minùs, quàm antea reddit flexiles, &c.* Sine ullâ partium mutatione, sed ex eo tantùm, quòd partes in Recipiens propulsæ à reliquis separabantur, in aliud corpus oleo solidius coagulari potuerant. Corpora enim vel leviora, vel ponderosiora sunt pro ratione fluidorum, quibus immerguntur. Sic particulæ butyri, dum lacti innatant, partem liquoris componunt; sed postquam lac novum motum propter agitationem acquirit, cui omnes partes lac componentes non æquè se accommodare possunt, hoc solum facit, ut quædam ponderosiores evadant, quæ partes leviores sursum pellunt. Sed, quia hæ leviores aëre ponderosiores sunt, ut cum ipso liquorem componant, ab ipso deorsum pelluntur, & quia ad motum ineptæ sunt, ideo etiam solæ liquorem componere non possunt, sed sibi invicem incumbunt, & adhærent. Vapores etiam, cùm ab aëre separantur, in aquam mutantur, quæ respectu aëris consistens potest dici.

§. 13. *Atque exemplum peto à Vesicâ, per aquam distentâ, quam à vesicâ aëre plenâ*, &c. Cùm aquæ particulæ semper quaquaversum indesinenter moveantur, perspicuum est, si à corpo-

ribus circumjacentibus non cohibentur, eam quaquaversum dilatatum iri; porrò quid vesicæ aquâ plenæ distentio juvet ad sententiam de spatiolis confirmandam, fateor me nondum posse percipere: ratio enim, cur particulæ aquæ lateribus vesicæ digito pressis non cedant, quod aliàs, si liberæ essent, facerent, est; quia non datur æquilibrium, sive circulatio, uti datur, cùm corpus aliquod, putà digitus noster à fluido, sive aquâ cingitur. Sed quantumvis aqua à vesicâ prematur, ejus tamen particulæ lapidi, vesicæ etiam incluso, cedent eodem modo, ac extra vesicam facere solent.



§. Eâdem. *Daturne aliqua materiæ portio?* Affirmativa statuenda, nisi malumus progressum in infinitum quærere, aut (quo nîl absurdius) concedere dari vacuum.

§. 19. *Ut liquoris particulæ ingressum in poros illos reperiant, ibique detineantur (quâ ratione*, &c.) Hoc non est absolutè affirmandum de omnibus liquoribus ingressum in poros aliorum invenientibus. Particulæ enim Spiritûs Nitri, si poros albæ chartæ ingrediantur, eam rigidam, ac friabilem reddunt; quod experiri licebit, si capsulæ ferreæ candenti, ut A, guttulæ aliquot infundantur, & fumus per involucrum chartaceum, ut B propellatur. Porrò ipse Spiritus Nitri corium madefacit, non verò humectat; sed contrà ipsum, sicuti etiam ignis, contrahit.



§. Eâdem. *Quas cum natura & volatui, & natatui, &c.* Causam à fine petit.

§. 23. *Quamvis eorundem motus rarò à nobis concipiatur, cape igitur*, &c. Sine hoc experimento, & sine ullo dispendio res satis apparet ex eo, quòd halitus oris, qui tempore hyemali satis conspicitur moveri, tempore tamen æstatis, aut in hypocaustis conspici à nobis non potest. Porrò si tempore æstatis aura subitò frigescat, vapores ex aquâ adscendentes, cùm propter novam densitatem aëris non possint, uti antequam frigesceret, per ipsum

adeò

adeò facilè diſpergi, denuò ſuper aquæ ſuperficiem tantâ copiâ congregantur, ut à nobis ſatis conſpici queant. Porrò motus ſæpe tardior eſt, ut à nobis conſpiciatur, ut ex gnomonê, & umbrâ Solis colligere poſſumus, & ſæpiſſimè celerior eſt, quàm ut à nobis conſpiciatur, ut videre eſt in fomento ignito, dum aliquâ celeritate circulariter movetur; ibi nempe imaginamur, partem ignitam in omnibus locis peripheriæ, quam motu ſuo deſcribit, quieſcere: quorum cauſas hîe redderem, niſi id ſupervacaneum judicarem. Denique, ut hoc obiter dicam, ſufficit, ad naturam fluidi in genere intelligendum, ſcire, quòd poſſumus manum noſtram motu fluido proportionato verſùs omnes partes ſine ullâ reſiſtentiâ movere, ut ſatis manifeſtum eſt iis, qui ad Notiones illas, quæ Naturam, ut in ſe eſt, non verò ut ad ſenſum humanum relatam, explicant, ſatis attendunt. Neque ideò hanc hiſtoriam tanquam inutilem deſpicio; ſed contrà ſi de unoquoque liquore quàm accuratiſſimè, & ſummâ cum fide fieret, ipſam utiliſſimam judicarem ad eorum peculiares differentias intelligendum, quæ res, ut ſummè neceſſaria, omnibus Philoſophis maximè deſideranda.


De FIRMITATE.

§. 7. *Catholicis Naturæ legibus*. Eſt demonſtratio Carteſii; nec video Cl. Virum aliquam genuinam demonſtrationem ab experimentis, vel obſervationibus deſumptam in medium adferre.

Multa hîc, & in ſequentibus notaveram; ſed poſtea vidi Cl. Virum ſe ipſum corrigere.

§. 16. *Et ſemel quadringentas & triginta duas*. Si cum pondere argenti vivi tubo incluſi conferatur, proximè ad verum pondus accedit. Verùm hæc examinare, ut ſimul habeatur, quoad fieri poteſt, ratio inter impulſionem aëris ad latera, ſive ſecundùm lineam Horizonti parallelam, & inter illam, quæ fit ſecundùm lineam Horizonti perpendicularem, operæ pretium ducerem, & puto hoc modo poſſe fieri.

Sit



Sit in Fig. 1. C D ſpeculum planum probiſſimè levigatum. A B duo marmora ſe immediatè tangentia; marmor A alligatum ſit denti E, B verò chordæ N alligatum, T eſt trochlea, G pondus, quod oſtendet vim, quæ requiritur ad divellendum marmor B à marmore A ſecundùm lineam Horizonti parallelam.

In Fig. 2. F ſit filum ſericum ſatis robuſtum, quo marmor B pavimento alligatur, D trochlea, G pondus, quod oſtendet vim, quæ requiritur ad divellendum marmor A ab marmore B ſecundùm lineam horizonti perpendicularem.

Reliqua deſiderantur.

EPISTOLA VII.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

ANte ſeptimanas ſat multas, Vir Clariſſime, gratiſſimam tuam epiſtolam, in Boylii librum doctè animadvertentem, accepi. Ipſe

Ipſe Auctor unà mecum maximas tibi pro meditationibus communicatis gratias agit, idque citiùs ſignificâſſet, niſi eum ſpes tenuiſſet, ſe negotiorum, quibus oneratur, mole tam brevi temporis ſpatio potuiſſe levari, & unà cum gratiis etiam reſponſionem ſuam eâdem operâ potuiſſet remittere. Verùm enim verò ſpe ſuâ ſe hactenus fruſtratum ſentit, negotiis tum publicis tum privatis eum ità diſtrahentibus, ut hâc vice non niſi gratum ſuum animum tibi teſtari queat; ſuam verò de Notis tuis ſententiam in aliud tempus differre cogatur. Accedit, quòd duo Adverſarii ſcriptis excuſis eum ſunt adorti, quibus, ut primo quoque tempore reſpondeat, obſtrictum ſe arbitratur. Ea verò Scripta non in Commentationem de Nitro, ſed in libellum ejus alium, Experimenta Pneumatica, Aërisque Elaterem probantia, continentem, vibrantur. Quàmprimùm laboribus hiſce ſe expediverit, de tuis etiam Exceptionibus mentem ſuam tibi aperiet; at interea temporis rogat, ne moram hanc ſiniſtrè interpreteris.

Collegium illud Philoſophantium, de quo coram apud te mentionem injeceram, jam Regis noſtri gratiâ in Societatem Regiam çonverſum eſt, publicoque Diplomate munitum, quo ipſi inſignia Privilegia conceduntur, ſpesque egregia ſuppeditatur reditibus neceſſariis id ipſum locupletandi.

Omninò conſulerem tibi, ut, quæ pro ingenii tui ſagacitate doctè, tum in Philoſophicis, tum Theologicis concinnaſti, Doctis non invideas; ſed in publicum prodire ſinas, quicquid Theologaſtri oggannire poterint. Liberrima eſt Reſpublica veſtra, liberrimè in eâ philoſophandum: tua interim ipſius prudentia tibi ſuggeret, ut conceptûs tuos, tuamque ſententiam, quàm poteris modeſtiſſimè, prodas, de reliquo eventum Fato committas. Age igitur, Vir optime, metum omnem expectora noſtri temporis homunciones irritandi; ſatis diu ignorantiæ, & nugis litatum; vela pandamus veræ ſcientiæ, & Naturæ adyta penitiùs, quàm hactenus factum, ſcrutemur. Innoxiè, putem, meditationes tuæ apud vos excudi poterunt, nec ullum earum inter Sapientes offendiculum verendum. Hos igitur ſi Patronos & Fautores inveneris, (ut omninò te inventurum ſpondeo) quid Momum ignorantem

rantem reformides. Non te missum faciam, Amice honorande, quin te exoravero, nec unquam, quantum quidem in me est, concedam, ut Cogitata tua, quæ tanti sunt ponderis, æterno silentio premantur. Magnopere rogo, ut quid super hâc re consilii capies, mihi significare, quàm primùm commodè potes, non graveris. Occurrent hîc forte talia, quæ cognitione tuâ non indigna erunt. Prædicta quippe Societas institutum suum nunc acriùs urgebit, & forsan, dummodo Pax in hisce oris perennet, Rempublicam Literariam non vulgariter ornabit. Vale, Vir eximie, meque crede

Tui Studiosissimum, & Amicissimum

HENR. OLDENBURG.

EPISTOLA VIII.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Responsio ad Epistolam. VI.

Præstantissime Vir, Amice Charissime,

MUlta equidem afferre possem, quæ diuturnum meum silentium apud te excusarent; sed ad duo capita causas illius reducam, invaletudinem scilicet Nobilissimi Boylii, & meorum negotiorum turbam. Illa impedimento fuit, quò minùs ad tuas in Nitrum Animadversiones citiùs respondere valuerit Boylius; hæc adeò me districtum tenuere per plurimos menses, ut mei vix juris fuerim, proindeque nec officio illo defungi potuerim, ad quod me tibi obstrictum profiteor. Gestit animus, amotum esse (pro tempore saltem) utrumque obstaculum, ut meum cum tanto Amico

mico commercium inſtaurare liceat. Id equidem nunc facio maximâ cum lubentiâ; ſtatque animus (favente Numine) omni modo cavere, ne deinceps conſuetudo noſtra litteraria tamdiu interrumpatur.

Cæterùm priuſquam de iis tecum agam, quæ tibi & mihi privatim intercedunt, expediam illa, quæ D. Boylii nomine tibi debentur. Notas, quas in Chymico-Phyſicum illius Tractatulum concinnaveras, ſuetâ ſibi humanitate excepit, tibique maximas pro Examine tuo gratias rependit. Interim moneri te cupit, propoſitum ſibi non tam fuiſſe oſtendere, verè Philoſophicam, perfectamque hanc eſſe Nitri Analyſin, quàm explicare vulgarem, & in Scholis receptam de Formis Subſtantialibus, & Qualitatibus doctrinam infirmo talo niti, ſpecificaſque rerum differentias, quas vocant, ad partium magnitudinem, motum, quietum, & ſitum poſſe revocari. Quo prænotato, Auctor porrò ait, Experimentum ſuum de Nitro ſatis ſuperque docere, Nitri corpus univerſum in partes, à ſe invicem, & ab ipſo toto diſcrepantes, per Analyſin Chymicam abiiſſe; poſtea verò ità rurſum ex iiſdem coäluiſſe, & redintegratas fuiſſe, ut parùm fuerit de priſtino pondere deſideratum. Addit verò ſe oſtendiſſe, rem ipſam ità ſe habere; de rei autem modo, quem tu conjectari videris, non egiſſe, nec de eo quicquam, cùm præter inſtitutum ejus fuerit, determinâſſe. Quæ tu interim de modo ſupponis, quodque ſal Nitri fixum, tanquam fæces ejus, conſideras, cæteraque talia, ea à te gratis dicta, nec probata arbitratur: quodque à te affertur, has fæces, ſive hoc ſal fixum meatûs habere ad menſuram particularum Nitri excavatos, circa id notat Auctor noſter, ſalem cinerum clavellatorum, (*Belgicè potaſch*) cum ſpiritu Nitri Nitrum æquè conſtituere, ac Spiritum Nitri cum proprio ſuo ſale fixo: Unde liquere putat, ſimiles reperiri poros in ejuſmodi corporibus, unde Nitroſi Spiritûs non extruduntur. Nec videt Auctor illum materiæ ſubtiliſſimæ, quam adſtruis, neceſſitatem ex ullis Phænomenis probatam; ſed ex ſolâ vacui impoſſibilitatis Hypotheſi aſſumptam.

Quæ de cauſis differentiæ ſaporis inter Spiritum Nitri, & Nitrum ipſum diſſeris, ferire ſe Auctor negat: quòd verò de Nitri

inflammabilitate, & Spiritûs Nitri ἀφλογία tradis, Carteſii de Igne doctrinam ſupponere ait, quam ſibi necdum ſatisfeciſſe teſtatur.

Quod ad Experimenta ſpectat, quibus tuam Phænomeni explicationem comprobari putas; reſpondet Auctor, primò Spiritum Nitri, Nitrum quidem eſſe materialiter, formaliter nequaquam, cùm qualitatibus, & virtutibus quàm maximè differant, ſapore ſcilicet, odore, volatilitate, potentiâ ſolvendi metalla, colores vegetabilium mutandi, &c. Secundò, quòd coïre ais particulas quaſdam ſurſum latas in Cryſtallos Nitri, id ex eo fieri ſtatuit, quòd partes nitroſæ unà cum Spiritu Nitri per ignem protruduntur, quemadmodum in fuligine contingit. Tertiò, quòd de defæcationis effectu affers, ei reſpondet Auctor, iſtâ defæcatione ut plurimùm liberari Nitrum à ſale quodam, ſal commune referente: aſcenſum verò in ſtiriolas communem illi eſſe cum aliis ſalibus, & ab aëris preſſione, aliiſque quibuſdam cauſis, aliàs dicendis, nilque ad præſentem Quæſtionem facientibûs, dependere. Quartò, quòd dicis de Experimento tuo tertio, idem fieri ait Auctor etiam cum aliis quibuſdam ſalibus; aſſerens, chartam actu inflammatam particulas rigidas, & ſolidas, quæ componebant ſalem, vibrare, iiſdemque hoc pacto ſcintillationem conciliare.

Quòd porrò putas Sect. 5. Auctorem Nobilem culpare Carteſium, in hoc teipſum culpandum credit; dicitque, ſe nullatenus indigitâſſe Carteſium; ſed Gaſſendum, & alios, qui figuram Cylindricam particulis Nitri tribuunt, cùm reverâ ſit priſmica; nec de figuris aliis ſe loqui, quàm viſibilibus.

Ad ea, quæ in Sect. 13 --- 18 animadvertis, hoc tantùm reponit, ſe hæc ſcripſiſſe imprimis, ut Chymiæ uſum ad confirmanda principia Philoſophiæ Mechanica oſtenderet, aſſereretque; nec ſe inveniſſe hæc apud alios tam clarè tradita, & tractata. Eſt noſter Boylius ex eorum numero, qui non adeò ſuæ rationi confidant, ut non velint cum ratione convenire Phænomena. Magnum præterea diſcrimen ait intercedere inter obvia experimenta, circa quæ quid adferat Natura, quæque interveniant, ignoramus; & inter ea, de quibus certò conſtat, quænam ad ea afferantur. Ligna ſunt cor-

corpora multò magis compoſita, quàm ſubjectum, de quo Auctor tractat. Et in aquæ communis ebullitione ignis externus additur, qui in procreatione ſoni noſtri non adhibetur. Porrò, quòd virentia in tot, tamque diverſos colores mutantur, de ejus cauſâ quæritur, illud verò ex mutatione partium oriri, hoc experimento declaratur, quo apparet, colorem ex Spiritûs Nitri affuſione mutatum fuiſſe. Denique neque tetrum, neque ſuavem habere odorem Nitrum ait; ſed ex ſolâ diſſolutione tetrum acquirere, quem in reconjunctione amittit.

Quæ ad Sect. 25. notas (cætera enim ſe non tangere ait) iis reſpondet uſum ſe fuiſſe principiis Epicuræis, quæ volunt, motum particulis ineſſe connatum; opus enim fuiſſe aliquâ uti Hypotheſi ad Phænomeni explicationem; quam tamen propterea ſuam non faciat; ſed adhibeat, ad ſententiam ſuam contra Chymicos, & Scholas ſuſtinendum, duntaxat oſtendens ex Hypotheſi memoratâ rem poſſe bene explicari. Quòd ibidem ſubjicis de aquæ puræ ineptitudine ſolvendi partes fixas, ei Boylius noſter reſpondet, Chymicos paſſim obſervare, & aſſerere, aquam puram ſalia alcalizata citiùs, quàm alia ſolvere.

Quæ circa Fluiditatem, & Firmitudinem annotaſti, ea necdum vacavit Auctori expendere. Hæc quæ conſignavi, tibi tranſmitto, ne diutiùs commercio, & colloquio tuo literario deſtituerer.

Peto autem enixiſſimè, ùt boni ea conſulas, quæadeò ſubſultim, & mutilatè tibi repono, idque meæ potiùs feſtinationi, quàm illuſtris Boylii ingenio tribuas. Ea quippe magis ex familiari cum eo circa hoc ſubjectum ſermone collegi, quàm ex præſcriptâ, & Methodicâ aliquâ ejus reſponſione: unde ſine dubio factum, ut multa ab ipſo dicta me effugerint, fortè & ſolidiora, & elegantiora, quàm quæ hic à me commemorata ſunt. Culpam igitur omnem in me rejicio, penituſque ab eâ Auctorem libero.

Jam ad ea progrediar, quæ mihi tecum intercedunt: Et hîc in ipſo limine rogare mihi fas ſit, confeceriſne illud tanti momenti opuſculum tuum, in quo de rerum primordio, earumque dependentiâ à primâ cauſâ, ut & de intellectûs noſtri Emendatione tractas. Certè, Vir Amiciſſime, nil credo in publicum prodire poſſe,

quod Viris reverâ doctis, & ſagacibus futurum ſit iſtiuſmodi Tractatu gratius, vel acceptius. Id tui genii & ingenii Vir ſpectare potiùs debet, quàm quæ noſtri ſeculi, & moris Theologis arridենt: non tam illi veritatem, quàm commoditates ſpectant. Te igitur per amicitiæ noſtræ fœdus, per omnia veritatis augendæ, & evulgandæ jura conteſtor, ne tua de argumentis iis ſcripta nobis invideas, vel neges. Si tamen quid ſit majoris momenti, quàm ego prævideo, quod ab operis publicatione te arceat, ſummopere oro, ut epitomen ejus per litteras mihi impertire ne graveris; & amicum me ſenties pro hoc officio, & gratum. Alia brevi prodibunt ab Eruditiſſimo Boylio edenda, quæ redhoſtimenti loco tibi tranſmittam, ea quoque adjuncturus, quæ totum tibi Inſtitutum Regiæ noſtræ Societatis, cui ſum cum aliis viginti à Conſilio, & cum uno altero à Secretis, depingent. Hâc vice temporis anguſtiâ præcludor, quò minùs evagari ad alia queam. Omnem tibi fidem, quæ ab honeſtâ mente proficiſci poteſt, omnemque ad quævis officia, quæ à tenuitate meâ præſtari queunt, promptitudinem tibi ſpondeo, ſumque ex animo,

Vir Optime, tuus ex aſſe

HENR. OLDENBURG.

Londini die 3. April. 1663.

EPISTOLA IX.

Viro Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo

HENR. OLDENBURGIO

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Vir Nobiliſſime,

LIteras tuas, mihi dudum deſideratas, tandem accepi, iisque etiam reſpondere licuit. Verùm, priusquam id aggrediar, ea, quæ

quæ impediverunt, quò minùs antehac reſcribere potuerim, paucis dicam. Cùm menſe Aprili meam ſupellectilem huc tranſtuli, Amſtelædamum profectus ſum. Ibi quidam me Amici rogârunt, ut ſibi copiam facerem cujusdam Tractatûs, ſecundam Partem Principiorum Carteſii, more Geometrico demonſtratam, & præcipua, quæ in Metaphyſicis tractantur, breviter continentis, quem ego cuidam juveni, quem meas opiniones apertè docere nolebam, antehac dictaveram. Deinde rogârunt, ut quàm primùm poſſem, primam etiam Partem eâdem Methodo concinnarem. Ego, ne amicis adverſarer, ſtatim me ad eam conficiendam accinxi, eamque intra duas hebdomadas confeci, atque amicis tradidi, qui tandem me rogârunt, ut ſibi illa omnia edere liceret, quod facilè impetrare potuerunt, hâc quidem lege, ut eorum aliquis, me præſente, ea ſtylo elegantiori ornaret, ac Præfatiunculam adderet, in quâ Lectores moneret, me non omnia, quæ in eo Tractatu continentur, pro meis agnoſcere, cùm non pauca in eo ſcripſerim, quorum contrarium prorſùs amplector, hocque uno, aut altero exemplo oſtenderet. Quæ omnia amicus quidam, cui editio hujus libelli curæ eſt, pollicitus eſt facere, & hâc de cauſâ aliquod tempus Amſtelædami moratus ſum. Et à quo in hunc pagum, in quo jam habito, reverſus fui, vix mei juris eſſe potui propter amicos, qui me dignati ſunt inviſere. Jam tandem, Amice ſuaviſſime, aliquid ſupereſt temporis, quo hæc tibi communicare, ſimulque rationem, cur ego hunc Tractatum in lucem prodire ſino, reddere poſſum. Hâc nempe occaſione fortè aliqui, qui in meâ patriâ primas partes tenent, reperientur, qui cætera, quæ ſcripſi, atque pro meis agnoſco, deſiderabunt videre; adeóque curabunt, ut ea extra omne incommodi periculum communis juris facere poſſim: hoc verò ſi contingat, non dubito, quin ſtatim quædam in publicum edam; ſin minùs, ſilebo potiùs, quàm meas opiniones hominibus invitâ patriâ obtrudam, eosque mihi infenſos reddam. Precor igitur, Amice honorande, ut eò uſque exſpectare non graveris: tum enim aut ipſum Tractatum impreſſum, aut ejus compendium, ut à me petis, habebis. Et ſi interim ejus, qui ſub prælo jam ſudat, unum, aut alterum exem-

exemplar habere velis, ubi id reſcivero, & ſimul medium, quo ipſum commodè mittere potero, tuæ voluntati obſequar.

Revertor jam ad tuam Epiſtolam, Magnas tibi, uti debeo, Nobiliſſimoque Boylio ago gratias pro perſpectiſſimâ tuâ erga me benevolentiâ, proque beneficâ tuâ voluntate: tot enim, tantique momenti, & ponderis negotia, in quibus verſaris, non potuerunt efficere, ut tui Amici obliviſcereris, quin imò benignè polliceris, te omni modo curare, ne in poſterum conſuetudo noſtra literaria tamdiu interrumpatur. Eruditiſſimo Domino Boylio magnas etiam ago gratias, quòd ad meas Notas dignatus fuerit reſpondere, quamvis obiter, & quaſi aliud agendo. Equidem fateor, eas non tanti eſſe momenti, ut Eruditiſſimus Vir in iis reſpondendo tempus, quod altioribus cogitationibus impendere poteſt, conſumat. Ego quidem non putavi, immò mihi perſuadere non potuiſſem, quòd Vir Eruditiſſimus nihil aliud ſibi propoſuerit in ſuo Tractatu de Nitro, quàm tantùm oſtendere doctrinam illam puerilem, & nugatoriam de Formis Subſtantialibus, Qualitatibus, &c. infirmo talo niti; ſed, cùm mihi perſuaſiſſem, Clariſſimum Virum naturam Nitri nobis explicare voluiſſe: quòd nempe eſſet corpus heterogeneum, conſtans partibus fixis, & volatilibus, volui meâ explicatione oſtendere, (quod puto me ſatis ſuperque oſtendiſſe) nos poſſe omnia, quæ ego ſaltem novi Nitri Phænomena facillimè explicare, quamvis non concedamus Nitrum eſſe corpus heterogeneum; ſed homogeneum. Quocirca meum non erat oſtendere ſal fixum fæces eſſe Nitri; ſed tantùm ſupponere; ut viderem, quomodò mihi Vir Clariſſimus oſtendere poſſet, illud ſal non eſſe fæces; ſed prorſus neceſſarium ad eſſentiam Nitri conſtituendam, ſine quo non poſſet concipi; quia, ut dico, putabam, Virum Clariſſimum id oſtendere voluiſſe. Quòd verò dixi, ſal fixum meatûs habere ad menſuram particularum Nitri excavatos, eo non egebam ad redintegrationem Nitri explicandam: nam ut ex eo, quod dixi, nempe quòd in ſolâ conſiſtentiâ ſpiritûs Nitri ejus redintegratio conſiſtit, clarè apparet omnem calcem, cujus meatûs anguſtiores ſunt, quàm ut particulas Nitri continere queant, quorumque parietes lan-

languidi sunt, aptam esse ad motum particularum Nitri sistendum, ac proinde ex meâ Hypothesi ad ipsum Nitrum redintegrandum; adeóque non mirum esse, alia salia, tartari scilicet, & cinerum clavellatorum, reperiri, quorum ope Nitrum redintegrari potest. Sed ideò tantùm dixi, sal Nitri fixum meatûs habere ad mensuram particularum Nitri excavatos, ut causam redderem, cur sal fixum Nitri magis aptum sit ad Nitrum ità redintegrandum, ut parùm absit de pristino suo pondere; immò ex eo, quòd alia salia reperiantur, quibus Nitrum redintegrari potest, putabam ostendere, calcem Nitri ad essentiam Nitri constituendam non requiri, nisi Vir Clarissimus dixisset, nullum sal esse, quod sit (Nitro scilicet) magis catholicum: adeóque id in tartaro, & cineribus clavellatorum latere potuisse. Quòd porrò dixi, particulas Nitri in majoribus meatibus à materiâ subtiliori cingi, id ex vacui impossibilitate, ut Clarissimus Vir notat, concluśi; sed nescio, cur vacui impossibilitatem Hypothesin vocat, cùm clarè sequatur ex eo, quòd nihili nullæ sint proprietates. Et miror, Virum Clarissimum de hoc dubitare, cùm videatur statuere, nulla dari accidentia realia: an quæso non daretur accidens reale, si daretur Quantitas absque Substantiâ?

Quod ad causas differentiæ saporis spiritûs Nitri, & Nitri ipsius attinet, eas proponere debui, ut ostenderem, quomodò poteram ex solâ differentiâ, quam inter Spiritum Nitri, & Nitrum ipsum admittere tantùm volui, nullâ salis fixi habitâ ratione, ejus Phænomena facillimè explicare.

Quæ autem tradidi de Nitri inflammabilitate, & Spiritûs Nitri ἀφλογία, nihil aliud supponunt, quàm quòd ad excitandam in aliquo corpore flammam requiratur materia, quæ ejus corporis partes disjungat, agitetque; quæ duo quotidianam experientiam, & rationem satis docere puto.

Transeo ad experimenta, quæ attuli, non ut absolutè; sed, ut expressè dixi, *aliquo modo*, meam explicationem confirmarem. In primum itaque experimentum, quod attuli, nihil Vir Clarissimus adfert, præter quod ipse expressimis verbis notavi; de cæteris verò, quæ etiam tentavi, ut id, quod Vir Clarissimus mecum

notat, minùs ſuſpicarer, nihil prorſùs ait. Quod deinde in ſecundum experimentum adfert, nempe defæcatione ut plurimùm liberari Nitrum à ſale quodam, ſal commune referente, id tantùm dicit; ſed non probat: ego enim, ut expreſſè dixi, hæc experimenta non attuli, ut iis ea, quæ dixi, prorſùs confirmarem; ſed tantùm quia ea experimenta, quæ dixeram, & ratione convenire oſtenderam, illa aliquo modo confirmare viderentur. Quòd autem ait, adſcenſum in ſtiriolas communem illi eſſe cum aliis ſalibus, neſcio quid id ad rem faciat: concedo enim alia etiam ſalia fæces habere, atque volatiliora reddi, ſi ab iis liberentur. In tertium etiam experimentum nihil video adferri, quod me tangat. In ſectione quintâ auctorem Nobilem culpare Carteſium putavi, quod etiam in aliis locis pro libertate Philoſophandi, cuivis conceſſâ, utriuſque Nobilitate illæſâ fecit; quòd fortè etiam alii, qui Cl. Viri ſcripta, & Carteſii principia legerunt, idem, niſi expreſſè moneantur, mecum putabunt. Necdum video Cl. Virum ſuam mentem apertè explicare: nondum enim ait, an Nitrum Nitrum eſſe deſinet, ſi ejus ſtiriolæ viſibiles, de quibus tantùm loqui ait, raderentur, donec in parallepipeda, aut aliam figuram mutarentur.

Sed hæc relinquo, & ad id, quod Cl. Vir ad ea, quæ in Sectione 13 ----- 18. ponit, tranſeo, atque dico, me libenter fateri, hanc Nitri redintegrationem præclarum quidem experimentum eſſe ad ipſam Nitri naturam inveſtigandam, nempe ubi priùs principia Philoſophiæ Mechanica noverimus, & quòd omnes corporum variationes ſecundùm Leges Mechanicæ fiant; ſed nego, hæc ex modò dicto experimento clariùs, atque evidentiùs ſequi, quàm ex aliis multis obviis experimentis, ex quibus tamen hoc non evincitur. Quòd verò Vir Cl. ait, ſe hæc ſua apud alios tam clarè tradita, & tractata non inveniſſe, fortè aliquid in rationes Verulamii, & Carteſii, quod ego videre non poſſum, habet, quo ipſas ſe refutare poſſe arbitratur: eas hîc non adfero, quia non puto Cl. Virum ipſas ignorare; hoc tamen dicam, ipſos etiam voluiſſe, ut cum eorum ratione convenirent Phænomena; ſi nihilominùs in quibusdam erraverunt, hominès fuerunt, humani nihil ab ipſis alienum puto. Ait porrò magnum diſcrimen intercedere inter

ea (obvia ſcilicet, & dubia, quæ attuli, experimenta) circa quæ, quid adferat Natura, quæque interveniant, ignoramus, & inter ea, de quibus certò conſtat, quænam ad ea adferantur. Verùm nondum video, quòd Clariſſimus Vir nobis explicuerit Naturam eorum, quæ in hoc ſubjecto adhibentur, nempe calcis Nitri, hujuſque Spiritûs; adeò ut hæc duo non minùs obſcura videantur, quàm quæ attuli, calcem nempe communem, & aquam. Ad lignum quod attinet, concedo id corpus eſſe magis compoſitum, quàm Nitrum; ſed quamdiu utriuſque Naturam, & modum, quo in utroque calor oritur, ignoro, quid id quæſo ad rem facit? Deinde neſcio, quâ ratione Clar. Vir affirmare audet, ſe ſcire, quæ in hoc ſubjecto, de quo loquimur, Natura adferat. Quâ quæſo ratione nobis oſtendere poterit, illum calorem non ortum fuiſſe à materiâ aliquâ ſubtiliſſimâ? An fortè propterea, quòd parùm fuerit de priſtino pondere deſideratum? quamvis nihil deſideratum fuiſſet, nihil meo quidem judicio concludere poſſet: Videmus enim, quàm facilè res ex parvâ admodùm quantitate materiæ colore aliquo imbui poſſunt, neque ideò ponderoſiora, quoad ſenſum, neque leviora fieri. Quare non ſine ratione dubitare poſſum, an fortè quædam non concurrerint, quæ nullo ſenſu obſervari potuiſſent; præſertim, quamdiu ignoratur, quomodò omnes illæ Variationes, quas Vir Clar. inter experiundum obſervavit, ex dictis corporibus fieri potuerunt; imò pro certo habeo, calorem, & illam efferveſcentiam, quam Clar. Vir recitat, à materiâ adventitiâ ortas fuiſſe. Deinde puto me faciliùs ex aquæ ebullitione, (taceo jam agitationem) poſſe concludere aëris concitationem cauſam eſſe, à quâ ſonus oritur, quàm ex hoc experimento, ubi eorum, quæ concurrunt, natura planè ignoratur, & in quo calor etiam obſervatur, qui quomodò, ſive à quibus cauſis ortus fuerit, neſcitur. Denique multa ſunt, quæ nullum prorſùs ſpirant odorem, quorum tamen partes, ſi utcunque concitentur, atque incaleſcant, odor ſtatim perſentitur, & ſi iterum frigeſcant, nullum iterum odorem habent, (ſaltem quoad humanum ſenſum) ut exempli gratiâ, ſuccinum, & alia, quæ etiam neſcio, an magis compoſita ſint, quàm Nitrum.

Quæ ad Sectionem vigesimam quartam notavi, ostendunt, spiritum Nitri non esse purum Spiritum; sed calce Nitri, aliisque abundare; adeoque me dubitare, an id, quod Vir Clarissimus ope libellæ deprehendisse ait, quòd nempe pondus Spiritûs Nitri, quem instillavit, pondus illius, quod inter detonandum perierat, ferè exæquabat, satis cautè observare potuit.

Denique, quamvis aqua pura, quoad oculum, salia alcalisata citiùs solvere possit; tamen cùm ea corpus magis homogeneum, quàm aër sit, non potest, sicuti aër, tot genera corpusculorum habere, quæ per omnis generis calcis poros se insinuare possint: Quare cùm aqua certis particulis unius generis maximè constet, quæ calcem ad certum terminum usque dissolvere possunt, aër verò non item, inde sequitur, aquam usque ad illum terminum longè citiùs calcem dissoluturam, quàm aërem; sed cùm contrà aër constet etiam crassioribus, & longè subtilioribus, & omnis generis particulis, quæ per poros longè angustiores, quàm quos particulæ aquæ penetrare possunt, multis modis se insinuare possunt; inde sequitur aërem, quamvis non tam citò, atque aquam, nempe, quia non tot particulis uniuscujusque generis constare potest, longè tamen meliùs, atque subtiliùs dissolvere calcem Nitri posse, eamque languidiorem, ac proinde aptiorem ad motum particularum Spiritûs Nitri sistendum reddere. Nam nullam aliam differentiam inter Spiritum Nitri, & Nitrum ipsum adhuc agnoscere cogor ab experimentis, quàm quòd particulæ hujus quiescant, illius verò valdè concitatæ inter sese agitentur; adeò ut eadem differentia, quæ est inter glaciem, & aquam, sit inter Nitrum, & ejus Spiritum.

Verùm te circà hæc diutiùs detinere non audeo: vereor, ne nimis prolixus fuerim, quamvis, quantùm quidem potui, brevitati studuerim: si nihilominùs molestus fui, id, ut ignoscas, oro, simulque ut ea, quæ ab Amico liberè, & sincerè dicta sunt, in meliorem partem interpreteris. Nam ego de his prorsùs tacere, ut tibi rescriberem, inconsultum judicavi. Ea tamen apud te laudare, quæ minùs placebant, mera esset adulatio, quâ nihil in Amicitiis perniciosius, & damnosius censeo. Constitui igitur, men-

mentem meam apertissimè explicare; & nihil hôc viris Philosophis gratius fore judicavi. Interim si tibi videbitur consultius, hæc cogitata igni potiùs, quàm Eruditissimo Domino Boylio tradere, in tuâ manu sunt, fac ut lubet, modò me tibi, Nobilissimoque Boylio addictissimum, atque amantissimum credas. Doleo, quòd propter tenuitatem meam hoc non, nisi verbis, ostendere valeam; attamen, &c.

EPISTOLA X.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS.

Clarissime Vir, Amice plurimùm colende.

COmmercii nostri literarii instaurationem in magnâ pono parte felicitatis. Scias itaque, me tuas, $\frac{17}{27}$ Julii ad me datas, accepisse insigni cum gaudio, duplici imprimis nomine, tum quòd salutem tuam testarentur, tum quòd de tuæ erga me amicitiæ constantiâ certiorem me redderent. Accedit ad cumulum, quòd mihi nuncias, te primam, & secundam Principiorum Cartesii partem, more Geometrico demonstratam, prælo commisisse, ejusdem unum, alterumve exemplar liberalissimè mihi offerens. Accipio munus perlubenti animo, rogoque, ut istum sub prælo jam sudantem Tractatum, si placuerit, Domino Petro Serrario, Amstelædami degenti, pro me transmittas. In mandatis quippe ipsi dedi, ut ejusmodi fasciculum recipiat, & ad me per amicum trajicientem expediat.

Cæterùm permittas tibi dicam, me impatienter ferre, te etiamnum supprimere ea scripta, quæ pro tuis agnoscis, in Republicâ imprimis tam liberâ, ut sentire ibi, quæ velis, & quæ sentias dicere liceat. Perrumpere te velim ista repagula, imprimis cùm subticere nomen tuum possis, & hâc ratione extra omnem periculi aleam te collocare.

Nobilissimus Boylius peregrè abiit: quamprimùm redux fuerit

factus in Urbem, communicabo ipſi eam Epiſtolæ tuæ doctiſſimæ partem, quæ illum ſpectat, ejuſque de conceptibus tuis ſententiam, quàm primùm eam nactus fuerio, reſcribam. Puto, te jam vidiſſe ipſius Chymiſtam Scepticum, qui jamdudum latinè editus, inque exterorum oris diſperſus fuit, multa continens Paradoxa Chymico-Phyſica, & Spagyricorum principia Hypoſtatica, (ut vocant) ſub examen ſeverum revocans.

Alium nuper edidit libellum, qui fortè necdum ad Bibliopolas veſtros pervenit: quare eum hoc involucro tibi mitto, rogoque peramanter, ut hoc munuſculum boni conſulas. Continet libellus, ut videbis, defenſionem virtutis Elaſticæ Aëris contra quendam Franciſcum Linum, qui funiculo quodam, intellectum juxtà, ac ſenſum omnem fugiente, Phænomena, in Experimentis novis Phyſico-Mechanicis Domini Boylii recitata, explicare ſatagit. Evolve, & expende libellum, & tua de eo animi ſenſa mihi deprome.

Societas noſtra Regia inſtitutum ſuum gnaviter pro viribus proſequitur, intra experimentorum, obſervationumque cancellos ſeſe continens, omneſque Diſputationum anfractus devitans.



Egregium nuper captum fuit experimentum, quod valdè torquet Vacuiſtas, Pleniſtis verò vehementer placet. Eſt verò tale. Phiala vitrea A, repleta ad ſummitatem aquâ, orificio ejus in vas vitreum B, aquam continens, inverſo, imponatur Recipienti Novæ Machinæ Pneumaticæ Domini Boylii; exhauriatur mox aër ex Recipiente: conſpicientur bullæ magnâ copiâ ex aquâ in Phialam A adſcendere, & omnem inde aquam in vas B, infra ſuperficiem aquæ ibi contentæ, depellere. Relinquantur in hoc ſtatu duo vaſcula ad tempus unius, alteriusve

ve diei, aëre identidem ex dicto Recipiente crebris exantlationibus evacuato. Tum eximantur è Recipiente, & Phiala A repleatur hâc aquâ, aëre privatâ, rurſumque invertatur in vas B, ac Recipienti denuo utrumque vas includatur. Exhauſto iterum Recipiente per debitas exantlationes, conſpicietur fortè bullula quædam ex collo Phialæ A adſcendere, quæ ad ſummitatem emergens, & continuatâ exantlatione ſeipſam expandens, rurſum omnem depellet aquam ex Phiala, ut prius. Tum Phiala iterum ex Recipiente eximatur, & exhauſta aëre aquâ ad ſummum repleatur, invertaturque, ut priùs, & Recipienti immittatur. Tum aëre probè evacuetur Recipiens, eoque ritè, & omninò evacuato, remanebit aqua in Phiala ſic ſuſpenſa, ut nullatenus deſcendat. In hoc experimento cauſa, quæ juxta Boylium ſuſtinere aquam in experimento Torricelliano ſtatuitur, (aër nempe, aquæ in vaſculo B incumbens) ablata planè videtur, nec tamen aqua in Phialâ deſcendit. Plura ſtatueram hîc ſubjungere, ſed amici, & occupationes me avocant.

Non poſſum claudere literas, quin iterum iterumque tibi inculcem publicationem eorum, quæ tu ipſe es meditatus. Nunquam deſiſtam te hortari, donec petitioni meæ ſatisfeceris. Interea temporis, ſi quædam contentorum illorum capita mihi impertiri velles, oh! quàm te deperirem, quantâque neceſſitudine me tibi obſtrictum judicarem! Valeas florentiſſimè, meque ut facis, amare pergas,

Tui Studioſiſſimùm, & Amiciſſimum

HENR. OLDENBURG.

Londini, 31. Julii, 1663.

EPISTO-

EPISTOLA XI.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Præstantissime Vir, & Amice Colendissime,

VIx tres quatuorve dies sunt elapsi, ex quo Epistolam per tabellionem ordinarium ad te dabam. Memineram ibi cujusdam libelli à Domino Boylio conscripti, & tibi transmittendi. Non tum affulgebat spes tam citò nanciscendi amicum, qui eum perferret. Ex eo tempore se obtulit quidam opinione meâ celeriùs. Accipias igitur nunc, quod tunc mitti non poterat, unaque Domini Boylii, qui nunc rure in Urbem reversus est, salutem officiosissimam. Rogat ille, ut Præfationem in Experimenta ipsius circa Nitrum factam consulas, intellecturus inde verum, quem sibi præstituerat in eo Opere, scopum; ostendere videlicet resurgenti Philosophiæ solidioris placita claris experimentis illustrari, & hæc ipsa sine Scholarum formis, qualitatibus, elementis nugatoriis optimè explicari posse; neutiquam autem in se suscepisse naturam Nitri docere, vel etiam improbare ea, quæ de materiæ homogeneitate, deque corporum differentiis, ex motu, & figurâ, &c. duntaxat exorientibus, à quoquam tradi possunt. Hoc duntaxat se voluisse ait, texturas corporum varias, varia eorum discrimina inducere, ab iisque diversa admodùm effecta proficisci, ritequè inde, quamdiu ad primam materiam resolutio facta non fuerit, heterogeneitatem aliquam à Philosophis, & aliis concludi. Nec putem, in rei fundo inter te, & Dominum Boylium dissensum esse. Quòd verò ais, omnem calcem, cujus meatûs angustiores sunt, quàm ut particulas Nitri continere queant, quorumque parietes languidi sunt, aptam esse ad motum particularum Ni-

tri

tri ſiſtendum, proindeque ad ipſum Nitrum redintegrandum; reſpondet Boylius, ſi cum aliis calcibus ſpiritus Nitri miſceatur, non tamen cum ipſis verum Nitrum compoſitum iri.

Quoad Ratiocinationem, quâ ad evertendum vacuum uteris, attinet, ait Boylius, ſe eam nôſſe, & prævidiſſe; at in ipſâ nequaquam acquieſcere: quâ de re alibi dicendi locum fore aſſerit.

Petiit, ut te rogarem, an ſuppeditare ipſi exemplum poſſis, in quo duo corpora odora in unum conflata, corpus planè inodorum (Nitrum ſcilicet) componant. Tales ait eſſe partes Nitri, Spiritum quippe ipſius teterrimum ſpargere odorem, Nitrumque fixum odore non deſtitui.

Rogat porrò, ut probè conſideres, an probam inſtitueris inter glaciem, aquamque cum Nitro, ejuſque Spiritu comparationem: cùm tota glacies non niſi in aquam reſolvatur, glacieſque inodora, in aquam relapſa, inodora permaneat: diſcrepantes verò qualitates inter Nitri ſpiritum, ejuſque ſalem fixum reperiantur, uti Tractatus impreſſus abundè docet.

Hæc, & ſimilia inter differendum de hoc argumento, ab Illuſtri Authore noſtro accipiebam; quæ per memoriæ meæ imbecillitatem, cum multâ ejus fraude potiùs, quàm exiſtimatione, me repetere certus ſum. Cùm de rei ſummâ conſentiatis, nolim hæc ulteriùs exaggerare: potiùs author eſſem, ut ingenia jungatis uterque ad Philoſophiam genuinam, ſolidamque certatim excolendam. Te imprimis monere mihi fas ſit, ut principia rerum, pro Mathematici tui ingenii aeumine conſolidare pergas: uti Nobilem meum amicum Boylium ſine morâ pellicio, ut eandem experimentis, & obſervationibus, pluries, & accuratè factis, confirmet, illuſtretque. Vides Amice Chariſſime, quid moliar, quid ambiam: Novi noſtrates hoc in Regno Philoſophos ſuo muneri experimentali nequaquam defuturos; nec minùs perſuaſum mihi habeo, te quoque Provinciâ tuâ gnaviter perfuncturum, quicquid ogganniat, vel criminetur ſive Philoſophorum, ſive Theologorum vulgus. Cùm literis prægreſſis jam te fuerim pluribus ad hoc ipſum hortatus, nunc me reprimo, ne faſtidium tibi creem. Hoc ſaltem peto ulteriùs, ut quæcunque eorum typis jam man-

data ſunt, quæ vel in Carteſium es commentatus, vel ex intellectûs tui ſcriniis propriis depromſiſti, quantò ociùs mihi transmittere per Dominum Serrarium digneris. Habebis me tantò arctiùs tibi devinctum, intelligeſque quâvis datâ oecaſione, me eſſe

Tui Studioſiſſimum

HENR. OLDENBURG.

Londini, 4. Auguſt. 1663.

EPISTOLA XII.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Vir Clariſſime, mihique Amiciſſime,

GAudebam magnopere, cùm ex nuperis Domini Serrarii literis intelligerem, te vivere, & valere, & Oldenburgii tui memorem eſſe: ſed ſimul graviter fortunam meam (ſi fas eſt tali vocabulo uti) accuſabam, quâ factum eſt, ut per tot menſium ſpatium, commercio illo ſuaviſſimo, quo antehac tecum utebar, privatus fuerim. Tum occupationum turba, tum calamitatum domeſticarum immanitas culpandæ ſunt; meum quippe erga te ſtudium ampliſſimum, fidaque amicitia firmo ſemper ſtabunt talo, & inconcuſſa perennabunt. Dominus Boylius, & ego non rarò de te, tuâ Eruditione, & profundis meditationibus confabulamur. Vellemus ingenii tui fœtus excludi, & doctorum amplexibus commendari, teque hâc in re exſpectationi noſtræ facturum ſatis confidimus. Non eſt quòd Domini Boylii diatriba de Nitro, deque Firmitate & Fluiditate apud vos imprimatur: hîc quippe Latino ſermone jam excuſa eſt, nec niſi commoditas deeſt exemplaria ad vos transvehendi. Rogo igitur, ne permittas, ut quis typographus veſtras tale quid aggrediatur. Idem Boylius Tractatum inſignem

ſignem de Coloribus in lucem emiſit, & Anglicè, & Latinè, ſimul & Hiſtoriam Experimentalem de Frigore, Thermometris, &c. ubi multa præclara, multa nova. Nil niſi bellum hoc infauſtum obſtat, quò minùs libri ad vos tranſmittantur. Prodiit etiam Tractatus quidam inſignis de ſexaginta obſervationibus Microſcopicis, ubi multa audacter; ſed Philoſophicè (juxta tamen principia Mechanica) differuntur. Spero Bibliopolas noſtros viam inventuros, horum omnium exemplaria ad Vos expediendi. Ego quid tu nuper egeris, vel ſub manu habeas, accipere à manu tuâ propriâ aveo, qui ſum

Tui Studioſiſſimus, & Amantiſſimus

HENR. OLDENBURG.

Londini die 28. April. 1665.

EPISTOLA XIII.

Viro Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo

HENR. OLDENBURGIO

B. D. S.

Amice integerrime,

PAucis ante diebus amicus quidam epiſtolam tuam 28. Aprilis, quam à Bibliopolâ Amſtelædamenſi, qui eam ſine dubio à. D. Ser. acceperat, ſibi traditam ajebat. Gaviſus ſum ſummoperè, quòd tandem ex te ipſo intelligere licuit, te bene valere, tuumque erga me animum benevolum eundem atque olim eſſe. Ego ſanè, quotieſcunque data fuit occaſio, D. Ser. & Chriſtian. Hugenium Z. D. qui etiam te noviſſe mihi dixerat, de te, tuâque valetudine rogare non deſii. Ab eodem D. Hugenio etiam intellexi eruditiſſimum D. Boylium vivere, & in lucem emiſiſſe Tractatum illum inſignem de Coloribus Anglicè, quem ille mihi commodato daret,

si linguam Anglicam callerem. Gaudeo igitur ex te scire, hunc Tractatum simul cum illo altero de frigore, & Thermometris, de quo nondum audiveram Latinâ civitate donatos, & publici juris factos. Liber de observationibus microscopicis etiam penes D. Hugenium est, sed ni fallor Anglicè. Mira quidem mihi de hisce microscopiis narravit, & simul de Telescopiis quibusdam in Italiâ elaboratis, quibus Eclypses in Jove ab interpositione Satellitum observare potuerunt, ac etiam umbram quandam in Saturno, tanquam ab annulo factam. Quorum occasione non satis possum mirari Cartesii præcipitantiam, qui ait causam, cur Planetæ juxta Saturnum (ejus enim ansas Planetas esse putavit, fortè quia eas Saturnum tangere nunquam observavit) non moventur, posse esse, quòd Saturnus circa proprium axem non gyret, cùm hoc cum suis principiis parùm conveniat, tum quia ex suis principiis facillimè ansarum causam explicare potuerat, nisi præjudicio laboraret, &c.

EPISTOLA XIV.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS.

Vir præstantissimè, Amice colende,

FAcis, ut Virum cordatum, & Philosophum decet, quòd Viros bonos amas; nec est, quòd dubites, quin illi te redament, & merita tua, prout par est, æstiment. Dominus Boylius unà mecum salutem plurimam tibi nunciat, utque strenuè, & ἀνεμβῶς Philosophari pergas, te hortatur. Imprimis; si quid tibi lucis affulserit in arduâ illâ indagine, quæ in eo versatur, ut cognoscamus, quomodò unaquæque pars Naturæ cum suo toto conveniat, & quâ ratione cum reliquis cohæreat, ut illud nobis communices, peramanter rogamus. Causas, quas memoras, tanquam incita-

menta

menta ad Tractatum de Scripturâ concinnandum, omninò probo, inque votis effictim habeo, me usurpare jam oculis posse, quæ in argumentum istud es commentatus. Dominus Serrarius fortè fasciculum aliquem brevi ad me transmittet, cui, si visum ità fuerit, committere tutò poteris, quæ eâ de re jam composuisti, & reciprocam officiorum nostrorum promptitudinem polliceri.

Kircheri *Mundum Subterraneum* quadantenus evolvi, & quamvis ratiocinia ejus, & theoriæ non commendent ingenium, Observationes tamen, & Experimenta, nobis ibi tradita, collaudant diligentiam Auctoris, ejusque de Republicâ Philosophicâ benè merendi voluntatem. Vides igitur, me plusculum illi tribuere, quàm pietatem, facileque dignoscis eorum animum, qui Benedictam hanc aquam illi adspergunt. Quando verba facis de Tractatu Hugeniano de Motu, innuis Cartesii Regulas motûs falsas ferè omnes esse. Non jam ad manum est libellus, quem antehac edidisti de Cartesii principiis Geometricè Demonstratis: non subit animum, num ibi falsitatem istam ostenderis, an verò Cartesium, in aliorum gratiam, κατὰ πίδα fueris secutus. Utinam tandem prorii ingenii fœtum excluderes, & orbi Philosophico fovendum, & educandum committeres! Memini te alicubi indigitâsse multa ex iis, quæ Cartesius ipse captum humanum superare ajebat, quin & multò sublimiora, & subtiliora evidenter posse ab hominibus intelligi & clarissimè explicari. Quid hæres, mi Amice, quid metuis? Tenta, aggredere, perfice tanti momenti provinciam, & videbis totum verè Philosophantium Chorum tibi patrocinari. Fidem meam obstringere audeo, quòd non facerem, si liberare me eam posse dubitarem. Nullatenus crediderim: in animo tibi esse, quicquam contra Existentiam, & Providentiam Dei moliri; & fulcris hisce incoluminibus, firmo talo stat Religio, facileque etiam quævis Contemplationes Philosophicæ vel defenduntur, vel excusantur. Rumpe igitur moras, nec scindi tibi penulam patiaris.

Brevi putem te accepturum, quid de Cometis nuperis sit statuendum. Disceptant inter se de factis Observationibus Hevelius Dantiscanus, & Auroutus Gallus; ambo Viri docti, & Mathematici.

Diſpicitur hoc tempore controverſia, & quando judicata lis fuerit, mihi, credo, res tota communicabitur, & à me tibi. Hoc aſſerere jam poſſum, omnes, qui quidem mihi cogniti ſunt, Aſtronomos judicare, non unum, ſed duos Cometas fuiſſe, nec in quenquam hactenus incidi, qui ex Hypotheſi Carteſianâ, ipſorum Phænomena conatus fuerit explicare.

Rogo, ſi quid porrò acceperis de ſtudiis, & laboribus Domini Hugenii, deque ſucceſſu pendulorum, ut & de ipſius tranſmigratione in Galliam, mihi quàmprimum ſignificare non graveris. Adjungas ea, rogo, quæ apud Vos forte dicuntur de Tractatu pacis, de Suecici exercitûs, in Germaniam tranſvecti, conſiliis, deque Epiſcopi Monaſterienſis progreſſu. Totam credo Europam ſequenti æſtate bellis involutum iri, & omnia videntur ad mutationem inuſitatam vergere. Serviamus nos ſummo Numini caſtâ mente, & Philoſophiam veram, ſolidam, & utilem excolamus. Nonnulli ex Philoſophis noſtris, Regem Oxonium ſecuti, non raros ibi cœtus agitant, & de promovendis ſtudiis Phyſicis conſulunt. Inter alia in Sonorum naturam inquirere nuper cœperunt. Experimenta, credo, facient, ut explorent, quâ proportione augenda ſint pondera ad extendendam chordam abſque ullâ vi aliâ, ut intendatur eadem ad Notam ejuſmodi acutiorem, quæ facit aſſignatam conſonantiam cum ſono priori. De his plura aliàs. Optimè Vale, & vive memor

Tui Studioſiſſimi

HENR. OLDENBURG.

Londini 12. Octob. 1665.

EPI-

EPISTOLA XV.

Nobilissimo, ac Doctissimo Viro,

HENRICO OLDENBURGIO.

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Vir Nobilissime,

QUòd me ad Philosophandum tu, & Nobilissimus D. Boylius benignè hortamini, maximas habeo gratias; ego quidem pro tenuitate mei ingenii, quantum queo, pergo, non dubitans interim de vestro auxilio, & benevolentiâ. Ubi quæris, quid sentiam circa quæstionem, quæ in eo versatur, *ut cognoscamus, quomodò unaquæque pars Naturæ cum suo toto conveniat, & quâ ratione cum reliquis cohæreat*, puto te rogare rationes, quibus persuademur unamquamque Naturæ partem cum suo toto convenire, & cum reliquis cohærere. Nam cognoscere, quomodò reverâ cohæreant, & unaquæque pars cum suo toto conveniat, id me ignorare dixi in antecedenti meâ Epistola; quia ad hoc cognoscendum requireretur totam Naturam, omnesque ejus partes cognoscere. Conabor igitur rationem ostendere, quæ me id affirmare cogit; attamen priùs monere velim, me Naturæ non tribuere pulchritudinem, deformitatem, ordinem, neque confusionem. Nam res non, nisi respectivè ad nostram imaginationem, possunt dici pulchræ, aut formes, ordinatæ, aut confusæ.

Per partium igitur cohærentiam nihil aliud intelligo, quàm quòd leges, sive natura unius partis ità sese accommodat legibus, sive naturæ alterius, ut quàm minimè sibi contrarientur. Circa totum, & partes consídero res eatenus, ut partes alicujus totius, quatenus earum natura invicem se accommodat, ut, quoad fieri potest; inter se consentiant, quatenus verò inter se discrepant, eate-

eatenus unaquæque ideam ab aliis distinctam in nostrâ Mente formatur, ac proinde, ut totum, non ut pars, consideratur. Ex. gr. cum motûs particularum lymphæ, chyli, &c. invicem pro ratione magnitudinis, & figuræ ità se accommodant, ut planè inter se consentiant, unumque fluidum simul omnes constituant, eatenus tantùm chylus, lympha, &c. ut partes sanguinis considerantur: quatenus verò concipimus particulas lymphaticas ratione figuræ, & motûs, à particulis chyli discrepare, eatenus eas, ut totum, non ut partem, consideramus.

Fingamus jam, si placet vermiculum in sanguine vivere, qui visu ad discernendas particulas sanguinis, lymphæ, &c. valeret, & ratione ad observandum, quomodò unaquæque particula ex alterius occursu, vel resilit, vel partem sui motûs communicat, &c. Ille quidem in hoc sanguine, ut nos in hâc parte universi, viveret, & unamquamque sanguinis particulam, ut totum, non verò ut partem, consideraret, nec scire posset, quomodò partes omnes ab universali naturâ sanguinis moderantur, & invicem, prout universalis natura sanguinis exigit, se accommodare coguntur, ut certâ ratione inter se consentiant. Nam si fingamus, nullas dari causas extra sanguinem, quæ novos motûs sanguini communicarent, nec ullum dari spatium extra sanguinem, nec alia corpora, in quæ particulæ sanguinis suum motum transferre possent, certum est, sanguinem in suo statu semper mansurum, & ejus particulas nullas alias variationes passuras, quàm eas, quæ possunt concipi ex datâ ratione motûs sanguinis ad lympham, chylum, &c. & sic sanguis semper, ut totum, non verò ut pars, considerari deberet. Verùm quia plurimæ aliæ causæ dantur, quæ leges naturæ sanguinis certo modo moderantur, & vicissim illæ à sanguine, hinc fit, ut alii motûs, aliæque variationes in sanguine oriantur, quæ consequuntur non à solâ ratione motûs ejus partium ad invicem, sed à ratione motûs, sanguinis, & causarum externarum simul ad invicem: hoc modo sanguis rationem partis, non verò totius habet. De toto, & parte modò dixi.

Jam cùm omnia naturæ corpora eodem modo possint, & debeant concipi, ac nos hic sanguinem concepimus: omnia enim

corpora

corpora ab aliis circumcinguntur, & ab invicem determinantur ad exiſtendum, & operandum certâ, ac determinatâ ratione, ſervatâ ſemper in omnibus ſimul, hoc eſt, in toto univerſo eâdem ratione motûs ad quietem; hinc ſequitur omne corpus, quatenus certo modo modificatum exiſtit, ut partem totius univerſi, conſiderari debere, cum ſuo totò convenire, & cum reliquis cohærere; & quoniam natura univerſi non eſt, ut natura ſanguinis, limitata; ſed abſolutè infinita, ideò ab hâc infinitæ potentiæ naturâ ejus partes infinitis modis moderantur, & infinitas variationes pati coguntur. Verùm ratione ſubſtantiæ unamquamque partem actionem unionem cum ſuo toto habere concipio. Nam ut antehac in primâ meâ Epiſtolâ, quam Rhenoburgi adhuc habitans tibi ſcripſi, conatus ſum demonſtrare, cùm de naturâ ſubſtantiæ ſit eſſe infinitam, ſequitur ad naturam ſubſtantiæ corporeæ unamquamque partem pertinere, nec ſine eâ eſſe, aut concipi poſſe.

Vides igitur, quâ ratione, & rationem, cur ſentiam Corpus humanum partem eſſe Naturæ: quòd autem ad Mentem humanam attinet, eam etiam partem Naturæ eſſe cenſeo; nempe quia ſtatuo, dari etiam in naturâ potentiam infinitam cogitandi, quæ, quatenus infinita, in ſe continet totam Naturam objectivè, & cujus cogitationes procedunt eodem modo, ac Natura, ejus nimirùm ideatum.

Deinde Mentem humanam hanc eandem potentiam ſtatuo, non quatenus infinitam, & totam Naturam percipientem; ſed finitam, nempe quatenus tantùm humanum Corpus percipit, & hâc ratione Mentem humanam partem cujusdam infiniti intellectûs ſtatuo.

Verùm hæc omnia, & quæ huic rei annexa ſunt, hîc accuratè explicare, & demonſtrare, res eſſet nimis prolixa, nec puto te id impræſentiarum à me exſpectare. Imò dubito, an mentem tuam ſatis perceperim, atque aliud reſponderim, ac rogaveris, quod ex te ſcire deſidero.

Quòd deinde ſcribis, me innuiſſe Carteſii Regulas motûs falſas ferè omnes eſſe, ſi rectè memini, D. Hugenium id ſentire dixi, nec ullam aliam falſam eſſe affirmavi, quàm Regulam ſextam Carteſii,

circa quam D. Hugenium etiam errare me putare dixi; quâ occasione petii, ut mihi communicares experimentum, quod secundùm eam hypothesin experti estis in vestrâ Regiâ Societate; sed tibi id non licere judico, quia de hoc nihil respondes.

Dictus Hugenius totus occupatus fuit, & adhuc est in expoliendis vitris dioptricis; in quem finem fabricam adornavit, in quâ & patinas tornare potest, satis quidem nitidam: quid autem eâ promoverit, adhuc nescio, nec, ut verum fateor, valdè scire desidero. Nam me experientia satis docuit in patinis sphæricis liberâ manu tutiùs, & meliùs expoliri, quàm quâvis machinâ. De pendulorum successu, & tempore transmigrationis in Galliam nondum aliquid certi possum scribere. &c.

EPISTOLA XVI.

Viro Clarissimo

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Vir Præstantissime, Amice plurimùm colende,

PErplacent, quæ de partium Naturæ cum toto consensu, nexuque philosopharis; quanquam non satis assequar, quomodò possimus ordinem, & symmetriam à naturâ, ut tu facere videris, profligare; imprimis cùm ipse agnoscas, omnia ejus corpora ab aliis ambiri, & ab invicem certâ, & constanti ratione, tum ad existendum, tum ad operandum determinari, eâdem semper in omnibus simul motûs ad quietem ratione servatâ: quæ ipsissima veri ordinis ratio formalis esse videtur. At nec hîc fortè te satis capio, non magis, quàm in eo, quòd de Regulis Cartesii antehac scripseras. Utinam subire laborem velles, me edocendi, quâ in re tam Cartesium, quàm Hugenium in regulis motûs erraße judices. Pergratum mihi sanè hoc officio defungendo præstiteris, quod quidem pro viribus demereri studerem.

Præ-

Præſens non fui, quando D. Hugenius Experimenta, Hypotheſin ſuam comprobantia, hîc Londini fecit. Intelligo interim quendam inter alia pilam unius libræ, penduli in modum ſuſpendiſſe, quæ delapſa percuſſerit aliam, eodem modo ſuſpenſam; ſed libræ dimidiæ, ex angulo quadraginta graduum, & Hugenium prædixiſſe, pauculâ factâ Computatione Algebraicâ, quis foret effectus, & hunc ipſum prædictioni ad amuſſim reſpondiſſe. Abeſt Vir quidam inſignis, qui multa talia Experimenta propoſuerat, quæ ſolviſſe dicitur Hugenius. Quàmprimùm dabitur ipſum, qui abeſt, convenire, uberiùs, &. enucleatiùs forſan hanc rem tibi expoſuero. Tu interim ſuperiori petito me ne refrageris, iterum atque iterum rogo; & ſi quid præterea de Hugenii ſucceſſu in poliendis Vitris Teleſcopicis cognoveris, impertiri quoque ne graveris. Spero Societatem noſtram Regiam, peſte jam inſigniter per Dei gratiam deſæviente, brevi Londinum reverſuram, cœtuſque ſuos hebdomadicos inſtauraturam: quæ ibi tranſigentur ſcitu digna, eorum communicationem certò tibi poteris polliceri.

Mentionem antehac feceram de Obſervatis Anatomicis. Scripſit ad me non ità pridem Dom. Boylius (qui te perhumaniter ſalutat) eximios Anatomicos Oxonii ſe certum reddidiſſe, quòd Aſperam Arteriam, tum quarundam Ovium, tum Boum, gramine refertam invenerint; & quòd ante paucas ſeptimanas dicti Anatomici invitati fuerint ad videndum Bovem, qui per duos treſve dies collum ferè continuò obſtipum, erectumque tenuerat, & ex morbo, quem poſſeſſores planè non cognoverint, mortuus fuerit: in quo, diſſectis partibus, ad collum & jugulum ſpectantibus, ipſi repererint cum admiratione, Aſperam ejus arteriam in ipſo trunco penitùs gramine refertam fuiſſe, ac ſi quis illud vi intrò adegiſſet. Id quod juſtam ſuggerit inquirendi cauſam, tum quâ ratione tanta graminis quantitas illuc pervenerit; tum, cùm ibi eſſet, quomodò ejusmodi animal tamdiu ſupervivere potuerit? Præterea idem Amicus mihi ſignificavit, curioſum quendam Medicum, itidem Oxonienſem, Lac in ſanguine humano inveniſſe. Narrat enim puellam, ſumpto largiori jentaculo horâ ſeptimâ matutinâ, ſanguinem miſiſſe in pede horâ ejuſdem diei undecimâ: & primum ſanguinem

immiſſum fuiſſe Scutellæ, eumque pauco exinde temporis ſpatio elapſo, alborem induiſſe; poſtremum verò ſanguinem in vaſculum minus, quod acetabulum, ni fallor, vocant (Anglicè à Sawcer) influxiſſe, eumque protinùs in placentæ lacteæ formam abiiſſe: interjectis quinque, aut ſex horis Medicum reverſum ſanguinem utrumque inſpexiſſe, eumque, qui in Scutellâ erat, dimidium fuiſſe ſanguinem, dimidium vero chyliformem, qui chylus ſanguini, ut ſerum lacti, innataverit: at eum, qui erat in *acetabulo*, totum fuiſſe chylum, ſine ullâ ſanguinis ſpecie; cumque utrumque ſuper igne ſeorſim calefaceret, ambos liquores induruiſſe; puellam verò benè valuiſſe, nec ſanguinem miſiſſe, niſi quòd nunquam paſſa fuiſſet menſtrua, quamquam colore florido vigeret.

Sed tranſeo ad Politica. In omnium ore hîc eſt rumor de Iſraëlitarum, per pluſquam bis mille annos diſperſorum, reditu in Patriam. Pauci id hoc loco credunt; at multi optant. Tu, quid hâc de re audias, ſtatuaſque, amico tuo ſignificabis. Me quod attinet, quamdiu Nova hæc à Viris fide dignis non perſcribuntur ex Urbe Conſtantinopolitanâ, cui hujus rei maximè omnium intereſt, fidem iis adhibere non poſſum. Scire aveo, quid Judæi Amſtelædamenſes eâ de re inaudiverint, & quomodò tanto nuncio afficiantur, qui, verus ſi fuerit, rerum omnium in Mundo Cataſtrophen induturus ſanè videtur.

Quid Suecus nunc moliatur, & Brandiburgicus, ſi potes, explica; & crede me eſſe

Tui Studioſſimum

HENR. OLDENBURG.

Londini die 8. Decemb. 1665.

P. S. Quid de nuperis Cometis noſtri Philoſophi ſtatuant, brevi tibi indicabo, Deo volente.

EPISTOLA XVII.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS.

S. P.

NOlui dimittere commodam hanc occasionem, quam Doctissimus Dom. Bourgeois, Medicinæ Doctor Cadomensis, & Reformatæ Religionis addictus, jam in Belgium abituriens, mihi offert; ut hâc ratione tibi significarem, me ante aliquot septimanas tibi gratum meum animum pro Tractatu tuo mihi transmisso, licet nunquam tradito, exposuisse; at dubium fovere, num literæ illæ meæ ad manus ritè pervenerint. *Indicaveram in iis me de Tractatu illo sententiam; quam utique, dehinc re propiùs inspectâ, & perpensâ, nimis immaturam fuisse nunc existimo.* Quædam mihi videbantur tunc temporis vergere in fraudem Religionis, dum eam ex eo pede metiebar, quam Theologorum vulgus, & receptæ Confessionum Formnlæ (quæ nimiùm spirare videntur partium studia) suppeditant. At totum negotium intimiùs recogitanti multa occurrunt, quæ mihi persuasum eunt, te tantùm abesse, ut quicquam in Veræ Religionis, solidæve Philosophiæ damnum moliaris, ut contrà genuinum Christianæ Religionis finem, nec non divinam fructuosæ Philosophiæ sublimitatem, & excellentiam commendare, & stabilire allabores. Cùm igitur hoc ipsum animo tuo sedere nunc credam, rogatum te enixè velim, ut quid eum in finem nunc pares, & mediteris, veteri, & candido Amico, qui instituti tam divini successum feliciſſimum totus anhelat, frequentibus literis exponere digneris. Sanctè tibi polliceor, me nihil eorum ulli mortalium propalaturum, siquidem tu mihi silentium injunxeris; hoc me solummodò enixurum, ut bonorum, & sagacium Viro-

rum mentes ad amplexandas illas veritates, quas tu aliquando in ampliorem lucem depromes, ſenſim diſponam, & præjudicia adverſus Meditationes tuas concepta è medio tollam. Ni fallor, admodùm penitiùs mihi perſpicere videris Mentis humanæ naturam, & vires, ejuſque cum Corpore noſtro Unionem. De quo argumento ut tua cogitata edocere me velis, impenſè oro. Vale, Vir Præſtantiſſime,& Doctrinæ, ac virtutis tuæ Cultori Studioſſimo favere perge

HENR. OLDENBURG.

Londini 8. Octob. 1665.

EPISTOLA XVIII.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS.

COmmercio Noſtro literario ſic feliciter inſtaurato, Vir Clariſſime, nolim amici officio deeſſe literarum intermiſſione. Cum ex reſponſione tuâ 5. Julii ad me datâ, intellexerim, animo ſedere tuo, Tractatum illum tuum Quinque-partitum publici juris facere, permittas, quæſo, te moneam ex affectûs in me tui ſinceritate, ne quicquam miſceas, quòd Religioſæ virtutis praxin labefactare ullatenus videatur, maximè cùm degener, & flagitioſa hæc ætas nil venetur avidiùs, quàm dogmata ejuſmodi, quorum concluſiones graſſantibus vitiis patrocinari videantur.

De cætero, non renuam aliquot dicti Tractatus exemplaria recipere. Hoc duntaxat rogatum te velim, ut ſuo tempore mercatori cuidam Belgico, Londini commoranti, inſcribantur, qui mihi poſtmodùm tradenda curet. Nec opus fuerit verba de eo facere, libros ſcilicet iſtiuſmodi ad me fuiſſe tranſmiſſos: dummodò enim

in

in poteſtatem meam tutò pervenerint, nullus dubito, quin commodum mihi futurum ſit, eos amicis meis hinc inde diſtribuendi, juſtumque pro iis precium conſequendi. Vale, &, quando vacaverit, reſcribe

Tui Studioſiſſimo

HENR. OLDENBURG.

Londini, 22. Julii. 1675.

EPISTOLA XIX.

Viro Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo,

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Nobiliſſime, & Clariſſime Domine,

EO tempore, quo literas tuas 22 Julii accepi, Amſtelædamum profectus ſum eo conſilio, ut librum de quo tibi ſcripſeram, typis mandarem. Quod dum agito; rumor ubique ſpargebatur librum quendam meum de Deo ſub prælo ſudare, meque in eo conari oſtendere, nullum dari Deum: qui quidem rumor à plurimis accipiebatur. Unde quidam Theologi (hujus fortè rumoris auctores) occaſionem cepere de me coram Principe, & Magiſtratibus conquerendi; ſtolidi præterea Carteſiani, quia mihi favere creduntur, ut à ſe hanc amoverent ſuſpicionem, meas ubique opiniones, & ſcripta deteſtari non ceſſabant, nec etiamnum ceſſant. Hæc cum à Viris quibusdam fide dignis intellexiſſem, qui ſimul affirmabant, Theologos mihi ubique inſidiari, editionem, quam parabam, differre ſtatui, donec, quo res evaderet, viderem, &, quod tum conſilium ſequerer, tibi ſignificare propoſui. Verùm negotium quotidie in pejus vergere videtur, &, quid tamen agam, incertus ſum. Interim meam ad tuas literas reſponſionem

nem diutiùs intermittere nolui, & primò tibi maximas ago gratias pro amiciſſimâ tuâ admonitione, cujus tamen ampliorem explicationem deſidero, ut ſciam, quænam ea dogmata eſſe credas, quæ religioſæ virtutis praxin labefactare viderentur. Nam quæ mihi cum ratione convenire videntur, eadem ad virtutem maximè eſſe utilia credo. Deinde, niſi tibi moleſtum ſit, velim, ut loca Tractatûs Theologico-politici, quæ viris doctis ſcrupulum injecerunt, mihi indicares. Cupio namque iſtum Tractatum notis quibuſdam illuſtrare, & concepta de eo præjudicia, ſi fieri poſſit, tollere. Vale.

EPISTOLA XX.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

P. S.

QUantum video ex tuis Noviſſimis, in periculo verſatur Libri à te publico deſtinati Editio. Non poſſum non probare inſtitutum tuum, quo illuſtrare, & mollire te velle ſignificas, quæ in Tractatu Theologico-Politico crucem Lectoribus fixere. Ea imprimis eſſe putem, quæ ambiguè ibi tradita videntur de Deo, & Naturâ; quæ duo à te confundi, quamplurimi arbitrantur. Adhæc multis tollere videris miraculorum authoritatem, & valorem, quibus ſolis Divinæ Revelationis certitudinem adſtrui poſſe, omnibus ferè Chriſtianis eſt perſuaſum. Inſuper, de Jeſu Chriſto, Mundi Redemptore, & unico hominum Mediatore, deque ejus Incarnatione, & Satisfactione ſententiam tuam celare te ajunt; poſtulantque, ut de tribus hiſce capitibus mentem tuam dilucidè aperias. Quod ſi feceris, in eoque Chriſtianis cordatis, & ratione valentibus placueris, in tuto res tuas fore opinor. Hæc paucis te ſcire volui, qui ſum tui ſtudioſiſſimus. Vale.

Dab. die 15. Novemb. 1675.

P. S. *Fac, quæſo, brevi ſciam, has meas lineolas tibi ritè traditas fuiſſe.*

EPISTO-

EPISTOLA XXI.

Viro Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Nobiliſſime Domine,

PErbreves tuas literas, 15. Nov. ad me datas, die Saturni elapſâ accepi: in iis ea tantummodò indicas, quæ in Tractatu Theologico-Politico crucem lectoribus fixere. Cùm tamen ex iis etiam cognoſcere ſperaverim, quænam eæ opiniones eſſent, quæ religioſæ virtutis praxin labefactare viderentur, de quibus antea monueras. Sed, ut de tribus illis capitibus, quæ notas, mentem meam tibi aperiam, dico, & quidem ad primum, me de Deo, & Naturâ ſententiam fovere longè diverſam ab eâ, quam Neoterici Chriſtiani defendere ſolent. Deum enim rerum omnium cauſam immanentem, ut ajunt, non verò tranſeuntem ſtatuo. Omnia, inquam, in Deo eſſe, & in Deo moveri cum Paulo affirmo, & fortè etiam cum omnibus antiquis Philoſophis, licet alio modo; & auderem etiam dicere, cum antiquis omnibus Hebræis, quantum ex quibusdam traditionibus, tametſi multis modis adulteratis, conjicere licet. Attamen quòd quidam putant, Tractatum Theologico-Politicum eo niti, quòd Deus, & Natura (per quam maſſam quandam, ſive materiam corpoream intelligunt) unum, & idem ſint, totâ errant viâ. Ad miracula deinde quod attinet, mihi contrà perſuaſum eſt, divinæ revelationis certitudinem ſolâ doctrinæ ſapientiâ, non autem miraculis, hoc eſt, ignorantiâ adſtrui poſſe, quod ſatis prolixè Cap. VI. de miraculis oſtendi. Hoc tantùm hîc addo, me inter Religionem, & Superſtitionem hanc præcipuam agnoſcere differentiam, quòd hæc ignorantiam, illa

illa autem ſapientiam pro fundamento habeat, & hanc cauſam eſſe credo, cur Chriſtiani non fide, neque charitate, neque reliquis Spiritûs Sancti fructibus; ſed ſolâ opinione inter reliquos dignoſcuntur; nempe, quia, ut omnes, ſolis miraculis, hoc eſt ignorantiâ, quæ omnis malitiæ fons eſt, ſe defendunt; atque adeò fidem, licet veram, in ſuperſtitionem vertunt. Verùm an huic malo remedium adhibere reges unquam concedent, valdè dubito. Denique, ut de tertio etiam capite mentem meam clariùs aperiam, dico ad ſalutem non eſſe omninò neceſſe, Chriſtum ſecundùm carnem noſcere; ſed de æterno illo filio Dei, hoc eſt, Dei æternâ ſapientiâ, quæ ſeſe in omnibus rebus, & maxime in Mente humanâ, & omnium maximè in Chriſto Jeſu manifeſtavit, longè aliter ſentiendum. Nàm nemo abſque hâc ad ſtatum beatitudinis poteſt pervenire, utpote quæ ſola docet, quid verum & falſum; bonum & malum ſit. Et quia, uti dixi, hæc ſapientia per Jeſum Chriſtum maximè manifeſtata fuit, ideò ipſius diſcipuli eandem, quatenus ab ipſo ipſis fuit revelata, prædicaverunt, ſeſeque ſpiritu illo Chriſti ſupra reliquos gloriari poſſe oſtenderunt. Cæterùm quòd quædam Eccleſiæ his addunt, quòd Deus naturam humanam aſſumpſerit, monui expreſſè, me, quid dicant, neſcire; imò, ut verum fatear, non minùs abſurdè mihi loqui videntur, quàm ſi quis mihi diceret, quòd circulus naturam quadrati induerit. Atque hæc ſufficere arbitror ad explicandum, quid de tribus illis capitibus ſentiam. An eadem Chriſtianis, quos noſti, placitura ſint, id tu meliùs ſcire poteris. Vale.

EPISTO-

EPISTOLA XXII.

Clarissimo, Doctissimoque Viro,

B. D. S.

HENR. OLDENBURGIUS

S. P.

Responsio ad Præcedentem.

QUandoquidem accusare me videris nimiæ brevitatis, culpam illam hâc vice nimiâ prolixitate eluam. Exspectaveras, ut video, earum in Scriptis tuis opinionum enarrationem, quæ Religiosæ virtutis praxin convellere Lectoribus tuis videantur. Dicam quid sit rei, quod potissimùm eos excruciet. Fatalem videris rerum, & actionum omnium necessitatem adstruere: atqui illâ concessâ, assertâque, legum omnium, omnis virtutis, & religionis incidi nervos, omnesque remunerationes, & pœnas inanes esse, autumant. Quicquid cogit, vel necessitatem infert, excusare iidem arbitrantur; proindeque neminem inexcusabilem in Dei conspectu fore censent. Si fatis agamur, durâque revolutâ manu omnia certo, & inevitabili tramite vadunt, quis culpæ, pœnarumque sit locus, illi equidem non assequuntur. Quis huic nodo adhiberi possit cuneus, perquam ardua res dictu est. Tu quid opis hanc in rem suppeditare posses, scire & discere pervelim.

Ad sententiam illam tuam, quam de tribus capitibus, à me notatis, aperire mihi dignaris, hæc inquirenda subeunt. Primò, quonam sensu *Miracula*, *& Ignorantiam* pro Synonymis, & æquipollentibus habeas, ut in Novissimis tuis sentire videris; cùm Lazari à mortuis resuscitatio, & Jesu Christi à morte resurrectio omnem Naturæ creatæ vim superare, & soli potentiæ divinæ competere videatur; neque id ignorantiam culpabilem arguat, quod intelligentiæ finitæ, certisque repagulis constrictæ limites excedat necessum est. An non convenire censes creatæ Menti & scientiæ, increatæ Mentis, ac supremi Numinis talem scientiam,

potentiamque agnoscere, quæ penetrare, ac præstare ea possit, quorum ratio, ac modus à nobis homuncionibus reddi, & explicari nequeat? Homines sumus, humani nihil à Nobis alienum ducendum videtur. Deinde, cùm capere te nequire fatearis, Deum reverâ naturam humanam assumpsisse, quærere ex te fas sit, quomodò illa Euangelii nostri, & Epistolæ ad Hebræos scriptæ locos intelligas, quorum prior affirmat, *verbum carnem factum esse*; posterior, *Filium Dei non Angelos, sed semen Abrahæ assumpsisse*. Et totius Euangelii tenorem id inferre putem Filium Dei unigenitum λόγον, (qui & Deus, & apud Deum erat) in naturâ humanâ se ostendisse, & pro nobis peccatoribus ἀντίλυτρον, redemptionis precium, passione, & morte suâ exsolvisse. Quid de his, & similibus dicendum, ut sua constet Euangelio, & Christianæ Religioni, cui te favere opinor, veritas, lubens edoceri vellem.

Plura scribere statueram, sed interpellant amici invisentes, quibus negare humanitatis officia nefas duco. Sed & hæc, quæ congessi hâc Epistolâ, suffecerint, & fortasse tædium tibi Philosophanti creaverint. Vale igitur, & me jugem Eruditionis & Scientiæ tuæ cultorem crede.

Dab. Londini die 16. Decemb. 1675.

EPISTOLA XXIII.

Viro Nobilissimo, ac Doctissimo

HENR. OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad Præcedentem.

Nobilissime Domine,

VIdeo tandem, quid id fuerit, quod à me postulabas ne evulgarem; sed quia id ipsum præcipuum est fundamentum eorum omnium, quæ in Tractatu, quem edere destinaveram, habentur,

tur, volo hîc paucis explicare, quâ ratione ego fatalem omnium rerum, & actionum neceſſitatem ſtatuam. Nam Deum nullo modo fato ſubjicio, ſed omnia inevitabili neceſſitate ex Dei naturâ ſequi concipio eodem modo, ac omnes concipiunt, ex ipſius Dei naturâ ſequi, ut Deus ſe ipſum intelligat; quod ſanè nemo negat ex divinâ naturâ neceſſariò ſequi, & tamen nemo concipit, Deum fato aliquo coactum, ſed omninò liberè, tametſi neceſſariò ſe ipſum intelligere.

Deinde hæc inevitabilis rerum neceſſitas nec jura divina, nec humana tollit. Nam ipſa moralia documenta, ſive formam legis, ſeu juris ab ipſo Deo accipiant, ſive non, divina tamen ſunt, & ſalutaria, & ſi bonum, quod ex virtute, & amore divino ſequitur, à Deo tanquam Judice accipiamus, vel ex neceſſitate Divinæ naturæ emanet, non erit propterea magis, aut minùs optabile, ut nec contrà mala, quæ ex pravis actionibus, & affectibus ſequuntur, ideò, quia neceſſariò ex iiſdem ſequuntur, minùs timenda ſunt, & denique ſive ea, quæ agimus, neceſſariò, vel contingenter agamus, ſpe tamen, & metu ducimur.

Porrò homines coram Deo nullâ aliâ de cauſâ ſunt inexcuſabiles, quàm quia in ipſius Dei poteſtate ſunt, ut lutum in poteſtate figuli, qui ex eâdem maſſâ vaſa facit, alia ad decus, alia ad dedecus. Ad hæc pauca ſi attendere velis aliquantulùm, non dubito, quin facili negotio ad omnia argumenta, quæ in hanc ſententiam objici ſolent, reſpondere poſſis, ut multi jam mecum experti ſunt.

Miracula, & ignorantiam pro æquipollentibus ſumpſi, quia ii, qui Dei exiſtentiam, & Religionem miraculis adſtruere conantur, rem obſcuram per aliam magis obſcuram, & quam maximè ignorant, oſtendere volunt, atque ità novum argumentandi genus adferunt, redigendo ſcilicet non ad impoſſibile, ut ajunt, ſed ignorantiam. Cæterùm meam de miraculis ſententiam ſatis, ni fallor, explicui in Tractatu Theologico-Politico. Hoc tantùm hîc addo, quòd ſi ad hæc attendas, quòd ſcilicet Chriſtus non Senatui, nec Pilato, nec cuiquam infidelium; ſed ſanctis tantummodò apparuerit, & quòd Deus neque dextram, neque ſiniſtram habeat, nec in loco; ſed ubique ſecundùm eſſen-

tiam ſit, & quòd materia ubique ſit eadem, & quòd Deus extra Mundum in ſpatio, quod fingunt, imaginario, ſeſe non manifeſtet, & quòd denique Corporis humani compages intra debitos limites ſolo aëris pondere coërceatur, facilè videbis, hanc Chriſti apparitionem non abſimilem eſſe illi, quâ Deus Abrahamo apparuit, quando hic vidit homines, quos ad ſecum prandendum invitavit. At dices, Apoſtolos omnes omninò credidiſſe, quòd Chriſtus à morte reſurrexerit, & ad cœlum reverâ aſcenderit: quod ego non nego. Nam ipſe etiam Abrahamus credidit, quòd Deus apud ipſum pranſus fuerit, & omnes Iſraëlitæ, quòd Deus è cœlo igne circumdatus ad montem Sinaï deſcenderit, & cum iis immediatè locutus fuerit, cum tamen hæc, & plura alia hujusmodi apparitiones, ſeu revelationes fuerint, captui, & opinionibus eorum hominum accommodatæ, quibus Deus mentem ſuam iiſdem revelare voluit. Concludo itaque Chriſti à mortuis reſurrectionem reverâ ſpiritualem, & ſolis fidelibus ad eorum captum revelatam fuiſſe, nempe quòd Chriſtus æternitate donatus fuit, & à mortuis, (mortuos hîc intelligo eo ſenſu, quo Chriſtus dixit: *ſinite mortuos mortuos ſuos ſepelire*) ſurrexit, ſimulatque vitâ & morte ſingularis ſanctitatis exemplum dedit, & eatenus diſcipulos ſuos à mortuis ſuſcitat, quatenus ipſi hoc vitæ ejus, & mortis exemplum ſequuntur. Nec difficilè eſſet totam Euangelii doctrinam ſecundùm hanc hypotheſin explicare. Imo Caput 15. Ep. 1. ad Corinthios ex ſolâ hâc hypotheſi explicari poteſt, & Pauli argumenta intelligi, cum aliàs communem hypotheſin ſequendo infirma appareant, & facili negotio refelli poſſint, ut jam taceam, quòd Chriſtiani omnia, quæ Judæi carnaliter, Spiritualiter interpretati ſunt. Humanam imbecillitatem tecum agnoſco. Sed te contrà rogare mihi liceat, an nos homunciones tantam Naturæ cognitionem habeamus, ut determinare poſſimus, quouſque ejus vis, & potentia ſe extendit, & quid ejus vim ſuperat? quod quia nemo ſine arrogantiâ præſumere poteſt, licèt ergo abſque jactantiâ miracula per cauſas naturales, quantum fieri poteſt, explicare, & quæ explicare non poſſumus, nec etiam demonſtrare, quòd abſurda ſint, ſatiùs erit judicium de iis ſuſpendere, & Religionem, uti dixi, ſolâ

Doctri-

Doctrinæ ſapientiâ adſtruere. Loca denique Euangelii Johannis & Epiſtolæ ad Hebræos iis, quæ dixi, repugnare credis, quia Linguarum orientalium phraſes Europæis loquendi modis metiris, & quamvis Johannes ſuum Euangelium Græcè ſcripſerit, hebraizat tamen. Quicquid ſit, an credis, quando Scriptura ait, quòd Deus in Nube ſeſe manifeſtaverit, aut quòd in Tabernaculo, & in Templo habitaverit, quòd ipſe Deus naturam Nubis, Tabernaculi, & templi aſſumpſerit? atqui hoc ſummum eſt, quod Chriſtus de ſe ipſo dixit, ſe ſcilicet templum Dei eſſe, nimirùm quia, ut in meis præcedentibus dixi, Deus ſeſe maximè in Chriſto manifeſtavit, quod Johannes ut efficaciùs exprimeret, dixit verbum factum eſſe carnem. Sed de his ſatis.

EPISTOLA XXIV.

Viro Clariſſimo

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS

ἐυ πράτειν.

Reſponſio ad præcedentem.

REm acu tetigiſti, dum percipis cauſam, quare fatalem illam rerum omnium neceſſitatem vulgari nollem, ne ſcilicet virtutis exercitium inde ſufflaminaretur, nec præmia, ac pœnæ vileſcerent. Quæ in eam rem noviſſimæ tuæ litteræ ſuggerunt, nec-dum conficere hoc negotium, Mentemque humanam tranquillare videntur. Etenim ſi nos homines in omnibus actionibus noſtris, moralibus æquè, ac naturalibus, ità in poteſtate Dei ſumus, ut lutum in manu figuli, quâ fronte quæſo accuſari ullus noſtrûm poteſt, quòd hoc, vel illo modo egerit, cùm ſecus agere ipſi omninò fuerit impoſſibile? An non ad unum omnes regerere Deo poteri-

terimus, inflexibile fatum tuum, ac irresistibilis tua potestas nos eò adegit, ut sic operaremur, nec operari aliter potuimus; cur igitur, & quo jure nos dirissimis pœnis mancipabis, quas nullatenus evitare potuimus, te omnia per supremam necessitatem pro arbitrio, & beneplacito tuo operante, & dirigente? Cùm tu dicis, Homines coram Deo nullâ aliâ de causa esse inexcusabiles, quàm quia sunt in potestate Dei; Ego argumentum illud planè inverterem, diceremque majori, ut videtur, ratione; Homines ideo planè esse excusabiles, quia in potestate Dei sunt. In promptu enim est omnibus objicere; Ineluctabilis est potestas tua, ô Deus; Quare meritò, quod aliter non egi, excusandus videor.

Deinde, quòd Miracula, & Ignorantiam pro æquipollentibus etiamnum capis, videris potentiam Dei, & Hominum, etiam acutissimorum, scientiam iisdem finibus concludere; quasi nihil agere, vel producere Deus queat, cujus rationem reddere homines non possint; si omnes ingenii vires intendant. Adhæc Historia illa de Christi Passione, Morte, Sepulturâ, Resurrectione vivis adeò coloribus, genuinisque descripta videtur, ut vel appellare conscientiam tuam ausim, credasne illa Allegoricè potiùs, quàm literaliter esse accipienda, dummodò de Historiæ veritate fueris persuasus? Circumstantiæ illæ, quæ ab Euangelistis eâ de re adeò dilucidè sunt consignatæ, urgere penitùs videntur, historiam illam ad literam esse capiendam. Hæc paucis ad argumentum illud notare porrò volui, quibus ut ignoscas, & pro candore tuo amicè respondeas, enixè rogo. Dom. Boylius te officioſè resalutat. Quid Regia Societas nunc agat aliâ vice exponam. Vale & me amare perge.

Londini, 14. Januar. 1676.

EPISTO-

EPISTOLA XXV.

Viro Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo,

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Nobiliſſime Domine,

QUòd in præcedentibus meis dixi, nos ideò eſſe inexcuſabiles, quia in Dei poteſtate ſumus, ut lutum in manu figuli, hoc ſenſu intelligi volui, videlicet quòd nemo Deum redarguere poteſt, quòd ipſi naturam infirmam, ſeu animum impotentem dederit. Sicut enim abſurdè circulus conquereretur, quòd Deus ipſi globi proprietates, vel infans, qui calculo cruciatur, quòd ei corpus ſanum non dederit, ſic etiam homo animo impotens quæri poſſet, quòd Deus ipſi fortitudinem, veramque ipſius Dei cognitionem, & amorem negaverit, quodque ipſi naturam adeò infirmam dederit, ut cupiditates ſuas nec coërcere, nec moderari poſſit. Nam naturæ cujuscunque rei nihil aliud competit, quàm id, quòd ex datâ ipſius cauſâ neceſſariò ſequitur. Quod autem naturæ uniuscujuſque hominis non competat, ut animo forti ſit, & quòd in noſtrâ poteſtate non magis ſit Corpus ſanum, quàm Mentem ſanam habere, negare nemo poteſt, niſi qui tam experientiam, quàm rationem negare velit. At inſtas, ſi homines ex naturæ neceſſitate peccant, ſunt ergo excuſabiles, nec quòd inde concludere velis, explicas, an ſcilicet quòd Deus in eos iraſci nequeat, an verò quòd beatitudine, hoc eſt, Dei cognitione & amore digni ſint. Sed, ſi primum putas, omninò concedo, Deum non iraſci, ſed omnia ex ipſius ſententiâ fieri; at nego, quòd propterea omnes beati eſſe debeant: poſſunt quippe homines excuſabiles eſſe, & nihilominùs beatitudine carere, & multis modis

cruciari. Eſt enim equus excuſabilis, quòd equus, & non homo ſit; at nihilominùs equus, & non homo eſſe debet. Qui ex morſu canis furit, excuſandus quidem eſt, & tamen jure ſuffocatur, & qui denique cupiditates ſuas regere, & metu legum easdem coërcere nequit, quamvis etiam ob infirmitatem excuſandus ſit, non poteſt tamen animi acquieſcentiâ, Deiqúe cognitione, & amore frui; ſed neceſſariò perit. Neque hîc neceſſe eſſe puto monere, quòd Scriptura, quando ait, Deum in peccatores iraſci, eumque judicem eſſe, qui de hominum actionibus cognoſcit, ſtatuit, & judicat, more humano, & ſecundùm receptas vulgi opiniones loquatur, quia ipſius intentum non eſt Philoſophiam docere, nec homines doctos, ſed obtemperantes reddere.

Quo præterea pacto videar, ex eo, quòd miracula, & ignorantiam pro æquipollentibus ſumpſerim, potentiam Dei, & hominum ſcientiam iiſdem finibus concludere, non video.

Cæterùm Chriſti paſſionem, mortem, & ſepulturam tecum literaliter accipio, ejus autem reſurrectionem allegoricè. Fateor quidem hanc etiam ab Euangeliſtis iis narrari circumſtantiis, ut negare non poſſimus, ipſos Euangeliſtas credidiſſe, Chriſti corpus reſurrexiſſe, & ad cœlum adſcendiſſe, ut ad Dei dextram ſederet; & quòd ab infidelibus etiam potuiſſet videri, ſi unà in iis locis adfuiſſent, in quibus ipſe Chriſtus diſcipulis apparuit; in quo tamen, ſalvâ Euangelii doctrinâ, potuerunt decipi, ut aliis etiam Prophetis contigit, cujus rei exempla in præcedentibus dedi. At Paulus, cui etiam Chriſtus poſtea apparuit, gloriatur, quòd Chriſtum non ſecundùm carnem; ſed ſecundùm ſpiritum noverit. Vale, Vir ampliſſime, & me omni ſtudio, atque affectu tuum eſſe crede.

EPISTO-

EPISTOLA XXVI.

Clarissimo Viro

B. D. S.

SIMON de VRIES.

Amice Integerrime,

JAmdudum exoptavi tibi adesse; sed tempus, asperaque hyems non satis mihi fuerunt propitiæ. Quamvis autem corpore abs te tam longè sim remotus, animo tamen sæpissime es præsens meo, præsertim in tuis scriptis cùm versor, eaque manibus tracto. Sed quum non omnia, circa Definitiones, mihi sint clara, tui memor ad hasce literas scribendas animum appuli. Consului subtilis ingenii Mathematicum, Borellum, qui de his rebus sic scribit. *Definitiones*, inquit, *adhibentur in Demonstratione, ut præmissæ. Quare necesse est, ut sint evidenter cognitæ, aliàs cognitio scientifica, seu evidentissima ex iis acquiri non potest.* Et alibi. *Non temerè, sed maximâ cautione eligi debet ratio structuræ, aut essentialis passio prima, & notissima alicujus subjecti. Nam si Constructio, & passio nominata sit impossibilis, tunc non efficietur Definitio scientifica, ut si quis diceret: Duæ rectæ lineæ, spatium comprehendentes, vocentur Figurales, essent Definitiones non Entium, & Impossibiles; & propterea potiùs ignorantia, quàm Scientia ex eis deduceretur. Deinde si Constructio, aut passio nominata sit quidem possibilis, & vera, sed nobis ignota, aut dubia, tunc bona Definitio non erit. Nam conclusiones ab ignoto, & dubio ortæ, incertæ quoque, & dubiæ erunt; & ideò suspicionem, aut opinionem, non autem scientiam certam afferent.* A cujus opinione dissentire videtur Tacquet, qui autumat ex falso pronunciato directè ad veram Conclusionem procedi posse, uti tibi notum. Clavius verò, cujus etiam sententiam introducit, sic sentit. *Definitiones* (inquit) *sunt artis vocabula, neque opus*

est, ut ratio afferatur, cur res aliqua hoc, aut illo definiatur modo; sed satis est, ut nunquam res definita asseratur alicui conuenire, nisi priùs Definitionem traditam eidem convenire demonstretur.

Ità ut Borellus velit, quòd Definitio alicujus subjecti debeat constare ex passione, sive structurâ primâ, essentiali, nobis notissimâ, & verâ. Clavius contrâ statuat, nihil referre, sive prima, sive notissima, sive vera passio sit, nec ne, dummodò Definitionem, quam tradidimus, alicui convenire, non asseratur, nisi priùs demonstretur.

Præ Clavii sententiâ Borelli sententiam eligerem ego: utri verò tu, an eorum neutri assentiaris, nescio. Cùm igitur tales, de Definitionis Naturâ, quæ inter principia Demonstrationis numeratur, difficultates mihi sint obortæ, nec animus ab istis se queat expedire, magnopere desidero, & obnixè peto, ut, si per negotium, perque otium liceat, tuam hâc de re sententiam perscribere non graveris, & simul addere distinctionem inter Axiomata & Definitiones. Borellus nullam veram admittit, nisi quoad Nomen; sed te aliam ponere credo. Porrò definitionem tertiam non intelligo. Memini te Hagæ Comitis mihi dixisse, quòd Res duobus modis potest considerari, vel prout in se est, vel prout respectum habet ad aliud; uti *Intellectus*: is enim vel potest considerari sub cogitatione, vel ut constans ideis. Sed quænam hîc sit distinctio, non assequor: nam existimo, quòd, si cogitationem rectè concipio, eam oportet comprehendere sub ideis, quia remotis ab eâ omnibus ideis cogitationem destrui necessum est. Cujus rei cum exemplum satis clarum non habeam, res ipsa aliquo modo obscura remanet, ulteriorèque explicatione indiget. Denique etiam in Scholio Prop. 10. lib. 1. sub initium ipse hæc habes. *Ex his apparet, quòd, quamvis duo attributa realiter distincta concipiantur, hoc est, unum sine alterius ope, non possumus tamen inde concludere ipsa duo entia, sive duas diversas substantias constituere. Id enim est de naturâ substantiæ, ut unumquodque ejus attributorum, per se concipiatur; quandoquidem omnia, quæ habet, attributa simul in ipsâ fuerunt.* In quibus videris supponere, Substantiæ naturam ità esse constitutam, ut plura possit habere attributa, quod nondum est demonstratum, nisi ad

sex-

sextam Definitionem Substantiæ absolutè infinitæ, sive Dei respicias; aliàs, si statuatur unamquamque Substantiam tantùm habere unum attributum, & ego haberem duas ideas duorum attributorum, rectè concludere possem, quòd, ubi duo diversa attributa, ibi duæ diversæ sint substantiæ. Hujus etiam clariorem explicationem rogo. Desino Vir Clar. & ad has tuam responsionem primâ quâvis occasione exspecto

Tibi Addictissimus

S. J. de VRIES.

Amstelædami die 24. Febr. 1663.

EPISTOLA XXVII.

Doctissimo Juveni

SIMONI de VRIES

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Amice colende,

QUòd ad quæstiones à te propositas attinet. Video te in iis hærere, propterea quòd non destinguis inter genera Definitionum. Nempe inter definitionem, quæ inservit ad rem, cujus essentia tantùm quæritur, & de quâ solâ dubitatur, explicandum, & inter definitionem, quæ ut solùm examinetur, proponitur. Illa enim, quia determinatum habet objectum, vera debet esse; hæc verò id non requirit. Ex. gr. si quis templi Solomonis descriptionem me roget, ipsi veram templi descriptionem tradere debeo, nisi cum ipso cupiam garrire. Sed si ego templum aliquod in mente concinnavi, quod ædificare cupio: ex cujus descriptione concludo

me talem fundum, totque millia lapidum, aliorumque materialium emere debere. Aliquisne sanæ mentis mihi dicet, me malè concluſiſſe, ex eo quòd fortè falſam adhibui definitionem? vel an aliquis à me exiget, ut meam definitionem probem? Is sanè nihil aliud mihi dicet, quàm quòd id, quod conceperam, non conceperim, vel à me exiget, ut id, quod conceperam, probem, me concepiſſe, quod sanè est nugari. Quare definitio vel explicat rem, prout est extra intellectum, & tum vera debet esse, & à Propoſitione, vel Axiomate non differre, niſi quòd illa tantùm circa rerum, rerumve affectionum eſſentias verſatur; hoc verò latiùs, nempe ad æternas veritates etiam se extendit: Vel explicat rem, prout à nobis concipitur, vel concipi poteſt, tumque in eo etiam differt ab Axiomate & Propoſitione, quòd non exigit, niſi ut concipiatur abſolutè, non ut Axioma ſub ratione veri. Quare mala definitio illa est, quæ non concipitur. Quod ut intelligatur, Borelli exemplum capiam. Nempe ſi quis diceret, duæ rectæ lineæ, ſpatium comprehentes, vocentur figurales. Si is per lineam rectam intelligit id, quod omnes per lineam curvam, tum bona est definitio, (per illam enim definitionem intelligeretur figura, ut ( ), aut ſimiles) modò quadrata, & alias poſtea non intelligat figuras. Verùm ſi per lineam intelligat id, quod communiter intelligimus, res est planè inconceptibilis, ideoque nulla est definitio. Quæ omnia à Borello, in cujus ſententiâ amplectendâ pronus es, planè confunduntur. Aliud exemplum addo, id nempe, quod in fine adfers. Si dicam unamquamque ſubſtantiam unum tantùm habere attributum, mera est Propoſitio, & eget Demonſtratione. Si verò dicam per ſubſtantiam intelligo id, quòd uno tantùm attributo conſtat, bona erit Definitio, modò poſtea entia pluribus attributis conſtantia alio nomine à ſubſtantia diverſo inſigniantur. Quòd autem dicis, me non demonſtrare ſubſtantiam (ſive ens) plura habere poſſe attributa, fortè ad Demonſtrationes noluiſti attendere. Duas enim adhibui, prima quòd nihil nobis evidentiùs, quàm quòd unumquodque ens ſub aliquo attributo à nobis concipiatur, & quò plus realitatis, aut eſſe aliquod ens habet, eò plura attributa ei ſunt tribuenda. Unde ens abſolutè infinitum definiendum, &c. Secunda, &quam

ego

ego palmariam judico, est, quòd quò plura attributa alicui enti tribuo, eò magis cogor, ipsi existentiam tribuere, hoc est, eò magis sub ratione veri ipsum concipio, quod planè contrarium esset, si ego Chymæram, aut quid simile finxissem. Quòd autem dicis, te non concipere cogitationem, nisi sub ideis, quia remotis ideis cogitationem destruis, credo id tibi contingere propterea, quòd dum tu, res scilicet cogitans, id facis, omnes tuas cogitationes & conceptûs seponis. Quare non mirum est, quòd ubi omnes tuas cogitationes sepositi, nihil postea tibi cogitandum superfit. Quod autem ad rem attinet, puto me satis clarè, & evidenter demonstrâsse, intellectum, quamvis infinitum, ad Naturam naturatam, non verò ad naturantem pertinere. Porrò quid hoc ad tertiam Definitionem intelligendam faciat, nondum video, nec etiam cur ea moram injiciat. Ipsa enim Definitio, ut ipsam, ni fallor, tibi tradidi, sic sonat, *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur, hoc est, cujus conceptus non involvit conceptum alterius rei. Idem per attributum intelligo, nisi quòd attributum dicatur respectu intellectûs, substantiæ certam talem naturam tribuentis.* Hæc, inquam, Definitio satis clarè, quid per substantiam, sive attributum intelligere volo, explicat. Vis tamen, quod minimè opus est, ut exemplo explicem, quomodò una, eademque res duobus nominibus insigniri possit. Sed ne parcus videar duo adhibebo. Primò dico per Israëlem intelligi tertium Patriarcham, idem per Jacobum intelligo, quod nomen Jacobi ipsi imponebatur propterea, quòd calcem fratris apprehenderat. Secundò per planum intelligo id, quod omnes radios lucis sine ullâ mutatione reflectit, idem per album intelligo, nisi quòd album dicatur respectu hominis planum intuentis. &c.

EPISTO-

EPISTOLA XXVIII.

Doctissimo Juveni,

SIMONI de VRIES

B. D. S.

Amice colende,

PEtis à me, an egeamus experientiâ ad sciendum, utrum Definitio alicujus Attributi sit vera? Ad hoc respondeo, nos nunquam egere experientiâ, nisi ad illa, quæ ex rei definitione non possunt concludi, ut, ex. gr. existentia Modorum: hæc enim à rei definitione non potest concludi. Non verò ad illa, quorum existentia ab eorundem essentia non distinguitur, ac proinde ab eorum definitione concluditur. Imò nulla experientia id unquam nos edocere poterit: nam experientia nullas rerum essentias docet; sed summum, quod efficere potest, est mentem nostram determinare, ut circa certas tantùm rerum essentias cogitet. Quare, cùm existentia attributorum ab eorum essentiâ non differat, eam nullâ experientiâ poterimus assequi.

Quòd porrò petis, anne res etiam, rerumve affectiones sint æternæ veritates? Dico omninò. Si regeris, cur eas æternas veritates non voco? respondeo, ut eas distinguam, uti omnes solent, ab iis, quæ nullam rem, reive affectionem explicant, ut, ex. gr. *à nihilo nihil fit*; hæc, inquam, similesque Propositiones vocantur absolutè æternæ veritates, sub quo nihil aliud significare volunt, quàm quòd talia nullam sedem habent extra mentem &c.

EPISTOLA XXIX.

Viro Doctissimo, atque Expertissimo,

L. M. P. M. Q. D.

B. D. S.

Amice singularis,

DUas abs te accepi Epistolas, unam die 11 Januarii datam, & ab amico N. N. mihi traditam; alteram verò 26 die Martii, & ab amico, nescio quo, Leidâ missam. Pergratæ mihi ambæ fuerunt; præcipuè, ubi ex iis, omnia tua optimè se habere, teque mei sæpe memorem intellexi. Porrò pro tuâ erga me humanitate, & honore, quo semper me dignatus es afficere, maximas, quas debeo, ago gratias; simulque precor, ut me tibi non minùs addictum credas, quod semper datâ occasione, quantùm mea ferre poterit tenuitas, ostendere conabor. Atque hoc ut incipiam, ad id, quod in tuis Epistolis ex me quæris, respondere curabo. Petis autem, ut, quæ de Infinito excogitata habeam, tibi communicem, quod libentissimè faciam.

Quæstio de Infinito omnibus semper difficillima, imò inextricabilis visa fuit, propterea quòd non distinxerunt inter id, quod suâ naturâ, sive vi suæ definitionis sequitur esse infinitum; & id, quod nullos fines habet, non quidem vi suæ essentiæ; sed vi suæ causæ. Ac etiam, quia non distinxerunt inter id, quod infinitum dicitur, quia nullos habet fines; & id, cujus partes, quamvis ejus maximum & minimum habeamus, nullo tamen numero adæquare, & explicare possumus. Denique quia non distinxerunt inter id, quod solummodò intelligere, non verò imaginari; & inter id, quod etiam imaginari possumus. Ad hæc, inquam, si attendissent, nunquam tam ingenti difficultatum turbâ obruti fuissent.

ſent. Clarè enim tum intellexiſſent, quale Infinitum in nullas partes dividí, ſeu nullas partes habere poteſt; quale verò contrà, idque ſine contradictione. Porrò etiam intellexiſſent, quale Infinitum majus alio Infinito ſine ullâ implicantiâ; quale verò non item concipi poteſt; quod ex mox dicendis clarè apparebit.

Verùm priùs hæc quatuor paucis exponam, videlicet Subſtantiam, Modum, Æternitatem, & Durationem. Quæ circa Subſtantiam conſiderari velim, ſunt. Primò, Quòd ad ejus eſſentiam pertinet exiſtentia, hoc eſt, quòd ex ſolâ ejus eſſentiâ, & definitione ſequatur eam exiſtere; quod, niſi me mea fallit memoria, antehac tibi vivâ voce abſque ope aliarum Propoſitionum demonſtravi. Secundum, & quod ex hoc primo ſequitur, eſt, quòd Subſtantia non multiplex; ſed unica duntaxat ejuſdem naturæ exiſtat. Tertium denique, quòd omnis Subſtantia non niſi infinita poſſit intelligi. Subſtantiæ verò Affectiones Modos voco, quorum definitio, quatenus non eſt ipſa Subſtantiæ definitio, nullam exiſtentiam involvere poteſt. Quapropter, quamvis exiſtant, eos ut non exiſtentes concipere poſſumus: ex quo porrò ſequitur, nos, ubi ad ſolam modorum eſſentiam; non verò ad ordinem totius Naturæ attendimus, non poſſe concludere ex eo, quòd jam exiſtant, ipſos poſtea exſtituros, aut non exſtituros, vel antea exſtitiſſe, aut non exſtitiſſe. Unde clarè apparet, nos exiſtentiam Subſtantiæ toto genere à Modorum exiſtentiâ diverſam concipere. Ex quo oritur differentia inter Æternitatem, & Durationem; per Durationem enim Modorum tantùm exiſtentiam explicare poſſumus; Subſtantiæ verò per Æternitatem, hoc eſt, infinitam exiſtendi, ſive, invitâ latinitate, eſſendi fruitionem.

Ex quibus omnibus clarè conſtat, nos Modorum exiſtentiam & Durationem, ubi, ut ſæpiſſime fit, ad ſolam eorum eſſentiam; non verò ad ordinem Naturæ attendimus, ad libitum, & quidem propterea nullatenus, quem eorum habemus conceptum, deſtruendo, determinare, majorem minoremque concipere, atque in partes dividere poſſe: Æternitatem verò, & Subſtantiam, quandoquidem non niſi infinitæ concipi poſſunt, nihil eorum pati poſſe; niſi ſimul eorum conceptum deſtruamus. Quare ii prorſus gar-

garriunt, ne dicam insaniunt, qui Substantiam Extensam ex partibus, sive corporibus ab invicem realiter distinctis conflatam esse putant. Perinde enim est, ac si quis ex solâ additione, & coacervatione multorum circulorum quadratum, aut triangulum, aut quid aliud, totâ essentiâ diversum, conflare studeat. Quare omnis illa farrago argumentorum, quibus Substantiam Extensiam finitam esse ostendere Philosophi vulgò moliuntur, suâ sponte ruit: Omnia enim illa Substantiam corpoream ex partibus conflatam supponunt. Ad eundem etiam modum alii, qui postquam sibi persuaserunt, lineam ex punctis componi, multa invenire potuerunt argumenta, quibus ostenderent lineam non esse in infinitum divisibilem.

Si tamen quæras, cur naturæ impulsu adeò propensi simus ad dividendam substantiam extensam: ad id respondeo, quòd quantitas duobus modis à nobis concipiatur; abstractè scilicet, sive superficialiter, prout ope sensuum eam in imaginatione habemus; vel ut substantia, quod non nisi à solo intellectu fit. Itaque si ad quantitatem, prout est in imaginatione, attendimus, quod sæpissime, & facilius fit, ea divisibilis, finita, ex partibus composita, & multiplex reperietur. Sin ad eandem, prout est in intellectu, attendamus, & res, ut in se est, percipiatur, quod difficillime fit, tum, ut satis antehac tibi demonstravi, infinita, indivisibilis, & unica reperietur.

Porrò ex eò, quòd Durationem, & Quantitatem pro libitu determinare possumus, ubi scilicet hanc à Substantiâ abstractam concipimus, & illam à modo, quo à rebus æternis fluit, separamus, oritur Tempus, & Mensura; Tempus nempe ad Durationem; Mensura ad Quantitatem tali modo determinandam, ut, quoad fieri potest, eas facilè imaginemur. Deinde ex eo, quòd Affectiones Substantiæ ab ipsâ Substantiâ separamus, & ad classes, ut eas quoad fieri potest, facilè imaginemur, redigimus, oritur Numerus, quo ipsas determinamus. Ex quibus clarè videre est, Mensuram, Tempus, & Numerum nihil esse præter cogitandi, seu potiùs imaginandi Modos. Quare non mirum est, quòd omnes, qui similibus Notionibus, & quidem præterea malè intellectis, pro-


greſſum Naturæ intelligere conati ſunt, adeò mirificè ſe intricârint, ut tandem ſe extricare nequiverint, niſi omnia perrumpendo, & abſurda etiam abſurdiſſima admittendo. Nam cùm multa ſint, quæ nequaquam imaginatione; ſed ſolo intellectu aſſequi poſſumus, qualia ſunt Subſtantia, Æternitas, & alia. Si quis talia ejuſmodi Notionibus, quæ duntaxat auxilia Imaginationis ſunt, explicare conatur: nihilo plus agit, quàm ſi det operam, ut ſuâ imaginatione inſaniat. Neque etiam ipſi Subſtantiæ Modi, ſi cum ejusmodi Entibus rationis, ſeu imaginationis auxiliis confundantur, unquam rectè intelligi poterunt. Nam cùm id facimus, eos à Subſtantiâ, & modo, quo ab æternitate fluunt, ſeparamus; ſine quibus tamen rectè intelligi nequeunt.

Quod ut adhuc clariùs videas, cape hoc exemplum: nempe, ubi quis Durationem abſtractè conceperit, eamque cum Tempore confundendo in partes dividere inceperit, nunquam poterit intelligere, quâ ratione hora ex. grat. tranſire poſſit. Nam ut hora tranſeat, neceſſe erit, ejus dimidium priùs tranſire, & poſtea dimidium reliqui, & deinde dimidium, quod hujus reliqui ſuperest; & ſi ſic porrò infinitè dimidium à reliquo ſubtrahas, nunquam ad finem horæ pervenire poteris. Quare multi, qui Entia rationis à realibus diſtinguere aſſueti non ſunt, Durationem ex momentis componi, auſi ſunt aſſeverare, & ſic in Scyllam inciderunt cupientes vitare Charybdim. Idem enim eſt Durationem ex momentis componere, quàm Numerum ex ſolâ nullitatum additione.

Porrò cùm ex modò dictis ſatis pateat, nec Numerum, nec Menſuram, nec Tempus, quandoquidem non niſi auxilia imaginationis ſunt, poſſe eſſe infinitos: Nam aliàs Numerus non eſſet numerus, nec Menſura menſura, nec Tempus tempus. Hinc clarè videre eſt, cur multi, qui hæc tria cum rebus ipſis confundebant, propterea quòd veram rerum naturam ignorabant, Infinitum actu negârunt. Sed quàm miſerè ratiocinati ſint, judicent Mathematici, quibus hujus farinæ Argumenta nullam moram injicere potuerunt in rebus, ab ipſis clarè, diſtinctéque perceptis. Nam præterquam quòd multa invenerunt, quæ nullo Numero explicari poſſunt;

quòd

quòd ſatis numerorum defectum ad omnia determinandum patefacit: multa etiam habent, quæ nullo numero adæquari poſſunt; ſed omnem, qui dari poteſt, numerum ſuperant. Nec tamen concludunt, talia omnem numerum ſuperare ex partium multitudine; ſed ex eo, quod rei natura non ſine manifeſtâ contradictione numerum pati poteſt, ut ex. grat. omnes inæqualitates ſpatii duobus



circulis A B, & C D, interpoſiti, omneſque variationes, quas materia, in eo mota, pati debeat, omnem numerum ſuperant. Idque non concluditur, ex nimiâ ſpatii interpoſiti magnitudine: Nam quantumvis parvam ejus portionem capiamus, hujus tamen parvæ portionis inæqualitates omnem numerum ſuperabunt. Neque etiam idcircò concluditur, ut in aliis contingit, quòd ejus maximum, & minimum non habeamus: utrumque enim in hoc noſtro exemplo habemus, maximum nempe A B, minimum verò C D: Sed ex eo tantùm concluditur, quòd natura ſpatii inter duos circulos, diverſa centra habentes, interpoſiti nihil tale pati poſſit. Ideoque ſiquis omnes illas inæqualitates certo aliquo numero determinare velit, ſimul efficere debebit, ut circulus non ſit circulus.

Sic etiam, ut ad noſtrum propoſitum revertar, ſi quis omnes materiæ motûs, qui hucuſque fuerunt, determinare volet, eos ſcilicet, eorumque Durationem ad certum numerum, & tempus redigendo; is certè nihil aliud conabitur, quàm Subſtantiam corpoream, quam non niſi exiſtentem concipere poſſumus, ſuis Affectionibus privare, &, ut naturam, quam habet, non habeat, efficere. Quæ clarè demonſtrare hîc poſſem, ut & alia multa, quæ in hâc Epiſtolâ attigi, niſi id ſuperfluum judicarem.

Ex omnibus jam dictis clarè videre eſt, quædam ſuâ naturâ eſſe infinita, nec ullo modo finita concipi poſſe; quædam verò vi caûſæ, cui inhærent, quæ tamen, ubi abſtractè concipiuntur, in partes poſſunt dividi, & ut finita ſpectari; quædam denique infinita, vel, ſi mavis, indefinita dici, propterea quòd nullo numero adæquari queant, quæ tamen majora, & minora poſſunt concipi; quia non ſequitur, illa neceſſariò debere eſſe æqualia, quæ numero

adæquari nequeunt, ut ex allato exemplo, & aliis multis ſatis eſt manifeſtum.

Denique cauſas errorum, & confuſionum, quæ circa Quæſtionem de Infinito ortæ ſunt, breviter ob oculos poſui, eaſque, ni fallor, ità explicui omnes, ut non putem ullam ſupereſſe circa Infinitum Quæſtionem, quam hic non attigi, aut quæ ex dictis facillimè ſolvi non queat. Quare in his te detinere diutiùs, operæ pretiuum eſſe non judico.

Verùm hîc obiter adhuc notari velim, quòd Peripatetici recentiores, ut quidem puto, malè intellexerunt demonſtrationem Veterum, quâ oſtendere nitebantur Dei exiſtentiam. Nam, ut ipſam apud Judæum quendam Rab Ghaſdaj vocatum, reperio, ſic ſonat. Si datur progreſſus cauſarum in infinitum, erunt omnia, quæ ſunt, etiam cauſata: Atque nulli, quod cauſatum eſt, competit, vi ſuæ naturæ neceſſariò exiſtere: Ergo nihil eſt in naturâ ad cujus eſſentiam pertinet neceſſariò exiſtere. Sed hoc eſt abſurdum: ergo & illud. Quare vis argumenti non in eo ſita eſt, quòd impoſſibile ſit, dari actu Infinitum, aut progreſſus cauſarum in infinitum: Sed tantùm in eo, quòd ſupponatur, res, quæ ſuâ naturâ non neceſſariò exiſtunt, non determinari ad exiſtendum à re ſuâ naturâ neceſſariò exiſtenti.

Tranſirem jam, quia tempus me feſtinare cogit, ad ſecundam tuam Epiſtolam: ſed ad ea, quæ iſthâc continentur, commodiùs, cum dignatus fueris me inviſere, reſpondere potero. Quæſo itaque, ſi fieri poteſt, ut quàmprimùm venias; nam tempus migrandi feſtinanter accedit. Tantum eſt. Vale, meique memor vive, qui ſum, &c.

EPISTOLA XXX.

Viro Doctissimo ac Prudentissimo

PETRO BALLING

B. D. S.

Versio.

Dilecte Amice,

POstrema tua, 26. elapsi mensis, ni fallor, scripta, rectè ad meas manus pervenit. Non exigua me ea tristitiâ, ac sollicitudine affecit, licet eadem valdè decreverit, ubi tuam prudentiam, & animi fortitudinem perpendo, quibus fortunæ, vel potiùs opinionis incommoda eo tempore, quo validissimis te oppugnant armis, contemnere nôsti. Mea tamen indies accrescit sollicitudo; & propterea per nostram ego te amicitiam oro, atque obsecro, ne multis ad me scribere tibi grave sit. Quantum omina, quorum mentionem facis, attinet, nempe quòd infante tuo adhuc sano, & valente tales gemitûs audiveris, quales edebat quum ægrotabat, & paulò post fatis concedebat; Existimarem ego, hanc verum non fuisse gemitum, sed non nisi tuam imaginationem; quia ais, quòd, quum te levabas, &, ut audires, te componebas, tam clarè eos non audiveris, quàm antea, vel postea, quum in somnum relapsus fueris. Profectò hoc ostendit, eos gemitûs non nisi meram fuisse imaginationem, quæ soluta, & libera certos gemitûs efficaciùs, & vividiùs imaginari potuit, quàm eo tempore, quo te erigebas, ut ad certum locum auditum dirigeres. Quod hîc dico, alio casu, qui mihi elapsâ hieme Rhenoburgi accidit, confirmare, simulque explicare possum. Quum quodam mane, lucescente jam cœlo, ex somnio gravissimo evigilarem, imagines, quæ mihi in somnio occurrerant, tam vividè ob oculos versabantur, ac si res fuissent veræ, & præsertim cujusdam nigri, & scabiosi Brasiliani, quem nun-

nunquam antea videram. Hæc imago partem maximam diſparebat, quando, ut me aliâ re oblectarem, oculos in librum, vel aliud quid defigebam: quamprimùm verò oculos à tali objecto rurſus avertebam, ſine attentione in aliquid oculos defigendo, mihi eadem ejuſdem Æthiopis imago eâdem vividitate, & per vices, apparebat, donec paulatim circa caput diſpareret. Dico, idem, quod mihi in ſenſu meo interno viſûs occurrit, in tuo occurriſſe auditu. Sed quoniam cauſa longè diverſa fuit, caſus tuus, non verò meus omen fuit. Ex eo, quod jam narrabo, res clarè deprehendetur. Effectûs imaginationis ex conſtitutione vel Corporis, vel Mentis oriuntur. Hoc, ut omnem evitem prolixitatem, impræſentiarum ſolâ experientiâ probo. Experimur febres, aliaſque corporeas alterationes deliriorum cauſas eſſe, & eos, qui tenacem habent ſanguinem, nihil aliud, quàm rixas, moleſtias, cædes, hisque ſimilia imaginari. Videmus etiam imaginationem tantummodò ab animæ conſtitutione determinari; quandoquidem, ut experimur, intellectûs veſtigia in omnibus ſequitur, & ſuas imagines, ac verba ex ordine, ſicuti ſuas demonſtrationes intellectus, concatenat, & invicem connectit; adeò ut ferè nihil poſſimus intelligere, de quo imaginatio non aliquam è veſtigio formet imaginem. Hoc cùm ita ſit, dico, omnes imaginationis effectûs, quæ à corporeis cauſis procedunt, nunquam rerum futurarum poſſe eſſe *omina*; quia eorundem cauſæ nullas res futuras involvunt. Sed verò imaginationis effectûs, vel imagines, quæ originem ſuam ab Mentis conſtitutione ducunt, poſſunt alicujus rei futuræ eſſe *omina*; quia Mens aliquid, quod futurum eſt, confuſè poteſt præſentire. Quare id adeò firmiter, & vividè poteſt ſibi imaginari, ac ſi ejusmodi res eſſet præſens; nempe, pater (ut tui ſimile adducam exemplum) adeò filium ſuum amat, ut is, & dilectus filius quaſi unus, idemque ſint. Et quoniam (juxta id, quod aliâ occaſione demonſtravi) filii eſſentiæ affectionum, & quæ inde ſequuntur, neceſſariò in Cogitatione dari debet idea, & pater, ob unionem, quam cum filio ſuo habet, pars memorati filii eſt, etiam neceſſariò patris anima de eſſentiâ ideali filii, & ejuſdem affectionibus, & iis, quæ inde ſequuntur, participare debet, ut alibi

pro-

prolixiùs demonſtravi. Porrò, quoniam patris anima idealiter de iis, quæ eſſentiam filii conſequuntur, participat, ille (ut dixi) poteſt interdum aliquid ex iis, quæ ejus eſſentiam conſequuntur, tam vividè imaginari, ac ſi id coram ſe haberet, ſi nimirum ſequentes concurrunt conditiones. I. Si caſus, qui filio in vitæ decurſu accidet, notabilis erit. II. Si talis erit, quem facillimè imaginari poſſumus. III. Si tempus, quo hic continget caſus, non admodùm remotum eſt. IV. Denique ſi corpus bene conſtitutum eſt, non tantùm quod ſanitatem ſpectat; ſed etiam ſi liberum, & omnibus curis & negotiis vacuum eſt, quæ externè ſenſûs turbant. Huic rei inſervire quoque poteſt, quòd ea cogitemus, quæ ut plurimum his ſimiles excitant ideas. Exempli gratiâ; ſi, interea dum cum hoc, illove loquimur, gemitûs audimus, plerumque fiet, ut, ubi de eodem homine iterum cogitamus, ii gemitus, quos auribus percipiebamus, quum cum ipſo loquebamur, in memoriam ſint venturi. Hæc, amice dilecte, mea de tuâ Quæſtione eſt ſententia. Breviſſimus, fateor, fui; ſed deditâ operâ, ut materiam primâ quâvis occaſione ad me ſcribendi tibi ſuppeditarem. &c.

Voorburgi, 20 Julii 1664.

EPISTOLA XXXI.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

GUILIELMUS de BLYENBERGH.

Verſio.

Mi Domine, & Amice ignote,

JAm ſæpiusculè tuum Tractatum, unà cum ejus Appendice, nuper in lucem editum, attentè evolvi. Magis me decebit, ut

aliis, quam tibi narrem ſummam, quam in eo reperi, ſoliditatem, & quam inde percepi voluptatem : id tamen reticere nequeo, quòd, quò frequentius cum attentione eum percurro, eò magis mihi placeat, & continuò aliquid obſervem, quod antea non animadverteram. Verumenimverò (ne hâc in Epiſtolâ Adulator videar) nolo ejus Auctorem nimiùm admirari : Novi, Deos omnia laboribus vendere. Ne autem te in admiratione nimis diu detineam, quis ſit, & qui fiat, ut tibi ignotus tantâ ad te ſcribendi libertate utatur, dicam tibi, eum eſſe, qui deſiderio puræ, & ſinceræ veritatis impulſus, in brevi hâc & fragili vitâ pedes ſuos in ſcientiâ, quantum humanum noſtrum patitur ingenium, figere ſtudet : quique nullum alium, ad indagandum veritatem, ſcopum ſibi præfixit, quàm ipſam veritatem : quique ſcientiâ nec honores, nec divitias ; ſed meram veritatem, tranquillitatemque, tanquam veritatis effectum, ſibi acquirere conatur : & qui ex omnibus veritatibus, ac ſcientiis, nullis magis, quam Metaphyſicis, ſi non omnibus, ſaltem aliquâ earum parte ſe oblectat : & qui omnem ſuam vitæ delectationem in eo collocat, ut horas otioſas, & ſubciſivas in iis tranſigat. Verùm nec quivis adeò beatus eſt, nec tantum adhibet ſtudium, quantum mihi perſuadeo, te adhibuiſſe, & propterea quivis eò perfectionis non pervenit, quò te jam perveniſſe, ex opere tuo perſpicio. Verbo ut abſolvam, is ipſe eſt, quem familiariùs cognoſcere tibi licebit, ſi eum tibi tantopere devincire placeat, ut aperias, & quaſi perfores hærentes ejus cogitationes.

Sed ad Tractatum tuum redeo. Quemadmodum inibi multa inveni, quæ ſummoperè palato arridebant, ità etiam quædam obtulerunt ſeſe, concóctu difficilia, quæque mihi tibi ignoto ità objicere haud æquum foret, eóque magis, quòd grata, nec ne hæc ſint futura, me latet : & hæc eſt cauſa, cur hæc præmittam, & rogem, an liceat, ſi his veſperis Hiemalibus tempus ſuperfuerit, tibique placuerit, ad meas difficultates, quæ mihi in libro tuo adhuc reſtant, reſpondere, nonnullas earum transmittere ; hâc tamen lege, & obteſtatione, ne ego rei magis neceſſariæ, tibique magis acceptæ impedimento ſim : quoniam nihil intenſiùs, juxta promiſſa in libro tuo facta, quàm latiorem opinionum tuarum.

rum explicationem, ac editionem desidero. Ipse id, quod tandem calamo, & chartæ credo, coram salute impertitâ, præstitissem; quia verò primò tuum hospitium mihi ignotum erat, dein morbus contagiosus, & denique munus meum impediebant, hoc ipsum in aliud, ac aliud tempus dilatum est.

Ne verò hæc epistola planè sit vacua, & quia simul spe ducor, non tibi fore ingratum, unicum tantùm tibi proponam: nempe, te passim tam in Principiis, quàm in Cogitatis Metaphysicis statuere, sive ut propriam sententiam, sive ut Cartesium, cujus Philosophiam docebas, explicares, creare, & conservare unum & idem esse, (quod per se adeò clarum est iis, qui eò suas cogitationes direxerunt, ut etiam prima sit notio) & Deum non modò Substantias; sed etiam motum in Substantiis creâsse, hoc est, Deum non solùm Substantias in statu suo continuâ creatione; verùm etiam earundem motum, ac conatum conservare. Deus, verbi causâ, non tantùm efficit, ut anima, immediatâ Dei voluntate, atque operatione (perinde est, quomodò id nomines) diutiùs existat, inque suo perseveret statu; verùm etiam causa est, ut tali modo sese ad animæ motum habeat: hoc est, quemadmodum continua Dei creatio efficit, ut res diutiùs existant, ità quoque conatus, vel rerum motus per eandem causam fit in rebus; quandoquidem extra Deum nulla motûs datur causa. Sequitur igitur, Deum non tantùm causam esse Substantiæ Mentis, sed etiam cujuscunque conatûs, vel motûs Mentis, quem voluntatem nuncupamus, veluti passim statuis: ex quâ assertione etiam necessariò sequi videtur, vel nil mali in motu, sive mentis voluntate esse, vel Deum ipsum illud malum immediatè operari. Nam ea quoque, quæ mala appellamus, per animam, & consequenter per ejusmodi immediatum influxum, & Dei concursum fiunt. Exempli gratiâ, Anima Adami vult edere de fructu prohibito, efficitur ergo, juxta superiùs tradita; non tantùm ut illa Adami voluntas per Dei influxum velit; sed etiam, quemadmodùm statim ostendetur, ut tali modo velit; adeò ut ille Adami prohibitus actus, quatenus Deus non modò voluntatem ejus movebat, sed & quatenus eam tali modo movebat, vel in se non sit malus, vel ut Deus ipse illud operari videatur, quod nos malum vocamus.

Nec aut tu aut D. Carteſius hunc nodum ſolvere videris, dicendo malum eſſe *Non Ens*, cum quo Deus non concurrit: unde enim voluntas edendi, aut voluntas Diabolorum ad ſuperbiam procedebat? Nam quoniam voluntas (ut rectè animadvertis) non ſit diverſum quid ab ipſâ Mente; ſed ſit hic, aut ille motus, vel Mentis conatus, tam ad hanc, quàm ad illam motionem concurſu Dei ei opus erit; jam verò Dei concurſus, ut ex ſcriptis tuis intelligo, nihil aliud eſt, quàm rem per ſuam voluntatem hoc, vel illo pacto determinare: ſequitur, ergo Deum æquè cum malâ voluntate, quatenus mala eſt, ac cum bonâ, quatenus bona eſt, concurrere, hoc eſt, eam determinare. Nam voluntas Dei, quæ cauſa abſoluta eſt omnium, quæ exiſtunt tam in ſubſtantiâ, quàm in conatu, videtur etiam prima cauſa eſſe malæ voluntatis, quatenus mala eſt. Deinde nulla in nobis fit voluntatis determinatio, quin Deus eam ab æterno ſciverit; alioquin, ſi neſciverit, in Deo imperfectionem ſtatuimus; ſed quî Deus illam aliter ſciverit, quàm ex ſuis Decretis? Sunt igitur ejus Decreta noſtrarum determinationum cauſa; & ità rurſum ſequi videtur, malam voluntatem vel non eſſe malum quid, vel Deum illius mali cauſam eſſe immediatam, & id operari. Neque hîc Diſtinctio Theologorum de differentiâ inter actum, & malum actui adhærens locum habere poteſt: nam Deus cùm actum, tum modum actûs decrevit, hoc eſt, Deus non ſolummodò decrevit, ut Adamus ederet, verùm etiam ut neceſſariò contra mandatum ederet. Adeò ut iterum ſequi videatur, vel τὸ edere Adami adverſus præceptum non eſſe malum, vel Deum ipſum illud operari.

Hæc ſunt, Vir Clariſſime, quæ in præſentiâ in Tractatu tuo percipere nequeo: extrema namque utrinque ſtatuere durum eſt. Tale autem reſponſum à perſpicaci tuo judicio & induſtriâ, quod mihi faciat ſatis, exſpecto, & ſpero me ſequentibus meis oſtenſurum, quantum tibi propterea debeam. Certò tibi, Vir Clar. perſuadeas, me hæc nullâ aliâ de cauſâ, quàm ſtudio veritatis quærere: liber ſum, nulli adſtrictus profeſſioni, honeſtis mercaturis me alo, & tempus, quod mihi reliquum eſt, hiſce rebus impendo. Submiſſè quoque rogo, ut meæ difficultates tibi non ſint ingratæ; ſi ad

haſce

haſce reſpondere animus eſt, id quod ardentiſſimè cupio, ſcribe ad, &c.

GUIL. de BLYENBERGH.

Dordraci 12. Decemb. 1664.

EPISTOLA XXXII.

Viro Doctiſſimo, ac Prudentiſſimo

GUILIELMO de BLYENBERGH

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Amice Ignote,

EPiſtolam tuam 12. Decembris datam, & in aliâ incluſam, ſcriptâ 24. ejuſdem menſis, 26. Schiedami demum accepi; unde intenſum tuum veritatis amorem, eamque ſolummodò omnium ſtudiorum tuorum ſcopum eſſe, intelligebam: quod me, qui etiam in nihil aliud animum intendo, ut concluderem coëgit, non tantùm tuam petitionem, nempe ut ad tuas, quas jam mittis, & impoſterum mittes Quæſtiones, pro viribus mei intellectûs reſponderem, plenè concedere; verùm omnia quoque pro meâ parte conferre, quæ ulteriori notitiæ, ſinceræque amicitiæ inſervire queunt. Quantum enim ad me attinet: Nullas ex omnibus rebus, quæ in poteſtate meâ non ſunt, pluris facio, quàm cum Viris veritatem ſincerè amantibus fœdus inire amicitiæ; quia credo, nos nihil omninò in mundo, quod noſtræ poteſtatis non eſt, tranquilliùs, quàm iſtiuſmodi homines, poſſe amare; quoniam tam impoſſibile eſt amorem diſſolvere, quem ii erga invicem habent, eò

quòd amore, quem unusquisque erga veritatis cognitionem habet, fundatus est, quàm ipsam veritatem semel perceptam non amplecti. Est insuper summus, ac gratissimus, quæ in rebus, quæ nostri arbitrii non sunt, dari potest; quandoquidem nulla res, præter veritatem, diversos sensûs, & animos penitùs unire valet. Taceo maximas utilitates, quæ inde fluunt, ut rebus, quas procul dubio ipse nôsti, diutiùs te non detineam, quod tamen huc usquè feci, quò eò meliùs ostenderem, quàm gratum mihi, & imposterum futurum sit, occasionem nancisci ad meum tibi officium præstandum.

Ut autem præsentem captem, propiùs accedam, & ad Quæstionem tuam respondebo, quæ in eo vertitur cardine, nimirùm; Quòd clarè videatur sequi, tam ex Dei Providentiâ, quæ ab ejus Voluntate non differt, quàm ex Dei Concursu, rerumque Creatione continuâ, vel nulla dari peccata, nullumve malum, vel Deum ea peccata, atque illud malum efficere. Verùm non explicas, quid per malum intelligas, & quantum ex exemplo de determinatâ voluntate Adami perspicere licet, videris per malum intelligere ipsam voluntatem, quatenus tali modo determinata concipieretur, vel quatenus Dei mandato repugnaret, & propterea ais, magnam esse absurditatem (ut & ego, si se ità res haberet) alterutrum horum statuere, nempe, Deum ipsum res, quæ contra suam voluntatem sunt, operari, vel eas bonas fore, licet voluntati Dei repugnarent. Quoad me, non possum concedere peccata, & malum quid positivum esse, multò minùs, aliquid esse, aut fieri contra Dei voluntatem. Econtrà dico, non solùm peccata non esse quid positivum; verùm etiam affirmo, nos non nisi impropriè, vel humano more loquendo dicere posse, nos erga Deum peccare, ut cum dicimus, homines Deum offendere.

Nam, primum quod spectat, novimus quicquid est, in se consideratum sine respectu ad aliud quid, perfectionem includere, quæ sese eò usque in quâcunque re extendit, quò se extendit ipsa rei essentia: nam essentia etiam nihil aliud est. Sumo, exempli gratiâ, consilium, sive determinatam Adami voluntatem ad edendum de fructu prohibito: hoc consilium, sive illa determinata

nata voluntas in se solâ considerată tantum perfectionis includit, quantum realitatis exprimit; & hoc inde intelligi potest, nempe, quòd in rebus nullam imperfectionem possimus concipere, nisi ad alias res attendamus, quæ plus habent realitatis; & propterea in Adami decreto, quando illud in se consideramus, nec cum aliis perfectioribus, perfectioremve statum ostendentibus, comparamus, nullam poterimus invenire imperfectionem; imò cum infinitis aliis comparare respectu illius longè perfectioribus, uti lapidibus, truncis, &c. licet. Et hoc quivis reverâ quoque concedit: nam quilibet res, quas in hominibus detestatur, cumque aversione contemplatur, in animalibus cum admiratione intuetur, uti apum bella, atque columbarum zelotypiam, &c. quæ in hominibus spernuntur, & nihilominùs ob ea animalia perfectiora judicamus. Hæc cùm ita sint, clarè sequitur, peccata, quandoquidem ea nil nisi imperfectionem indicant, non posse in aliquo consistere, quod realitatem exprimit, sicuti Adami decreto, ejusque executione.

Præterea, neque dicere vălemus, Adami voluntatem cum Lege Dei pugnare, ac ideò illam esse malam, quia Deo displiceret: nam, præterquam quòd magnam in Deo poneret imperfectionem, si quicquam contra ejus Voluntatem fieret, sique quid desideraret, cujus compos non fieret, ejusque natura tali modo determinata esset, ut, quemadmodum creaturæ, cum his Sympathiam, cum illis Antipathiam haberet; etiam omninò cum voluntate Divinæ naturæ pugnaret, quia enim illa ab ejus intellectu non discrepat, impossibile æquè est, aliquid fieri contra ejus Voluntatem, ac contra ejus Intellectum, hoc est, id, quod contra ejus Voluntatem fieret, talis deberet esse naturæ, ut ejus etiam intellectui repugnaret, ut Quadratum Rotundum. Quandoquidem ergo voluntas, decretumve Adami, in se spectatum, nec malum, nec quoque propriè loquendo contra Dei Voluntatem erat; sequitur Deum ejus causam posse, immò, juxta eam rationem, quam animadvertis, debere esse; non verò quatenus malum erat: nam malum, quod in eo erat, non erat aliud, quàm privationis status, quem propter illud opus Adamus amittere debebat, & certum est,

Pri-

Privationem non esse quid positivum, eamque respectu nostri, non verò Dei intellectûs ità nominari. Hoc autem hinc oritur, quia cuncta ejusdem generis singularia, ea omnia, verbi gratiâ, quæ externam hominum figuram habent, unâ eâdemque Definitione exprimimus, & idcircò judicamus, ea omnia æquè apta esse ad summam perfectionem, quam ex ejusmodi Definitione deducere possumus; quando autem unum invenimus, cujus opera cum istâ pugnant perfectione, tunc id eâ privatum esse judicamus, & à suâ naturâ aberrare, quod haud faceremus, si id ad ejusmodi definitionem non retulissemus, talemque ei naturam affinxissemus. Quoniam verò Deus res nec abstractè novit, nec id genus generales format definitiones, nec plus realitatis rebus competit, quàm iis Divinus intellectus, & potentia immisit, & reverâ tribuit, manifestò sequitur, privationem istam solummodò respectu nostri intellectûs, non verò respectu Dei dici posse.

Hisce, mihi ut videtur, Quæstio penitùs soluta est. Ut verò viam magis planam reddam, omnemque scrupulum evellam, necesse habeo, ad has duas sequentes Quæstiones respondere, nempe primò, quare S. Scriptura dicat Deum flagitare, ut se improbi convertant, & etiam quare Adamo prohibuerit ex arbore non edere, cùm tamen contrarium concluisset. Secundò, quòd ex dictis meis sequi videatur, improbos superbiâ, avaritiâ, desperatione, &c. æquè Deum colere, ac probos generositate, patientiâ, amore, &c. propterea quòd Dei voluntatem exsequuntur.

Ad primum ut respondeam, dico Scripturam, quia plebi præcipuè convenit, & inservit, continuò humano more loqui: plebs etenim rebus sublimibus percipiendis inepta est; & hæc est ratio, cur mihi persuadeam ea omnia, quæ Deus Prophetis revelavit ad salutem esse necessaria, legum modo scribi; & hoc pacto integras Parabolas Prophetæ finxerunt, nempe primò Deum, quia salutis, & perditionis media revelârat, quorumque erat causa, instar Regis, ac Legislatoris adumbrârunt; media, quæ nil nisi causæ sunt, Leges appellârunt, & ad modum Legum conscripserunt; salutem, perditionemque, quæ nil nisi effectûs sunt, qui necessariò

ex

ex illis mediis fluunt, tanquam præmium, & pænam propoſuerunt, atque juxta hanc Parabolam magis, quàm juxta veritatem omnia ſua verba ordinârunt, Deumque ad inſtar hominis paſſim expreſſerunt, modò iratum, modò miſericordem, jam futura deſiderantem, jam zelò, & ſuſpicione captum, quin ab ipſo Diabolo deceptum; adeò ut Philoſophi, & ſimul omnes, qui ſunt ſupra Legem, hoc eſt, qui Virtutem, non ut Legem; ſed ex amore, quia præſtantiſſima eſt, ſequuntur, ejusmodi verbis non debeant offendi.

Edictum ergo Adamo factum in hôc ſolummodò conſiſtebat, nempe quòd Deus Adamo revelavit, מות edere ex illâ arbore mortem operari, quemadmodum & nobis per naturalem intellectum revelat, venenum eſſe mortiferum. Si verò roges, in quem finem hoc ei revelaret? reſponſum do, ut eum tantò ſcientiâ perfectiorem redderet. Deum ergo interrogare, quamobrem ipſi perfectiorem non dederit voluntatem, eſt æquè abſurdum, ac interrogare, cur circulo omnes globi proprietates non fuerit largitus, uti ex ſuprà dictis perſpicuè ſequitur, & ego Scholio Prop. 15. Partis primæ Princip. Carteſ. more Geometrico demonſtrat. demonſtravi.

Secundam difficultatem quod attinet, verum quidem eſt, impios Dei voluntatem ſuo modo exprimere; ideò tamen cum probis nullatenus ſunt comparandi: quò enim Res aliqua plus perfectionis habet, eò etiam magis de Deitate participat, Deique perfectionem exprimit magis. Quum ergo probi inæſtimabiliter plus perfectionis, quàm improbi habeant, virtus eorum cum improborum virtute comparari nequit, eò quòd improbi amore Divino, qui ex Dei profluit cognitione, & quo ſolo nos pro humano noſtro intellectu Dei ſervi dicimur, carent. Imò, quia Deum non cognoſcunt, non ſunt niſi inſtrumentum in manu Artificis, quod inſcium ſervit, & ſerviendo conſumitur; probi contrà conſcii ſerviunt, & ſerviendo perfectiores evadunt.

EPISTOLA XXXIII.

Clarissimo Viro

B. D. S.

GUILIELMUS de BLYENBERGH.

Responsio ad præcedentem.

Versio.

Mi Domine, & Charissime Amice,

UBi tua mihi primùm tradebatur epistola, eaque à me cursim evolvebatur, non tantùm statim respondere, sed & multa refutare animus erat. Verùm quò eam magis volvebam, eò minorem objectionum materiam inveniebam, & quantum desiderium legendi me ceperat, tantam legendo percepi voluptatem. Antequam verò ad postulatum accedam, ut nimirum quasdam difficultates solveres, imprimis sciendum est; me duas Generales habere Regulas, juxta quas semper studeo philosophari, prior Regula est clarus, & distinctus mei intellectûs conceptus, posterior est Verbum Dei revelatum, vel Dei voluntas. Juxta priorem amator veritatis, juxta utramque verò Christianus ut sim Philosophus conor; & siquando post longum accideret examen, ut naturalis mea cognitio vel videretur cum hoc Verbo pugnare, vel minùs benè cum eo convenire, tantum hoc Verbum apud me habet auctoritatis, ut conceptûs, quos claros esse mihi imaginor, mihi sint potiùs suspecti, quàm ut eos supra & contra illam veritatem, quam in illo libro mihi præscriptam puto, collocarem. Et quid mirum? nam constanter credere volo, illud Verbum esse Dei Verbum, hoc est, id provenisse à summo, & perfectissimo Deo, qui plures perfectiones includit, quàm ego capere possum; & fortè de se ipso, suisque operibus plures voluit perfectiones prædicare, quàm ego finito meo intellectu hodiè, hodie inquam, percipere queo: fieri enim

enim poteſt, ut memet operibus meis majoribus perfectionibus privârim ; & ideò, ſi fortè eâ præditus eſſem perfectione, quâ actionibus propriis privatus ſum, percipere poſſem omne id, quod in eo Verbo nobis proponitur, & docetur, cum ſaniſſimis meæ Mentis conceptibus congruere; verùm quia mihi ipſi ſuſpectus ſum, annon continuò errore memet meliore privaverim conditione, &, ut ſtatuis, Princ. Part. 1. Prop. 15. noſtra cognitione, licet clariſſima, adhuc imperfectionem includat; potiùs, etiam ſine ratione, ad illud Verbum inclino, hoc niſus fundamento, quòd à perfectiſſimo prodiit, (hoc quippe jam præſuppono, quia ejus probatio hîc non haberet locum, vel nimis longa foret) & propterea à me credi debet. Si jam ſolo ductu Regulæ meæ primæ, excluſâ ſecundâ, quaſi eam non haberem, aut ea non extaret, de tuâ Epiſtolâ judicarem, multa mihi eſſent concedenda, ut & concedo, ſubtileſque conceptûs tui eſſent ſuſpiciendi; ſecunda verò Regula longiùs à te me diſſentire cogit. Verùm pro Epiſtolæ modo ductu & hujus & illius regulæ aliquantò latius eos examinabo.

Primò, juxta primò poſitam Regulam, rogaveram, quia, ſecundum tuam poſitionem, creare, & conſervare unum, idemque erant, & quia Deus non tantùm res; ſed motûs quoque, & rerum modos in ſtatu ſuo perſeverare faciebat, hoc eſt, cum iis concurrebat; annon videretur ſequi, *nullum eſſe malum*, aut, *ipſum Deum malum operari*; hâc nixus regulâ, quòd nihil contra Dei voluntatem poteſt fieri, alioquin involveret imperfectionem, aut res, quas Deus operatur, (quibus etiam res, quas malas dicimus, comprehenſæ videntur) etiam deberent malæ eſſe. Verùm quia & hoc contradictionem includit, &, quocunque eam verterem modo, me à contradictione ſtatuendâ liberare non poſſem, propterea me ad te recipiebam, utpote optimum tuorum conceptuum interpretem. In reſponſione dicis, te perſiſtere in primâ ſententiâ, nempe nihil contra Dei voluntatem vel fieri, vel poſſe fieri: Verùm quum huic difficultati reſpondendum eſſet, annon igitur Deus nullum faciat malum, *negas peccatum quid poſitivum eſſe*, *addisque*, *non niſi valdè impropriè dici poſſe nos in Deum, peccare*; & Appendicis

Parte I. Cap. 6. dicis, *Malum absolutum nullum dari, ut per se est manifestum: Nam quicquid existit, in se consideratum, sine respectu ad aliud quid, perfectionem includit, quæ sese semper eò usque in quâcunque re extendit, quò se extendit ipsa rei essentia, & propterea evidenter sequitur, peccata, quia ea nihil nisi imperfectionem denotant, non posse in aliquo, quod essentiam exprimit, consistere.* Si peccatum, malum, error, vel quocunque id appelles nomine, nihil aliud est, quàm perfectiorem statum amittere, aut eo privari, utique sequi videtur, τὸ *existere* non quidem malum, aut imperfectionem esse; sed aliquod malum in re existente posse oriri. Nam perfectum per æquè perfectam actionem perfectiore statu non privabitur; sed quidem per id, quòd ad aliquod imperfectum, quia concessis nobis viribus abutimur, inclinamus. Hoc videris *non malum; sed bonum minus appellare, quia res in se consideratæ perfectionem includunt: deinde, quia rebus, ut ais, non plus essentiæ competit, quàm divinus intellectus, & potentia eis tribuit, & reverâ confert; & propterea non plus etiam existentiæ in actionibus suis ostendere, quam essentiæ accepere, possunt.* Nam si nec plures, nec pauciores possum edere operationes, quàm quantum essentiæ accepi, nulla perfectioris statûs privatio fingi potest: si enim nihil contra Dei voluntatem fit, & si solummodò tantum fit, quantum essentiæ collatum est, quâ viâ malum, quod melioris conditionis privationem nuncupas, excogitari potest? Quomodò quis per statutum adeò, & dependens opus perfectiorem statum amittere potis est? Adeò ut mihi persuadeam, Virum Clarissimum alterutrum debere statuere, vel aliquod esse malum, vel si minùs, nullam esse posse melioris statûs privationem: Nam nullum esse malum, & meliori conditione orbari contradictorium mihi videtur.

At dices, per perfectioris statûs privationem ad minus quidem bonum; sed non ad absolutum malum recidimus; sed (Append. Part. 1. Cap. 3.) me docuisti, non esse de verbis litigandum. Quare, an id absolutum, nec ne dicendum sit, jam non disputo; sed solùm, annon à meliori in pejorem statum delabi apud nos jure pejor status, aut status malus dicatur, & dici debeat. At regeres, malus

ille

ille ſtatus multum adhuc boni continet; ego verò interrogo, annon ille homo, qui per imprudentiam ſuam in cauſâ fuit, quòd perfectiore ſtatu orbatus eſt, & per conſequens nunc minor eſt, quàm antea fuit, malus vocari queat.

Ut autem antecedens ratiocinium, quia nonnullæ circa id ſuperſunt tibi difficultates, declines, affirmas *malum quidem eſſe, & in Adamo fuiſſe, verùm id non eſſe poſitivum quid, & reſpectu noſtri, non autem Dei intellectûs tale dici, noſtrique reſpectu* Privationem, (*ſed tantùm quatenus eo optimâ libertate, quæ ad noſtram naturam ſpectat, & in noſtrâ poteſtate eſt, noſmet ipſos privamus*) *Dei verò reſpectu* Negationem *eſſe*. Hîc autem examinemus, an illud, quod malum vocas, ſiquidem duntaxat noſtri reſpectu malum foret, malum non eſſet; deinde an malum, ut tu vis, acceptum, Dei reſpectu tantùm *Negatio* dici debeat.

Ad primum ſuprà aliquo modo videor reſpondiſſe: & quamvis concederem, minùs alio ente perfectum eſſe in me nullum ponere poſſe malum, eò quòd meliorem ſtatum à creatore flagitare nequeo, & tantùm efficere, ut meus ſtatus gradibus differat; non tamen ideò potero concedere, & fateri, ſi jam imperfectior ſum, quàm ante fui, eamque imperfectionem meâ culpâ mihi creavi, me eatenus tantò pejorem eſſe; ſi, inquam, meipſum, antequam in imperfectionem unquam incideram, conſidero, & me cum aliis tunc majore, quàm ego prædituſ perfectione, comparo, minor illa perfectio non malum; ſed ſecundum gradûs minus bonum erit: Si verò me ipſum, poſtquam perfectiore ſtatu excidi, eoque propriâ orbatus imprudentiâ, cum primâ meâ formâ, quâ ex manu mei Creatoris prodii, & perfectior eram, comparo, me eſſe deteriorem, quàm antea judicare debeo: nam non creator; ſed ego me ipſum eò redegi; vires enim mihi me ab errore præſervandi, uti & tu fateris, ſuppetebant.

Quod ſecundum ſpectat, nempe an malum, quod ſtatuis conſiſtere in melioris ſtatûs privatione, quem non tantùm Adamus; ſed & nos omnes ſubitâ, & inordinatâ nimis actione amiſimus, an illud, inquam, reſpectu Dei mera ſit *Negatio*. Ut hoc verò ſanâ mente examinemus, videndum nobis eſt, quomodò hominem

conſtituas & à Deo ante omnem errorem dependentem facias, & quomodò poſt errorem eundem hominem conſtituas. Ante errorem eum deſcribis, quòd non plus ipſi eſſentiæ competit, quàm quantum ei Divinus intellectus, & potentia tribuit, & reverâ confert, hoc eſt, (niſi à mente tuâ aberrem) quòd homo nec plus, nec minus perfectionis poteſt habere, quàm quantum eſſentiæ Deus in ipſo poſuit: hoc verò eſt hominem tali modo à Deo dependentem facere, quemadmodum elementa, lapides, herbas, &c. Si autem hæc tua ſit ſententia, quid ſibi velint verba Princip. P. 1. Prop. 15. non percipio. *Cum autem voluntas*, inquis, *libera ſit ad ſe determinandum: ſequitur nos poteſtatem habere facultatem aſſentiendi intra limites intellectûs continendi, ac proinde efficiendi, ne in errorem incidamus.* Annon videtur contradictio, voluntatem tam liberam, ut ſe ab errore poſſit præſervare, & unà à Deo dependentem facere, ut nec plus, nec minus perfectionis queat proferre, quàm quantum eſſentiæ Deus ipſi dedit? Ad ſecundum, nempe quomodò hominem conſtituis poſt errorem, dicis, hominem ſubitâ nimis actione, nimirum voluntatem non continendo intra intellectûs limites, ſeipſum perfectiore conditione privare: verùm mihi videtur, tibi & hîc, & in Principiis utraque hujus Privationis extrema propiùs fuiſſe explicanda, quid ante privationem poſſideret, quidque poſt amiſſionem perfecti iſtius ſtatûs (ut eum appellas) ſibi ſervaret. Dicitur quidem quid perdiderimus; ſed non quid retinuerimus Princ. Part. 1. Prop. 15. *Tota igitur imperfectio erroris in ſolâ optimæ libertatis privatione conſiſtet, quæ error vocatur.* Examinemus utcumque hoc ea ratione, quâ à te ſtatuitur. Statuis non ſolùm tam diverſos cogitandi modos in nobis dari, quorum alios volendi, aliosque intelligendi nuncupamus; ſed etiam inter eos talem eſſe ordinem, ut res non debeamus velle, antequam eas clarè intelligamus; affirmas etiam, quòd, ſi voluntatem noſtram intra limites intellectûs continemus, nunquam errabimus, & quòd denique in noſtrâ poteſtate eſt voluntatem intra limites intellectûs continere. Cùm hæc ſeriò mente agito, alterutrum ut verum ſit, neceſſum eſt; vel omne id, quod ponitur, eſt fictum, vel Deus eundem ordinem nobis impreſſit. Si impreſſit, an-

non

non abſurdum eſſet affirmare id ſine fine factum eſſe, Deumque, ut ullum ordinem obſervemus, & ſequamur, non exigere: nam illud in Deo contradictionem poneret. Et ſi ordinem in nobis poſitum debemus obſervare, quomodò adeò à Deo dependentes poſſumus & eſſe, & manere: ſi enim nemo nec plus, nec minus perfectionis habet, quàm quantum eſſentiæ accepit, & ſi hæc vis ex effectibus debeat cognoſci, ille, qui voluntatem ſuam ultra limites intellectus extendit, non tantum virium à Deo accepit, aliquin eas in effectum deduceret; & per conſequens is, qui errat, perfectionem non errandi à Deo non accepit, aliàs nunquam erraret. Nam ſecundùm te tantum eſſentiæ datum eſt, quantum perfectionis efficitur. Deinde ſi Deus nobis tantum eſſentiæ tribuit, ut eum obſervare queamus ordinem, ut tu nos eum poſſe ſervare affirmas, & ſi tantum perfectionis producimus, quantum eſſentiæ nacti ſumus, quî fit, ut eum transgrediamur, quî, ut eum poſſimus transgredi ordinem, utque voluntatem non ſemper intra limites intellectûs contineamus. Tertiò, ſi à Deo tantopere dependeo, ut ſuprà te ſtatuere oſtendi, ut nec intra, nec extra limites intellectûs voluntatem continere poſſim, niſi mihi Deus in anteceſſum tantum dederit eſſentiæ, & ſuâ voluntate priùs alterutrum determinaverit: quomodò ergo mihi, ſi hoc penitiùs conſideremus, voluntatis libertas uſu venire poteſt. Nonne in Deo contradictionem ponere videtur, nobis præſcribere ordinem noſtram voluntatem intra limites noſtri intellectûs continendi, & non præbere tantum eſſentiæ, vel perfectionum, ut eum obſervemus; & ſi, juxta tuam ſententiam, tantum perfectionis nobis conceſſit, nunquam profectò errare poſſemus: quantum enim eſſentiæ poſſidemus, tantum perfectionis producere oportet, ſemperque conceſſas vires in noſtris operationibus oſtendere: noſtri autem errores ſunt argumentum, nos ejuſmodi potentiam à Deo ità dependentem (ut ſtatuis) non poſſidere; adeò ut alterutrum verum eſſe debeat, vel nos non adeò à Deo dependere, vel nos in nobis potentiam non errandi non habere; at potentiam errandi habemus, prout ſtatuis. Ergo à Deo non adeò dependemus.

Ex dictis jam clarè patere videtur, impoſſibile eſſe, ut malum,

aut

aut meliori ſtatu privari reſpectu Dei eſſet Negatio. Quid enim ſignificat privari, aut perfectiorem ſtatum amittere? nonne eſt à majori ad minorem perfectionem, & per conſequens à majori ad minorem eſſentiam tranſire; & à Deo in certâ menſurâ perfectionis, & eſſentiæ collocari? nonne eſt velle, nos alium, præter ſui perfectam notitiam, non poſſe acquirere ſtatum, niſi aliter decreviſſet, ac voluiſſet? Fierine poteſt, ut illa creatura ab omniſcio, & ſummè perfecto Ente producta, quod voluit, ut talem eſſentiæ ſtatum retineret, imò, cum quâ Deus, ut eam in eo ſtatu retineret, continuò concurrit; ut, inquam, in eſſentiâ declinaret, hoc eſt, in perfectione præter Dei notitiam minor fieret? Hæc res abſurditatem involvere videtur. Annon abſurdum eſt dicere, Adamum perfectiorem amiſiſſe conditionem, & conſequenter ineptum fuiſſe ad eum ordinem, quem Deus in animâ ejus poſuerat, Deumque nullam habere notitiam, qualis, quantæque perfectionis Adamus jacturam fecerat? Poteſtne comprehendi, Deum Ens aliquod conſtituere ità dependens, ut non niſi ejusmodi opus produceret, & tum propter illud opus perfectiorem perderet ſtatum: (præterquam quòd ejus abſoluta eſſet cauſa) & tamen nullam ejus haberet notitiam? Concedo inter actum, & malum actui adhærens dari diſcrimen; ſed verò *Malum reſpectu Dei eſſe Negationem* ſuperat meum captum. Deum actum ſcire, eundem determinare, & cum eo concurrere, & tamen malum, quod in illo actu eſt, ejuſque exitum non cognoſcere, mihi in Deo impoſſibile videtur. Adverte mecum, Deum in actu meo progignendi cum uxore meâ concurrere: eſt enim poſitivum quid, & per conſequens claram ejus habet Deus ſcientiam; verùm quatenus eo actu abutor, & cum alterius uxore contra datam fidem, & jusjurandum meum rem habeo, illum actum malum comitatur. Quid jam hîc reſpectu Dei eſſet Negativum? non quòd actum progignendi faciam: quatenus etenim is poſitivus eſt, cum eodem Deus concurrit. Debet ergo iſtud malum, quod illum actum comitatur, tantummodò eſſe, quòd ego contra proprium fœdus, vel Dei mandatum cum alienâ congredior, cum quâ non licet. Jam verò, poteſtne capi, Deum noſtras ſcire actiones, cum iis concurrere, & tamen ignorare, quâ-

cum

cum illam actionem producimus, eò magis quòd Deus etiam cum illius fœminæ actione, cum quâ rem habebam, concurrit? Id de Deo ſentire durum videtur. Attende occidendi actum; quatenus eſt actus poſitivus, cum eo Deus concurrit; ſed verò iſtius actionis effectum, nempe alicujus Entis deſtructionem, & Dei creaturæ diſſolutionem anne ignoraret? quaſi proprium opus Deo foret incognitum. (Metuo ne mentem tuam benè percipiam: Conceptus quippe tui, quàm ut tam fœdum committas errorem, perſpicaciores ſunt) Fortaſſe inſtabis, eos actûs, prout eos pono, merè eſſe bonos, & nullum eos comitari malum; ſed tum, quid malum nuncupes, capere nequeo, quod perfectioris conditionis privationem ſequitur; & tum Mundus in æternâ, & perpetuâ poneretur confuſione, nosque beſtiis ſimiles redderemur. Vide quæſo, quam utilitatem ea ſententia mundo conferret.

Vulgarem hominis deſcriptionem rejicis, & unicuique homini tantum tribuis perfectionis, quantum Deus ipſi, ut operetur, largitus eſt. Sed eâ ratione mihi videris ſtatuere impios Deum æquè, ac pios, ſuis operibus colere: Quare? quia utrique perfectiora nequeunt producere opera, quàm quantum utriſque eſſentiæ datum eſt, & ſuis demonſtrant effectibus. Nec mihi Quæſtioni ſatisfacere in ſecundâ reſponſione videris, dicendo, *Quò res aliqua plùs perfectionis habet, eò etiam magis de Deitate participat, Deique perfectionem exprimit magis. Quum ergo probi inæſtimabiliter plus perfectionis, quàm improbi habeant, virtus eorum cum improborum virtute comparari nequit. Improbi, quia Deum non cognoſcunt, non ſunt niſi inſtrumentum in manu artificis, quod inſcium ſervit & ſerviendo conſumitur: Probi contrà conſcii ſerviunt, & ſerviendo perfectiores evadunt.* In utriſque tamen hoc verum eſt, eos amplius non poſſe operari; quantò etenim plus perfectionis hic præ illo efficit, tantò plus eſſentiæ unus præ alio accepit. Annon igitur exiguâ ſuâ perfectione impii æquè, ac pii, Deum colunt? Nam, ſecundùm tuam ſententiam, nihil amplius ab impiis Deus flagitat, alioquin plus eſſentiæ in eos contuliſſet; ſed verò plus eſſentiæ non dedit, uti ex effectibus liquet. Ergo amplius ab eis non petit. Et ſiquando unusquiſque in ſpecie, nec plus, nec minus, quàm Deus

vult, facit, cur is, qui parum operatur, ſed tamen tantum, quantum Deus ab ipſo exigit, Deo æquè, ac probus, non eſſet acceptus? Inſuper, quemadmodum per malum, quod actum comitatur, noſtrâ imprudentiâ, ex tuâ ſententiâ, perfectiorem perdimus ſtatum, ità & hîc videris ſtatuere, quòd, continendo voluntatem intra limites intellectûs, non tantùm adeò perfecti manemus, ac ſumus; ſed quòd præterea ſerviendo perfectiores evadimus; quod contradictionem involvere mihi perſuadeo, ſi modò tantopere à Deo dependemus, ut nec plus, nec minus perfectionis queamus efficere, quàm quantum eſſentiæ accepimus, hoc eſt, quàm Deus voluit, ut tunc per imprudentiam pejores, aut per prudentiam meliores fiamus. Adeò ut nihil aliud ſtatuere videris, quàm, ſi homo talis ſit, ac eum deſcribis, impios ſuis operibus, æquè, ac pios ſuis, Deum colere, & hac ratione ità, ut elementa, herbæ, lapides &c. à Deo dependentes reddimur. Cui rei igitur inſerviet noſter intellectus? cui voluntatem intra limites intellectûs continendi poteſtas? quâ de cauſâ ordo ille nobis infixus eſt? Et vide, quæſo ab aliâ parte, quâ re nos privemus, nempe anxiâ, & ſeriâ meditatione ad nos ipſos ſecundùm regulam perfectionis Dei, & ordinem nobis impreſſum perfectos reddendum: nosmet precatione, & ad Deum ſuſpiriis, quibus tam ſæpe extraordinariam confortationem accepiſſe percepimus, orbamus: nosmet totâ Religione, ac omni illâ ſpe, & acquieſcentiâ, quam ex precibus, & Religione ſperamus, orbamus. Enimverò, ſi nullam mali habet Deus cognitionem, multò minùs credibile eſt, eum malum puniturum. Quænam ergo ſuperſunt rationes, quò minùs facinora quævis (ſi modò judicem effugio) avidè perpetrem? cur non deteſtandis mediis divitias mihi acquiro? cur abſque diſcrimine, &, quò caro nos trahit, id, quod lubet, non perpetro? Dices, quia virtus propter ſe eſt amanda. Quî verò virtutem amare poſſum? mihi tantum eſſentiæ, ac perfectionis non eſt tributum; & ſi tantum acquieſcentiæ, & ex hoc & ex illo habere licet, cur mihi vim, ut voluntatem intra limites intellectûs contineam, infero? cur id non facio, quò me affectus trahunt? cur non hominem, qui mihi alicubi obeſt, clam occido? &c. Ecce quam cunctis impiis, & impietati

tati demus occaſionem? nos truncis, omneſque noſtras actiones motibus horologiorum ſimiles reddimus.

Ex dictis valdè durum mihi videtur, quòd impropriè tantùm in Deum peccare poſſimus dici: cui enim rei data nobis voluntatem intra limites intellectûs continendi potentia inſervit, ſi, ubi eam tranſgredimur, contra eum peccamus ordinem? Regeres fortè, id non eſſe peccatum in Deum; ſed in nos ipſos: nam ſi propriè erga Deum peccare diceremur, etiam dicendum eſſet, aliquid contra Dei voluntatem fieri; quod juxta te eſt impoſſibile: Ergo etiam peccatùm. Interim alterutrum verum ſit neceſſe eſt, Deum vel velle, vel nolle. Si vult, quomodò noſtri reſpectu malum eſſe poteſt? Si non vult, id, ex tuâ opinione, non fieret. Quamvis autem hoc aliquam, ut tua fert ſententia, involveret abſurditatem, prædictas tamen abſurditates admittere periculoſſimum videtur. Quis novit, ſi anxiè inquirerem, annon remedium poſſet inveniri his aliquo modo conciliandis.

Atque ſic tuæ epiſtolæ examen juxta Regulam meam primam generalem finiam: antequam verò ad examen juxta ſecundam Regulam accedam, duo adhuc proponam, quæ epiſtolam tuam ſpectant, quæque ſcripſiſti Princ. Part. 1. Prop. 15. Prius eſt, *quòd affirmas, nos poteſtatem volendi, & judicandi intra limites intellectûs retinere poſſe*: quod abſolutè concedere nequeo. Nam hoc ſi foret verum, certè ex innumerabilibus vel unus reperiretur homo, qui ſe eâ præditum poteſtate oſtenderet: etiam quivis apud ſe experiri poteſt, ſe quantas etiam impendat vires, eum ſcopum attingere non poſſe. Et ſi quis de hoc negotio dubitat, ſeipſum examinet, quoties invito intellectu paſſiones rationem ſuam vincant, etiam tum quum ſummis obnititur viribus. At dices, quòd hoc minùs præſtamus, non eſt, quia nobis impoſſibile eſt; ſed quia ſufficientem non adhibemus diligentiam; regero, quòd, ſi hoc poſſibile eſſet, ſaltem ex tot millibus vel unus inveniretur; ſed ne unus omnium hominum exſtitit, vel exiſtit, qui auderet gloriari, ſe in errores haud incidiſſe. Quænam verò hujus rei certiora, quàm ipſa exempla, poſſunt adduci argumenta? Si pauci eſſent, unus eſſet; jam verò quum nullus ſit, nulla ejus quoque datur proba-

tio. Instabis & dices; si fieri potest, ut judicium suspendendo, & voluntatem intra terminos intellectûs continendo, semel, ne errem, efficere queo, quare, ubi eandem adhibeo diligentiâm, semper id efficere non possem? Respondeo, me videre non posse, nos hodie tantum virium habere, ut in eo semper perseveremus; semel unâ horâ, quando omnes intendo nervos, iter duorum milliarium conficere potis sum, verùm semper id præstare non possum; ità me summo studio ab errore semel præservare possum, sed vires ad id semper præstandum deficiunt. Clarum mihi videtur, primum hominem, è manu perfecti illius artificis prodeuntem, iis præditum fuisse viribus; sed (ut in hoc tecum sentio) eum, illis viribus non satis utendo, vel abutendo, statum suum amisisse perfectum ad præstandum, quod antea sui erat arbitrii. Hæcque multis rationibus, ni nimius essem, firmarem. Et hoc in negotio omnem Sacræ Scripturæ essentiam, quæ propterea apud nos in honore esse debet, sitam esse opinor, quoniam nos id, quod tam clarè intellectus noster naturalis confirmat, docet: nempe, lapsum ex nostrâ primâ perfectione nostrâ imprudentiâ factum esse. Quid igitur istius lapsûs emendatione magis necessarium? Atque hominem lapsum ad Deum reducere Sacræ Scripturæ unicus quoque est scopus.

Posterius est, Princip. Part. 1. Prop. 15. *quòd affirmas, Res clarè, & distinctè intelligere repugnare Naturæ hominis*, unde tandem concludis, *longè melius esse rebus, quamvis confusis assentiri, & libertatem exercere, quàm semper indifferentem, hoc est, in infimo gradu libertatis manere.* Quam ut concedam conclusionem, impedit in me obscuritas: nam suspensum judicium nos in eo statu, in quo à Creatore sumus creati, conservat; verùm rebus confusè est rebus non intellectis assentiri, & ità æquè facilè vero ac falso assentiri. Et si (ut D. Des Cartes alicubi docet) eum ordinem in assentiendo non usurpamus, quem Deus inter nostrum intellectum, nostramque voluntatem constituit, nempe ut non nisi clarè perceptis assentiamur: quamvis tunc casu in veritatem incidamus, tamen quia verum non eo, quo Deus voluit ordine, amplectimur, peccamus; & per consequens, ut assensûs cohibitio nos in statu, in quo à Deo con-

conſtituti ſumus, conſervat, ità confuſus aſſenſus noſtrum ſtatum pejorem reddit: erroris quippe ponit fundamentum, quo perfectum deinceps amittimus ſtatum. Sed te dicentem audio: nonne præſtat, ut nos perfectiores reddamus, rebus licet confuſis aſſentiendo, quàm ut non aſſentiendo ſemper in infimo perfectionis, & libertatis gradu maneamus? At præterquam quòd hoc negaverimus, & aliquo modo oſtenderimus, nos nosmet non meliores; ſed deteriores reddidiſſe; nobis etiam impoſſibile, & quaſi contradictio videtur, Deum cognitionem rerum, ab ipſo determinarum, longiùs extendere, ac eam, quam nobis dedit; imò Deum tunc abſolutam noſtrorum errorum cauſam involvere. Nec huic contrarium eſt, quòd nos Deum, ut plura in nos conferret, quàm contulit, non poſſumus accuſare; quia ad id non tenebatur. Verum quidem eſt, Deum non teneri, ut plura, quàm dedit, daret; ſed ſumma Dei etiam infert perfectio, ut creatura ab ipſo procedens nullam contradictionem involveret, prout tum videretur ſequi. Nullibi namque in creatâ naturâ, præterquam in noſtro intellectu, deprehendimus ſcientiam. In quem alium finem ille nobis conceſſus eſſet, niſi ut Dei opera contemplaremur & cognoſceremus? Et quidnam evidentiùs ſequi videtur, quàm quòd harmonia inter res cognoſcendas, noſtrumque intellectum dari debet?

Si tuam Epiſtolam circa ea, quæ modò diximus, ad meam ſecundam Regulam generalem examinarem, magis, quàm in primâ, diſcreparemus. Mihi namque videtur, (aberranti commonſtra viam) te Sacræ Scripturæ eam infallibilem veritatem & divinitatem non adſcribere, quam ego in eâ eſſe mihi perſuadeo. Verum quidem eſt, quòd te credere ais, Deum res Sacræ Scripturæ Prophetis revelâſſe; ſed modo adeò imperfecto, ut, ſi factum eſt, prout tu ſtatuis, in Deo contradictionem involveret. Si enim Deus ſuum Verbum, ac voluntatem hominibus manifeſtavit, certum in finem, idque clarè iis manifeſtavit. Si jam Prophetæ ex illo verbo, quod acceperant, Parabolam finxiſſent, id Deus vel voluiſſet, vel noluiſſet. Si voluiſſet, ut exin Parabolam fingerent, hoc eſt, ut ab ejus mente aberrarent; Deus iſtius erroris eſſet cauſa, aliquidque quod contrariaretur ſibi, vellet. Si noluiſſet, impoſſibile

erat, ut Prophetæ inde Parabolam effingerent. Præterea credibile eſt, ſi ſupponitur, Deum Verbum ſuum Prophetis dediſſe, quòd ità eis dedit, ut illud accipiendo non erraverint: nam Deus in Verbo ſuo revelando certum finem habere debebat; At ſibi finem, ut homines in errorem duceret, proponere nequit: Id enim in Deo eſſet contradictio. Etiam homo contra Dei voluntatem errare non poterat; nam id, ſecundùm te, fieri nequit. Præter hæc omnia, de illo ſummè perfecto Deo credi non poteſt, eum permittere, ut ſuo Verbo, Prophetis dato, ad illud populo explicandum, alius à Prophetis tribueretur ſenſus, quàm Deus voluit: Si enim ſtatuimus, Deum Prophetis ſuum conceſſiſſe Verbum, ſimul aſſerimus, Deum modo extraordinario Prophetis apparuiſſe, vel cum iis loquutum fuiſſe. Si jam Prophetæ de hoc tradito Verbo Parabolam fingunt, hoc eſt, alium ei ſenſum tribuunt, quàm, ut tribuerent, voluit, Deus hanc rem eos edocuiſſet. Eſt etiam tam reſpectu Prophetarum impoſſibile, quàm reſpectu Dei contradictio, Prophetas alium ſenſum potuiſſe habere, quàm eos habere voluit Deus.

Deum ſuum ità revelaſſe Verbum, uti tu vis, parùm probas, nempe eum ſalutem, & perditionem tantùm revelâſſe, certa eum in finem decreviſſe media, atque ſalutem, ac perditionem non niſi decretorum mediorum effectûs eſſe. Nam profectò, ſi Prophetæ Dei Verbum iſthoc ſenſu acceperant, quas rationes, ad alium illi adſcribendum ſenſum, habuiſſent? Sed & nullam adducis probationem, quâ nos, ut hanc tuam ſupra Prophetarum ſententiam poneremus, convinceres. Si verò exiſtimas, hanc eſſe probationem, quòd alioquin illud Verbum multas imperfectiones, & contrarietates includeret, dico, hoc duntaxat dici, non verò probari. Et quis novit, ſi uterque ſenſus produceretur, uter minores includeret imperfectiones? Denique Enti ſummè perfecto benè perſpectum erat, quid populus caperet, quæque optima eſſet methodus, juxta quam populus inſtitui deberet.

Quantum ad ſecundum primæ tuæ Quæſtionis membrum attinet, quæris ex te ipſo, quare Deus Adamo, ne ex arbore ederet, cùm tamen contrarium decreviſſet, edixit; reſpondes verò, edictum

ctum Adamo factum in hoc solo consistere, quòd nimirùm Deus Adamo revelavit ne edere ex arbore mortis esse causam, quemadmodum nobis per naturalem rationem venenum mortiferum esse revelat. Si statuitur, Deum aliquid Adamo interdixisse, quænam rationes sunt, quò magis crederem modum prohibitionis, quem tu adfers, quàm quem adducunt Prophetæ, quibus Deus ipse modum prohibitionis revelavit? Dices, mea prohibendi ratio magis naturalis est, & ideò magis veritati, Deoque conveniens. Sed hoc omne nego. Nec capio, quòd Deus per naturalem intellectum nobis, venenum lethale esse, revelavit; nec rationes video, quibus unquam scirem, aliquid esse venenatum, nisi malos veneni effectûs in aliis vidissem, & audivissem. Quòd homines, quia venenum non noscunt, inscii edant & moriantur. quotidiana nos docet experientia. Dices, si homines scirent, id venenum esse, etiam malum id esse, eos non lateret; sed respondeo neminem veneni habere notitiam, aut posse habere; nisi qui vidit, aut audivit, aliquem ejus usu damnum sibi dedisse; & si ponimus, nos ad hunc usque diem nunquam audivisse, vel vidisse, aliquem ejus usu sibi nocuisse, non tantùm nunc quoque ignoraremus; sed & sine metu in proprium damnum id usurparemus, quemadmodum tales veritates indies docemur.

Quid magis in hâc vitâ candidum atque erectum animum, quàm illius perfectæ Deitatis contemplatio, delectat? Nam quemadmodum circa perfectissimum versatur, ità etiam perfectissimum, quod infinitum nostrum intellectum cadere potest, involvere debet. Nec mihi in vitâ quicquam est, quod cum eâ mutarem delectatione. In hâc, cælesti instigatus appetitu, multum temporis insumere possum; sed & simul tristitiâ affici, quando intueor tam multa finito meo intellectui deesse: verùm tristitiam sedo spe eâ, quam possideo, quæ mihi vitâ charior est, quòd posthac existam, & permanebo, & eam Deitatem majori perfectione, quàm nunc, intuebor. Ubi brevem, prætervolantemque considero vitam, in quâ singulis momentis mortem exspecto; si deberem credere me finem habiturum, sanctâque illâ, & præstantissimâ caritarum contemplatione, certè omnium creaturarum, quibus cognitio

gnitio finis ſui deeſt, miſerrimus eſſem. Quippe metus mortis ante obitum miſerum me redderet, & poſt eum planè nihil, & per conſequens miſer eſſem, quia divinâ illâ contemplatione privatus eſſem. Huc verò me tuæ videntur ducere opiniones, quòd ubi hîc eſſe deſino, etiam in æternum deſinam, cùm econtra illud Verbum, & Dei voluntas conſolentur interno ſuo in animâ meâ teſtimonio, quòd poſt hanc vitam in ſtatu perfectiore me aliquando, contemplando ſummè perfectam Deitatem, oblectabo. Profectò licet ſpes iſta aliquando falſa eſſe deprehenderetur, me tamen, dum ſpero, beatum reddit. Unicum hoc eſt, quod precibus, ſuſpiriis, & ſeriis votis à Deo peto, & petam, (utinam ad id plus conferre liceret!) quamdiu ſpiritus hos reget artus, ut ipſi placeat, me ſuâ bonitate tam beatum reddere, ut, quando hoc corpus diſſolvitur, Ens intellectuale ad perfectiſſimam illam Deitatem contemplandum maneam, & ſi hoc tantùm nanciſcor, mihi, quomodò hîc credatur, quid invicem perſuadeatur, an aliquid naturali intellectu fundetur, & percipi ab eo poſſit, nec ne, perinde eſt. Hoc, hoc ſolummodò eſt votum meum, meum deſiderium, continuæque preces, ut Deus hanc certitudinem in animâ meâ confirmet, &, ſi eam poſſideo, (ah me miſerrimum, ſi eo deſtituar!) præ deſiderio anima mea exclamet, quemadmodum cervus anhelat aquarum rivos, ità te, ô Deus vivens, anima mea deſiderat: ah! quando veniet dies, quòd tecum ero, & te adſpiciam. Si hoc tantùm obtineo, omne animæ meæ ſtudium, & deſiderium poſſideo. Quia verò noſtrum opus Deo diſplicet, ſpem iſtam, ex tuâ ſententiâ, non video: Nec intelligo, Deum, (ſiquidem de eo humano more loqui liceat) ſi nullam ex opere noſtro, & laudatione capit voluptatem, nos produxiſſe, & conſervâſſe. Si verò à tuâ ſententiâ aberro, tuam explicationem expeto. Verùm me, & fortè te ſolito diutiùs moratus ſum; quia verò mihi chartam deeſſe video, finiam. Horum ſolutionem videre aveo. Fortè hîc illic aliquam ex Epiſtolâ tuâ eduxi concluſionem; quæ fortaſſis tua non erit opinio; ſed ſuper eâ re explicationem tuam audire cupio.

Nuper occupatus fui in quibuſdam Dei attributis perpendendis,

in

in quo me tua non parùm juvit Appendix. Mentem tuam ſolummodò fuſiùs explicui, quæ mihi non niſi demonſtrationes exhibere videtur, & ideo demiror in Præfatione affirmari, te illa non ſentire; ſed obligatum fuiſſe, ut ità tuum, uti promiſeras, Carteſii Philoſophiam diſcipulum doceres; & te longè aliam, tam de Deo, quàm de animâ, ſpeciatim de animæ voluntate fovere opinionem: video quoque in illâ Præfatione dici, te hæc Cogitata Metaphyſica brevi prolixiora editurum, quæ duo avidè deſidero: nam de iis aliquid ſingulare ſpero. Mea autem non fert conſuetudo aliquem laudibus extollere.

Scripſi hæc ſincero animo, & amicitiâ non fucatâ, prout in epiſtolâ tuâ petiiſti, utque veritas detegeretur. Excuſa nimiam, præter intentionem, prolixitatem. Si ad has reſponderis, me tibi ſummopere devincies. Non recuſo, ſi eâ linguâ, in quâ educatus ſum, ſcribere animus eſt, vel aliâ, modò Latinâ, aut Gallica ſit; hoc verò reſponſum, ut eâdem exares linguâ, peto, quia mentem tuam in eâ bene, quod forte in linguâ Latinâ non fieret, percipiebam. Ità me tibi devincies, ſegoque ero, ac permanebo,

Mi Domine, Tibi addictiſſimus atque Officioſiſſimus,

G. de BLYENBERGH.

Dordraci 16. Januarii 1665.

In reſponſione tuâ prolixiùs, quid per Negationem in Deo intelligas, erudiri exopto.

EPISTOLA XXXIV.

Viro Doctiſſimo, ac Ornatiſſimo,

GUILIELMO de BLYENBERGH

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Verſio.

Mi Domine, & Amice,

QUum primam tuam Epiſtolam legebam, exiſtimabam noſtras opiniones ferè concordare; ſed verò ex ſecundâ, quæ 21 hu-

jus mensis mihi tradita est, longè aliter se rem habere intelligo, videoque nos non tantùm dissentire de iis, quæ longè ex primis principiis sunt petenda; sed etiam de eisdem ipsis principiis: adeò ut vix credam fore, ut nos Epistolis invicem erudire possimus. Video namque nullam demonstrationem, licet pro Demonstrationis Legibus solidissimam, apud te valere, nisi conveniat cum eâ explicatione, quam vel ipse, vel alii Theologi, tibi haud ignoti, sacræ Scripturæ tribuunt. Verùm si deprehendas, Deum per sacram Scripturam clariùs, & efficaciùs loqui, quàm per lumen naturalis intellectûs, quod nobis etiam concessit, ac assiduò Sapientiâ suâ Divina firmiter, & incorruptè conservat, validas habes rationes, ut intellectum flectas ad opiniones, quas sacræ Scripturæ tribuis, quin ipse haud aliter facere possem. Quod verò me spectat, quia planè, & sine ambagibus profiteor, me S. Scripturam non intelligere, licet aliquot annos in eâ insumpserim, & quia me haud fugit, quando solidam nactus sum demonstrationem, me non posse in tales cogitationes incidere, ut unquam de eâ dubitare queam, omninò in eo, quod mihi intellectus monstrat, acquiesco sine ullâ suspicione, me eâ in re deceptum esse, nec Sacram Scripturam, quamvis eam non investigem, ei contradicere posse; quia veritas veritati non repugnat, ut jam ante in Appendice meâ (caput indicare nequeo, nec enim liber hîc ruri penes me est) clarè indicavi; & si fructum, quem jam ex intellectu naturali cepi, vel semel falsum esse deprehenderem, me fortunatum redderet, quoniam fruor, & vitam non mærore & gemitu, sed tranquillitate, lætitiâ, & hilaritate transigere studeo, & subinde gradum unum adscendo. Agnosco interim (id, quod summam mihi præbet satisfactionem, & mentis tranquillitatem) cuncta potentiâ Entis summè perfecti, ac ejus immutabili ità fieri decreto.

Ad tuam verò ut redeam epistolam, dico me tibi summas ex animo agere gratias, quòd mihi tuam in tempore Philosophandi rationem aperuisti; sed quòd tu talia, qualia vis ex meâ epistolâ educere, mihi affingas, pro eo nullas tibi gratias ago. Quam, quæso, materiam mea præbuit epistola has mihi affingendi opiniones, homines nempe bestiis esse similes, homines bestiarum more mori, & interire,

interire, noſtra Deo diſplicere opera, &c. (licet in poſtremo hoc ſummopere diſſentiamus, quia aliter te non percipio, quàm quòd intelligis, Deum noſtris operibus delectari, tanquam qui finem ſuum aſſecutus eſt, eò quòd res ex voto ſucceſſit) Quantum ad me, ego profectò clarè dixi, probos Deum colere, & aſſiduè colendo perfectiores evadere, Deum amare; hoccine eſt eos beſtiis ſimiles reddere; aut eos inſtar beſtiarum perire, vel denique eorum opera Deo non placere? Si meas literas majore cum attentione legiſſes, clarè perſpexiſſes, noſtrum diſſenſum in hoc ſolo poſitum eſſe; ſcilicet an Deus, ut Deus, hoc eſt, abſolutè, nulla ei humana attributa adſcribendo, perfectiones, quas probi accipiunt, eis communicet; (ut ego intelligo) anve ut judex, quod ultimum tu ſtatuis; & eâ de cauſâ defendis impios, quia juxta Dei decretum, quicquid poſſunt, faciunt, Deo æquè, ac pios ſervire. Sed verò ſecundùm mea dicta id nullatenus ſequitur: quia Deum tanquam judicem non introduco, & ideò ego opera ex operis qualitate, non verò ex potentiâ operatoris æſtimo, & merces, quæ opus conſequitur, tam neceſſariò id conſequitur, quàm ex naturâ trianguli ſequitur, tres ejus angulos duobus rectis æquales eſſe debere. Et hoc unuſquiſque intelliget, qui tantùm ad id, quòd ſumma noſtra beatitudo in amore erga Deum conſiſtit, attendit, quòdque ille amor neceſſariò ex Dei cognitione, quæ nobis tantopere commendatur, fluit. Hoc autem generaliter facillimè demonſtrari poteſt, ſi modò ad naturam Decreti Dei attendatur, quemadmodum in meâ Appendice explicui: Verùm fateor, eos omnes, qui Divinam Naturam cum humanâ confundunt, valdè ad id intelligendum ineptos eſſe.

Hiſce literis finem hîc imponere animus erat, ne tibi ampliùs eſſem moleſtus iis rebus, quæ tantummodò (uti clarum eſt ex valdè devoto additamento fini tuæ epiſtolæ affixo) pro joco, & riſu inſerviunt, nulli autem uſui ſunt. Ne verò petitionem tuam omni modo rejiciam, ulteriùs ad explicationem vocum Negationis, & Privationis, & breviter ad id, quod neceſſarium eſt ad ſenſum præcedentis meæ Epiſtolæ dilucidiùs enucleandum, progrediar.

Dico igitur primò Privationem non eſſe privandi actum; ſed tan-

tantùm ſimplicem, & meram carentiam, quæ in ſe nihil eſt: eſt quippe Ens rationis tantùm, vel modus cogitandi, quem formamus, quum res invicem comparamus. Dicimus, exempli gratiâ, cæcum viſu privatum eſſe, quia eum facilè, ut videntem imaginamur, ſive imaginatio hæc hinc oriatur, quòd cum aliis, qui vident, ſive quod præſentem ſuum ſtatum cum præterito, quum videbat, comparamus; & cùm hunc virum eâ ratione conſideramus, nempe comparando ſuam naturam cum naturâ aliorum, vel cum præteritâ ſuâ, tunc affirmamus, viſum ad ſuam naturam pertinere, & propterea dicimus, eum eo privatum eſſe. Verùm quum Dei decretum, ejuſque natura conſideratur, non magis de illo homine, quàm de Lapide poſſumus affirmare, eum viſu orbatum eſſe, quia illo tempore non magis ſine contradictione illi homini viſus, quàm lapidi competit; *quoniam ad hominem illum nil amplius pertinet, & ſuum eſt, quam id, quod Divinus intellectus & voluntas ei tribuit.* Et propterea Deus non magis eſt cauſa τῦ illius non videre, quam τῦ non videre lapidis: id quod mera eſt Negatio. *Ità etiam, cùm ad naturam hominis, qui appetitu libidinis ducitur, attendimus, præſentemque appetitum cum eo, qui in probis eſt, vel cum eo, quem ipſe aliàs habuit, comparamus; affirmamus, eum hominem meliore appetitu privatum eſſe, quia tunc iſti virtutis appetitum competere judicamus; quod facere non poſſumus, ſi ad naturam Divini decreti, & intellectûs attendimus: nam eo reſpectu melior ille appetitus non magis ad naturam iſtius hominis eo tempore, quàm ad Naturam Diaboli, vel lapidis pertinet,* & idcircò eo reſpectu melior appetitus non eſt Privatio, ſed Negatio. Adeò ut Privatio nihil aliud ſit, quàm aliquid de re negare, quod judicamus ad ſuam naturam pertinere, & Negatio nil aliud, quàm aliquid de re negare, quia ad ſuam naturam non pertinet. Et hinc liquet, quare Adami appetitus rerum terrenarum noſtri, non verò intellectûs Dei reſpectu tantùm malus eſſet. *Licet enim Deus præteritum & præſentem Adami ſtatum ſciret, non idcircò Adamum præterito ſtatu privatum eſſe intelligebat, hoc eſt, præteritum ad ſuam naturam pertinere*: Nam tunc Deus aliquid contra ſuam voluntatem, hoc eſt, contra proprium ſuum intellectum

intelligeret. Hoc si bene percepisses, simulque me illam Libertatem, quam Cartesius Menti adscribit, non concedere, quemadmodum L. M. in Præfatione meo nomine testatus est, vel minimam in meis verbis non invenires contradictionem. Sed video, me meliùs multò facturum fuisse, si in primâ meâ Epistolâ Cartesii verbis respondissem, dicendo, nos non posse scire, quomodò nostra libertas, & quicquid ab eâ dependet cum Dei providentiâ & libertate congruat, (sicuti in Appendice diversis locis feci) adeò ut ex Dei Creatione nullam in libertate nostrâ queamus invenire contradictionem, quia capere haud possumus, quomodò Deus res creavit, & (quod idem est) quomodò eas conservat. Verùm putabam, te Præfationem legisse, meque, si ex animi sententiâ non responderem, in amicitiæ officium, quam aminitus offerebam, peccaturum fuisse. Sed hæc susque deque fero.

Quia tamen video, te Cartesii Mentem hactenus non benè percepisse, peto, ut hæc duo attendas: Primò neque me, neque Cartesium unquam dixisse, quòd ad nostram naturam pertinet, ut nostram voluntatem intra limites intellectûs contineamus; sed tantùm, quòd Deus nobis intellectum determinatum, & voluntatem indeterminatam dedit, ità tamen, ut ignoremus, in quem finem nos creavit; Porrò, quòd istiusmodi indeterminata, vel perfecta voluntas nos non solùm perfectiores reddit; sed quoque, ut tibi in sequentibus dicam, quòd ea nobis sit valdè necessaria.

Secundò quòd nostra Libertas nec in quâdam contingentiâ, nec in quâdam indifferentiâ sita est; sed in modo affirmandi, & negandi; adeò ut, quò rem aliquam minùs indifferenter affirmamus, aut negamus, eò liberiores simus: Verbi causa, si Dei natura nobis est cognita, tam necessariò ex naturâ nostrâ τὸ affirmare sequitur, Deum existere, quàm ex naturâ trianguli ejus tres angulos duobus rectis æquari fluit; & tamen nunquam magis liberi sumus, quàm quum rem tali modo affirmamus. Quia verò hæc necessitas nihil aliud est, quàm Dei Decretum, veluti in meâ Appendice clarè ostendi; hinc quodammodò intelligere licet, quo pacto rem liberè agamus, ejusque causa simus, non obstantè, quòd eam necessariò, & ex Dei decreto agamus. Hoc, inquam, aliquo modo

possumus intelligere, cùm quid affirmamus, quod clarè, & distinctè percipimus, ubi verò quicquam, quod clarè ac distinctè non capimus, asserimus, hoc est, cum patimur, ut voluntas extra nostri intellectûs limites exspatietur, tum illam necessitatem, Deique Decreta non ità percipere possumus; sed nostram quidem libertatem, quam nostra voluntas semper includit, (quo respectu opera nostra solummodò bona, vel mala appellantur) & si tunc conamur libertatem nostram cum Dei Decreto, & continuâ Creatione conciliare, confundimus id, quod clarè, & distinctè intelligimus, cum eo, quod non percipimus, & propterea frustrâ id conamur. Sufficit ergo nobis, quòd scimus nos liberos esse, & nos tales esse posse non obstante Dei decreto, nosque mali causam esse, eò quòd nullus actus, nisi respectu nostræ libertatis, tantùm malus nominari potest. Hæc sunt, quæ Cartesium spectant, ut demonstrarem ejus dicta ab eâ parte nullam pati contradictionem.

Jam ad ea, quæ me attinent, me convertam, ac primò breviter referam utilitatem, quæ ex meâ opinione nascitur, quæ præcipuè in eo est sita, quòd scilicet noster intellectus Deo Mentem, & Corpus extra omnem Superstitionem offert, nec preces nobis valdè utiles esse nego: nam meus intellectus est nimis parvus ad omnia media determinandum, quæ Deus habet, quibus homines ad sui amorem, hoc est, ad salutem perducat; adeò ut tantùm absit hanc opinionem noxiam futuram esse, utècontra iis, qui nullis præjudiciis nec puerili superstitione præoccupati sunt, unicum sit medium adsummum beatitudinis gradum perveniendi.

Quòd verò ais, me homines, eos à Deo tam dependentes faciendo, ideo elementis, herbis, & lapidibus similes reddere, id sufficienter ostendit te meam opinionem perversissimè intelligere, & res, quæ intellectum spectant, cum imaginatione confundere. Si enim puro intellectu percepisses, quid sit à Deo dependere, certè non cogitares, res, quatenus à Deo dependent, mortuas, corporeas, & imperfectas esse, (quis unquam de Ente summè perfecto tam viliter ausus fuit loqui)ècontra caperes, eâ de causâ, & quatenus à Deò dependent, perfectas esse. Adeò ut hanc dependentiam, atque

que neceſſariam operationem quàm optimè per Dei decretum intelligamus, quando non ad truncos, & herbas; ſed ad maximè intelligibiles, & res creatas perfectiſſimas attendimus, ut ex illo, quod ſecundò de Carteſii mente jam ante memoravimus, clarè apparet, quod attendere debuiſſes.

Nec reticere poſſum, me id ſummopere mirari, quod dicis: ſi Deus delictum non puniret, (hoc eſt, tanquam judex tali pœnâ, quam ipſum delictum non inferret: Id enim ſolùm noſtra eſt Quæſtio.) quænam ratio impedit, quò minùs quævis ſcelera avidè perpetrem? Certè qui illud tantùm (quod de te non ſpero) formidine pœnæ omittit, is nullâ ratione ex amore operatur, & quàm minimè Virtutem amplectitur. Quantum ad me, ea omitto, vel omittere ſtudeo, quia expreſſè cum meâ ſingulari naturâ pugnant, meque à Dei amore, & cognitione aberrare facerent.

Porrò ſi ad naturam humanam paulùm attendiſſes, & naturam Dei decreti, prout in Appendice explicui, percepiſſes, tandemque ſciviſſes, quomodò res eſſet deducenda, antequam ad concluſionem perveniatur, non adeò temerè dixiſſes, hanc opinionem nos truncis, &c. ſimiles reddere; nec tam multas abſurditates, quàm imaginaris, mihi affinxiſſes.

De duabus illis rebus, quas ais, priuſquam ad ſecundam tuam Regulam pergis, te percipere haud valere, reſpondeo primò Carteſium ſufficere ad concluſionem tuam faciendam, quòd nempe, ſi modò attendis ad naturam tuam, experiris, te poſſe judicium tuum ſuſpendere; ſi verò dicas, te in te ipſo non experiri, nos tantum virium hodie in rationem obtinere, ut hoc ſemper continuare poſſemus, id idem Carteſio eſſet, ac nos hodie non poſſe videre, nos, quamdiu exiſtimus, futuros ſemper res cogitantes, vel naturam rei cogitantis retenturos, quod profectò contradictionem involvit.

Ad ſecundum cum Carteſio dico, ſi Voluntatem noſtram extra limites intellectûs noſtri valdè limitati extendere non poſſemus, nos miſerrimos futuros, neque in noſtrâ poteſtate fore vel fruſtum panis comedere, vel paſſum progredi, vel ſubſiſtere: omnia enim incerta, atque periculis ſunt plena.

Tran-

Transeo nunc ad secundam tuam Regulam, asseroque, me quidem credere, quòd ego eam Veritatem, quam tu in Scripturâ esse credis, illi non tribuam, & tamen credo, quòd ego illi tantum, si non plus adscribam authoritatis; quodque longè cautiùs, quàm alii, caveam, ne illi pueriles quasdam, & absurdas sententias affingam, quòd nemo præstare potest, nisi is, qui Philosophiam benè intelligit, vel Divinas habet revelationes; adeò ut me valdè parum moveant explicationes, quas Vulgares Theologi de Scripturâ adferunt, præsertim si istius sint farinæ, ut Scripturam semper juxta litteram, sensumque externum sumant; & nunquam, præter Socinianos, crassum adeò vidi Theologum, qui non percipit Sacram Scripturam creberrimè more humano de Deo loqui, ac suum sensum Parabolis exprimere; & quòd ad contradictionem, quam frustrà (meâ quidem opinione) conaris ostendere, credo te per Parabolam omninò aliud quid, quàm vulgò fit, intelligere: nam quis unquam audivit, eum, qui suos conceptûs parabolis exprimit, à suo sensu aberrare. Quum Micha Regi Aghabo diceret, se Deum in solio suo sedentem vidisse, ac exercitûs cælestes à dextrâ, & sinistrâ stantes, Deumque ex illis quærere, quisnam Aghabum deciperet, illud ipsum certè erat Parabola, quâ Propheta præcipuum, quod eâ occasione (quæ non erat, ut sublimia Theologiæ dogmata doceret) Dei nomine debebat manifestare, sufficienter exprimebat; adeò ut nullo modo à sensu suo aberraret. Sic etiam cæteri Prophetæ Dei Verbum jussu Dei eâ ratione populo manifestârunt, tanquam optimo medio, non verò tanquam illo, quod Deus petebat, populum ad scopum Scripturæ primarium ducendi, qui juxta ipsius Christi dictum in hoc consistit, nimirùm in amore Dei supra omnia, & proximi tanquam sui ipsius. Sublimes speculationes, credo, Scripturam minimè tangunt. Me quod spectat, nulla Dei æterna attributa ex Sacrâ Scripturâ didici, nec discere potui.

Quantum verò quintum attinet argumentum (scilicet Prophetas Dei Verbum tali ratione manifestum fecisse, quoniam veritas veritati non est contraria) nihil reliqui est, quàm ut (quemadmodum quivis, qui Demonstrandi Methodum percipit, judicabit) demon-

demonſtrem, Scripturam, prout eſt, eſſe Dei verum Verbum revelatum. Cujus Mathematicam Demonſtrationem, niſi Divinâ Revelatione, habere nequeo. Et ideo dixi, *credo, ſed non more mathematico ſcio, omnia, quæ Deus Prophetis &c.* quia firmiter credo, non verò Mathematicè ſcio, Prophetas Dei intimos Conſiliarios, & Legatos fuiſſe fidos; adeò ut in iis, quæ ego affirmavi, nulla omninò ſit contradictio; cùm è contrario ab alterâ parte haud paucæ inveniantur.

Reliquum tuæ Epiſtolæ, nempe ubi dicis: *Denique Ens ſummè perfectum noverat, &c.* & deinde quod contra exemplum de veneno adfers, ac ultimò, quod Appendicem, & id, quod ſequitur, ſpectat, dico hanc præſentem Quæſtionem non reſpicere.

Præfationem L. M. quod attinet, in ipſâ certè ſimul oſtenditur, quid Carteſio adhuc probandum eſſet, ut ſolidam de Libero Arbitrio demonſtrationem formaret, additurque, me contrariam fovere ſententiam, & quomodò eam foveam: quam forte ſuo tempore indicabo, nunc verò animus non eſt.

De opere verò ſuper Carteſium nec cogitavi, nec ulteriorem ejus geſſi curam, poſtquam ſermone Belgico prodiit: & quidem non ſine ratione, quam hic recenſere longum foret. Adeò ut nihil dicendum reſtet, quàm me &c.

EPISTOLA XXXV.

Clariſſimo Viro

B. D. S.

GUILIELMUS de BLYENBERGH.

Reſponſio ad præcedentem.

Verſio.

Mi Domine, & chare Amice,

EPiſtolam tuam, 28 Januarii ſcriptam, ſuo tempore accepi; aliæ occupationes præter ſtudia impediverunt, quò minùs ad tuam

citiùs reſponderim: & quoniam hîc illic acribus tua referta eſt reprehenſionibus, quid de eâ judicarem, vix ſciebam: nam in primâ, 5 Januarii exaratâ, tam liberaliter amicitiam tuam ex animo mihi obtuleras, hâc additâ obteſtatione, meam non ſolùm illo tempore ſcriptam; ſed & ſubſequentes valdè gratas fore; quin amicè flagitabas, ut liberè, ſi quas inſuper movere poſſem difficultates, objicerem, uti in meâ, 16 Januarii datâ, prolixiùs paulò præſtiti. Ad eam amicam, & erudientem, juxta poſtulatum, & promiſſum tuum, exſpectabam reſponſionem; ſed econtra talem, quæ nimiam non redolet amicitiam, accepi; *nempe quòd nullæ demonſtrationes, licet validiſſimæ apud me valent, quòd mentem Carteſii non percipio, quòd res ſpirituales nimiùm cum terrenis confundo, &c. ità ut invicem epiſtolis diutiùs erudire non poſſemus.* Ad quæ amicè reſpondeo, me firmiter credere, te ſuprà dicta meliùs me intelligere, & aſſuetum magis eſſe res corporeas à ſpiritualibus diſcernere: in Metaphyſicâ enim, quam ego inchoo, ſummum adſcendiſti gradum, & ideò, ut erudirer, favorem tuum captabam; nunquam verò exiſtimabam, me objectionibus, liberè factis, offenſionis cauſam præbiturum. Summas tibi ex animo ago gratias, quòd tantum laborem in duabus epiſtolis exarandis, præcipuè in ſecundâ, ſuſcepiſti; ex poſteriore, quam ex priore, tuam mentem clariùs percepi, & nihilominùs ei aſſenſum præbere nequeo, niſi difficultates, quas adhuc in eâ invenio, tollantur: nec hoc offenſionis cauſam dare poteſt. Nam illud vitium in intellectu noſtro arguit, ſi veritati ſine fundamento neceſſario aſſentimur: Licet tui veri eſſent conceptûs, iis aſſenſum præbere non licet, quamdiu in me quædam obſcuritatis, vel dubitationis rationes ſuperſunt, quamvis dubitationes non ex re propoſitâ, ſed ex mei intellectûs imperfectione orirentur. Et quia hoc abundè tibi notum eſt, ægrè ferre non debes, ſi rurſùs quaſdam formem objectiones: cogor ità facere, quamdiu rem clarè percipere nequeo; nam hoc in alium non fit finem, quàm ad veritatem inveniendam; non verò ad tuam mentem præter intentionem tuam detorquendam; & propterea ad hæc pauca amicam peto reſponſionem. Dicis; *nihil ad eſſentiam rei amplius pertinere, quàm id, quod divina voluntas, poten-*

potentiaque ei concedit, & reverâ tribuit; & cùm ad naturam hominis, qui appetitu libidinis ducitur, attendimus, præsentemque appetitum cum eo, qui in probis est, vel cum eo, quem ipse aliàs habuit, comparamus, affirmamus eum hominem meliore appetitu privatum esse, quia tunc isti virtutis appetitum competere judicamus; quod facere non possumus, si ad naturam divini decreti & intellectûs attendimus: nam eo respectu melior ille appetitus non magis ad naturam istius hominis eo tempore, quàm ad naturam Diaboli, aut lapidis pertinet, &c. Licet enim Deus præteritum, & præsentem Adami statum sciret, non idcircò Adamum præterito statu privatum esse intelligebat, hoc est, præteritum ad suam præsentem naturam pertinere, &c. Ex quibus verbis clarè sequi videtur, juxta tuam sententiam, nihil aliud ad essentiam pertinere, quàm quod eo momento, quo percipitur, res habet, hoc est, si me voluptatis desiderium tenet, illud desiderium ad meam illo tempore pertinet essentiam, & si me non tenet, illud *non-desiderium* ad meam eo, quo non desidero, tempore essentiam pertinet, unde infallibiliter consequitur, me tum respectu Dei æquè perfectionem in meis operibus includere, (solummodò gradu differentibus) quando voluptatum cupiditate, quàm quando eâ non teneor; quando omnis generis scelera perpetro, quàm quando virtutem, & justitiam excerceo. Ad meam enim essentiam eo tempore tantum duntaxat, quantum operor, pertinet: nec enim plus, nec minus, secundùm tuam positionem, operari possum, quàm quantum reverâ accepi perfectionis, quia voluptatum, scelerumque cupiditas ad meam eo tempore, quo facio, pertinet essentiam, & eo tempore illam, non verò majorem, à Divinâ potentiâ accipio: Exigit ergo divina potentia ejusmodi duntaxat opera. Et ità ex tuâ positione clarè videtur sequi, Deum scelera unâ, eâdemque ratione velle, quâ ea vult, quæ tu nomine virtutis insignis. Ponamus jam, quòd Deus, ut Deus, non verò ut judex, piis, & impiis talem, & tantum essentiæ largitur, quantum vult, ut illi efficiant; quænam rationes dantur, ut unius opus non eodem modo, quàm alterius velit? Nam quoniam unicuique ad opus suum qualitatem concedit, sequitur utique, quòd, quibus minus largitus est, eâdem ratione

tantum ab ipſis petit, quantum ab illis, quibus plus dedit; & per conſequens Deus ſui ipſius reſpectu majorem, minoremve noſtrorum operum perfectionem, voluptatum & virtutum cupiditatem eodem modo exigit. Adeò ut, qui ſcelera patrat, neceſſariò eadem patrare debeat, quia nihil aliud ad ſuam eo tempore eſſentiam ſpectat; uti is, qui virtutem exerçet, ideò virtutem exercet, quia Dei potentia voluit, ut ad ſuam eo tempore eſſentiam id pertineret: Rurſum mihi videtur Deum æquè, & eodem modo ſcelera, quàm virtutem velle, quatenus autem utraque vult, tam hujus, quàm illius eſt cauſa, ipſiſque eatenus grata eſſe debent. Quod de Deo concipere durum eſt.

Dicis, ut video, probos Deum colere; verùm ex tuis ſcriptis nihil aliud percipio, quàm quòd Deo ſervire tantùm ſit talia efficere opera, quæ Deus, ut operaremur, voluit; idem adſcribis impiis, & libidinoſis; quænam ergo eſt diffcrentia, reſpectu Dei, inter proborum, & improborum cultum? Ais etiam, probos Deo ſervire, & ſerviendo continuò perfectiores evadere; ſed non percipio, quid per τὸ *perfectiores evadere* intelligas, nec quid ſignificet τὸ *continuò perfectiores evadere*. Nam & impii, & pii ſuam eſſentiam, & conſervationem, aut continuam creationem a Deo, ut Deo, non verò, ut judice, nanciſcuntur, voluntatemque ejus juxta Dei decretum utrique eodem modo exequuntur. Quænam ergo differentia, reſpectu Dei, inter utroſque poteſt eſſe? Nam τὸ *perfectiores continuò evadere* non ex opere; ſed ex Dei voluntate fluit; adeò ut, ſi impii per opera ſua imperfectiores fiunt, illud non fluat ex operibus; ſed ex ſolâ Dei voluntate; & utrique voluntatem Dei tantùm exequuntur: nequit ergo in his duobus, ratione Dei, dari diſcrimen. Quænam ſunt ergo rationes, ut hi per opus ſuum continuò perfectiores, illi verò deteriores evadant?

Sed verò diſcrimen operis horum ſupra alterorum opus in hoc ponere videris, quòd hoc opus plus perfectionis, quàm illud includit. In his tuum, vel meum certò confido latere errorem: nam nullam in tuis ſcriptis reperire licet Regulam, ſecundùm quam res magis, minusve perfecta dicitur, quàm quando plus, minuſve habet eſſentiæ. Si jam hæc ſit perfectionis regula, ſunt igitur ſcelera, Dei reſpe-

reſpectu, ei æquè, ac opera proborum grata: nam Deus ea, ut Deus, hoc eſt, ſui reſpectu, eodem modo vult, quia utraque ex Dei fluunt decreto. Si hæc ſit ſola perfectionis regula, errores non niſi impropriè tales dici poſſunt; ſed reverâ nulli errores, nulla dantur ſcelera: & quicquid eſt, illam tantummodò, & talem, quam Deus dedit, eſſentiam complectitur, quæ ſemper, utcunque ea ſe habeat, perfectionem involvit. Me hoc clarè non poſſe percipere, fateor, & tu quærenti, an occidere Deo æquè placeat, ac eleëmoſynas largiri? an furtum committere, Dei reſpectu, æquè bonum ſit, ac juſtum eſſe? condona. Si neges, quænam ſunt rationes? ſi affirmes, quæ apud me exiſtunt rationes, quibus moverer, ut hoc opus, quod tu virtutem appellas, magis, quàm aliud operarer? quænam lex magis hoc, quàm illud, prohibet? Si ipſam nomines virtutis legem, fatendum mihi certè eſt, me nullam apud te reperire, juxta quam virtus moderanda, & ex quâ cognoſcenda ſit. Quicquid enim eſt, à Dei voluntate inſeparabiliter dependet, & per conſequens & hoc, & illud ex æquo virtuoſum eſt. Et, quid tibi virtus, vel lex virtutis ſit, non capio; ideo etiam, quod aſſeris, nos ex amore virtutis debere operari, non intelligo. Dicis quidem, te ſcelera, & vitia omittere, quia ea cum ſingulari tuâ naturâ pugnant, & te ab divinâ cognitione, & amore ſeducunt; verùm nullam horum in omnibus tuis ſcriptis invenio vel regulam, vel probationem. Quin excuſa me, ſi contrarium ex illis ſequi dicam. Omittis ea, quæ vitia appello, quia cum ſingulari tuâ naturâ pugnant, non autem quia vitia complectuntur; omittis ea, quemadmodum cibus, à quo natura noſtra abhorret, relinquitur. Certè qui mala omittet, eò quòd ſua natura ab eis abhorret, parùm de virtute gloriari poterit.

Hîc jam rurſum quæſtio moveri poteſt, an, ſi daretur animus, cum cujus ſingulari naturâ non pugnaret; ſed conveniret voluptates, ſceleraque patrare, an, inquam, ratio virtutis ſit, quæ ipſum ad virtutem præſtandam, malumque omittendum moveret? Sed quî fieri poteſt, ut quis cupiditatem voluptatis amitteret, quum ejus cupiditas eo tempore de ſuâ ſit eſſentiâ, ipſamque jam modò acceperit, neque dimittere poſſit?

Hanc etiam conſequentiam in tuis ſcriptis non video, quòd nimirum eæ actiones, quas ſcelerum nomine inſignio, te à Dei cognitione, & ejus amore ſeducerent. Nam voluntatem Dei tantùm exequutus es, neque amplius præſtare poteras, quia ad tuam iſto tempore eſſentiam conſtituendam à Divinâ voluntate, ac potentiâ nihil amplius datum erat. Quomodò ſic determinatum, ac dependens opus te à Divino amore aberrare facit? aberrare eſt confuſum, & independens eſſe, & hoc ſecundùm te eſt impoſſibile. Nam ſive hoc, ſive illud, ſive plus, ſive minus perfectionis edimus, illud ad eſſe noſtrum pro illo tempore immediatè à Deo accipimus: quomodò ergo poſſumus aberrare? vel ego, per errorem quid intelligatur, non capio. Attamen in hoc, in hoc, inquam, ſolo cauſa vel mei, vel tui erroris latere debet.

Hîc multa alia dicerem, & quærerem, Primò, An ſubſtantiæ intellectuales alio modo, quàm vitæ expertes à Deo dependeant? licet enim entia intellectualia plus eſſentiæ, quàm vitâ carentia involvant, annon utraque Deo, Deique decreto ad ſuum motum in genere, & ad talem motum in ſpecie conſervandum opus habent, & per conſequens, quatenus dependent, annon unâ, eâdemque ratione dependent? Secundò, Quia, quam ei D. des Cartes adſignavit, libertatem animæ non concedis, quænam ſit differentia inter dependentiam intellectualium, & animâ carentium Subſtantiarum? & ſi nullam volendi habent libertatem, quomodò tu eas à Deo dependere concipias? & quo pacto anima à Deo dependeat? Tertiò, Siquidem noſtra anima eâ non ſit prædita libertate, anne noſtra actio propriè Dei actio, & noſtra voluntas propriè Dei ſit voluntas? Plura alia quærere poſſem, ſed tam multa à te petere non auſim: ſolummodò ad præcedentia reſponſum tuum brevi exſpecto, an fortè hoc medio adhibito ſententiam tuam meliùs intelligam, ut poſtea de hâc re coram tecum pluribus agerem. Ubi enim tuum nactus fuero reſponſum, Leydam profectus, ſi gratum ſit, in tranſitu te ſalutabo. His nixus, dico ex animo, tibi ſalute dicta, me manere *Tibi addictiſſimum, atque Officioſiſſimum*

G. DE BLYENBERGH.

Dordraci 19. Febr. 1665.

P. S. *Nimiâ feſtinatione hanc inſerere quæſtionem oblitus ſum: an quod aliàs nobis eveniret, prudentiâ noſtrâ non impedire queamus.* EPI-

EPISTOLA XXXVI.

Viro Doctissimo, ac Ornatissimo,

GUILIELMO de BLYENBERG

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Versio.

Mi Domine & Amice,

DUas abs te hâc septimanâ accepi Epistolas; posterior, 9 Martii exarata, tantùm ei inserviebat, ut me de priore, 19 Februarii scriptâ, & mihi Schiedamo missâ, certiorem redderet. In hâc priore te de eo queri video, quòd dixerim *nullam apud te demonstrationem locum habere posse &c.* quasi illud mearum rationum respectu, quia statim tibi non fecerunt satis, locutus fuerim, quod à mente meâ longè abest: respiciebam propria tua verba, quæ sic habent. *Et siquando post diutinam investigationem accideret, ut naturalis mea scientia videretur cum hoc Verbo vel pugnare, vel non satis bene &c. illud Verbum tantæ apud me est authoritatis, ut conceptûs, quos existimo clarè percipere, mihi potiùs suspecti sint, &c.* Adeo ut tua tantùm verba breviter repetierim, nec propterea credo, me ullâ in re iræ causam præbuisse, eò magis, quòd ea, tanquam rationem, adducebam, quibus magnum nostrum dissensum ostenderem.

Porrò, quia in calce secundæ Epistolæ scripseras, te tantummodò sperare, & optare, ut in fide, ac spe perseveres, atque reliqua, quæ nobis invicem de intellectu naturali persuademus, tibi esse indifferentia; animo volvebam, uti & jam revolvo, meas nulli usui futuras, mihique eâ de causâ consultum magis esse, ut studia (quæ alioqui tamdiu intermittere cogor) non negligerem propter res, quæ nullum fructum possunt largiri. Nec hoc primæ

Epistolæ

Epiſtolæ meæ contrariatur: quia ibi te, ut merum Philoſophum, qui (ſicuti haud pauci, qui ſe Chriſtianos autumant, concedunt) nullum alium veritatis Lydium habet lapidem, præter naturalem intellectum, non verò Theologiam, conſiderabam. Sed de hâc re me aliter edocuiſti, ſimulque oſtendiſti, quòd fundamentum, cui noſtram amicitiam ſuperædificare animus erat, non, ut arbitrabar, eſſet jactum.

Denique reliqua quod attinet, ea plerumque tali modo inter diſputandum contingunt, ut propterea humanitatis limites non transgrediamur, & hâc de cauſâ in ſecundâ tuâ Epiſtolâ, nec non in hâc his ſimilia, tanquam non animadverſa, prætermittam. Hæc de tuâ offenſione, ut, me ei nullam dediſſe cauſam, oſtenderem, multò minùs me ferre haud poſſe, ut mihi quiſquam obloquatur. Nunc, quò ad tuas objectiones rurſùs reſpondeam, me converto.

Statuo ergo primò, Deum abſolutè, & reverâ cauſam eſſe omnium, quæ eſſentiam habent, quæcunque etiam illa ſint. Si jam poteris demonſtrare, Malum, Errorem, Scelera, &c. quicquam eſſe, quod eſſentiam exprimit, tibi penitùs concedam, Deum ſcelerum, mali, erroris, &c. cauſam eſſe. Videor mihi ſufficienter oſtendiſſe id, quod formam mali, erroris, ſceleris ponit, non in aliquo, quod eſſentiam exprimit, conſiſtere, ideoque dici non poſſe, Deum ejus eſſe cauſam. Neronis, verbi gratia, matricidium, quatenus aliquid poſitivum comprehendebat, ſcelus non erat: nam facinus externum fecit, ſimulque intentionem ad trucidandam Matrem Oreſtes habuit, & tamen, ſaltem uti Nero, ità non accuſatur. Quodnam ergo Neronis ſcelus? Non aliud, quàm quòd hoc facinore oſtenderet ſe ingratum, immiſericordem, ac inobedientem eſſe. Certum autem eſt, nihil horum aliquid eſſentiæ exprimere, & idcircò Deum eorum etiam non fuiſſe cauſam, licet cauſa actûs, & intentionis Neronis fuerit.

Porrò velim hîc notari, nos, dum Philoſophicè loquimur, non debere Phraſibus Theologiæ uti: Nam, quia Theologia Deum paſſim, nec temerè, ut hominem perfectum repræſentat, propterea oportunum eſt, ut in Theologiâ dicatur Deum quicquam

quam cupere, Deum tædio operibus improborum affici, & proborum delectari; in Philoſophiâ verò, ubi clarè percipimus, quòd Deo illa attributa, quæ hominem perfectum reddunt, tam ægrè poſſunt tribui, & adſignari, quàm ſi ea, quæ elephantum, aſinumve perficiunt, homini tribueremus: Ibi hæc, & his ſimilia verba nullum obtinent locum, nec ibi ſine noſtrorum conceptuum ſummâ confuſione ea uſurpare licet. Quare Philoſophicè loquendo, dici nequit, Deum à quoquam quicquam petere, neque ei tædioſum, aut gratum quid eſſe; hæc quippe omnia humana ſunt attributa, quæ in Deo locum non habent.

Notari tandem voluiſſem, quòd, quamvis opera proborum, (hoc eſt, eorum, qui claram Dei habent ideam, ad quam cuncta eorum opera, ut & cogitationes determinantur) & improborum, (hoc eſt, eorum, qui Dei ideam haud poſſident, ſed tantùm rerum terrenarum ideas, ad quas eorum opera, cogitationesque determinantur) & denique omnium eorum, quæ ſunt, ex Dei æternis legibus, & Decretis neceſſariò profluant, continuoque à Deo dependeant, attamen non ſolùm gradibus; ſed & eſſentiâ ab invicem differunt: licet etenim mus æquè, ac angelus, & æquè Triſtitia, ac Lætitia, à Deo dependeant, nequit tamen mus ſpecies angeli, & Triſtitia ſpecies Lætitiæ eſſe. Hiſce opinor me tuis Objectionibus (ſi eas probè intellexi; Quippe interdum dubius hæreo, num concluſiones, quas inde deducis, non differant ab ipſâ Propoſitione, quam demonſtrare ſuſcipis) reſpondiſſe.

Verùm illud clariùs patebit, ſi ad Quæſtiones propoſitas ex his fundamentis reſpondeam. Prima eſt, an occidere Deo adeò acceptum ſit, ac eleëmoſynas elargiri? altera eſt, an furari Dei reſpectu æquè bonum ſit, ac juſtum eſſe? tertia denique eſt, an, ſi daretur animus, cum cujus ſingulari naturâ non pugnaret; ſed conveniret, libidinibus obtemperare, & ſcelera perpetrare, an in eo, inquam, ratio Virtutis daretur, quæ ipſi, ut bonum faceret, & malum omitteret, perſuaderet?

Ad primam hoc do reſponſum, me (Philoſophicè loquendo) quid his verbis, *Deo acceptum eſſe*, velis, neſcire. Si roges, an Deus hunc non odio habeat, illum verò diligat? an Deum alius con-

contumeliâ, affecerit alius favore prosecutus fuerit? respondeo, quod non. Si verò Quæstio est, numne homines, qui occidunt, & eleëmosynas distribuunt, æquè probi, & perfecti sint? Rursus negando respondeo.

Ad secundam regero: si *bonum respectu Dei* inferat, justum aliquid boni Deo præstare, & furem aliquid mali, respondeo neque justum, neque furem in Deo delectationem, aut tædium posse causari; si verò quæratur, an utrumque illud opus, quatenus aliquid reale, & à Deo causatum est, æquè sit perfectum? dico, si ad opera tantùm animum advertamus, & ad talem modum, posse fieri, ut utrumque æquè fit perfectum. Si igitur interroges, numne fur, & justus æquè sint perfecti, beatique? respondeo, non. Per justum namque eum intelligo, qui constanter cupit, ut unusquisque, quod suum est, possideat; quam Cupiditatem ego in meâ Ethicâ (necdum editâ) in piis ex clarâ, quam de seipsis, & Deo habent, cognitione necessariò originem ducere, demonstro. Et quoniam ejus generis cupiditatem fur non habet, necessariò Dei, & sui ipsius cognitione, hoc est, primario, quod nos homines reddit, destituitur. Si tamen ulteriùs quæras, quid te queat movere, ut magis hoc opus, quod Virtutem nuncupo, quàm aliud facias? dico, me non posse scire, quâ viâ, ex infinitis, Deus utatur, ut te ad hoc opus determinet. Posset esse, ut Deus tibi clarè sui ideam impresserit, ut mundum oblivioni propter sui amorem traderes, reliquosque homines, sicut te ipsum, amares; & perspicuum est hujusmodi animi Constitutionem cum cæteris omnibus, quæ malæ vocantur, pugnare, & eâ de causâ in uno subjecto non posse esse. Porrò fundamenta Ethices explicandi, & etiam cuncta mea dicta demonstrandi non est hîc locus, quia tantùm in eo sum, ut ad Quæstiones tuas responsum dem, & eas à me avertam, arceamque.

Quantum denique tertiam Quæstionem attinet, ea contradictionem supponit, mihique æquè videbatur, ac si quis rogaret: Si meliùs cum alicujus naturâ conveniret, ut seipsum suspenderet, an rationes darentur, ut se non suspenderet? Verùm, ejusmodi dari naturam, sit possibile, tunc affirmo, (etiamsi liberum arbitrium con-

concederem, ſive non concederem) ſi quis videt, ſe commodiùs in cruce poſſe vivere, quàm menſæ ſuæ accumbentem, eum ſtultiſſimè agere, ſi ſe ipſum non ſuſpenderet; & is, qui clarè videret, ſe ſcelera patrando reverâ perfectiore & meliore vitâ, vel eſſentiâ, quàm virtutem ſectando, poſſe frui, is etiam ſtultus foret, ſi illa non faceret. Nam ſcelera reſpectu iſtiusmodi naturæ humanæ perverſæ virtus eſſent.

Ad aliam Quæſtionem, quam calci Epiſtolæ addidiſti, quia unâ horâ vel centum ejus generis quærere poſſemus, nec tamen nunquam ad concluſionem unius perveniremus, & ipſe reſponſionem non adeo urges, non reſpondebo: hoc tempore tantùm dicam, &c.

EPISTOLA XXXVII.

Viro Clariſſimo,

B. D. S.

GUILIELMUS DE BLYENBERG.

Reſponſio ad præcedentem.

Verſio.

Mi Domine, & amice.

UBi tuâ honorabar præſentiâ, ut in eâ perſeverarem non tempus, multò minùs memoria permittebat, ut quæ colloquentes tractavimus, ei mandarem; licet ego quàm primùm à te diſceſſeram, omnes memoriæ vires, quò audita retinerem, colligerem. In proximum ergo profectus locum tuas opiniones chartæ mandare conabar; ſed experiebar tunc, me reverâ ne quartam quidem tractatorum partem retinuiſſe; adeò ut tibi ſim excuſandus, ſi adhuc ſemel, tantùm quærendo de iis, in quibus mentem tuam, vel non bene perceperim, vel non bene retinuerim, tibi moleſtus ſim.

Optem, ut hunc laborem aliquo beneficio tibi compensare facultas daretur.

Primum erat, quomodò, ubi Principia, & Cogitata tua Metaphysica lego, quæ tua, quæque Cartesii sit sententia, internoscere possim?

Secundum, an propriè detur error, & in quo consistat?

Tertium, quâ ratione statuas, voluntatem non esse liberam.

Quartum, quid his verbis, quæ L. M. in Præfatione tuo nomine scripsit, intelligas, nempe. *Cum contrà author noster admittat quidem in Rerum naturâ esse substantiam cogitantem: attamen neget illam constituere essentiam Mentis humanæ; sed statuat, eodem modo, quo extensio nullis limitibus determinata est, cogitationem etiam nullis limitibus determinari; adeóque quemadmodum Corpus humanum non est absolutè, sed tantùm certo modo secundùm leges naturæ extensæ per motum & quietem determinata extensio; sic etiam Mentem, sive animam humanam non esse absolutè, sed tantùm secundùm leges naturæ cogitantis per ideas certo modo determinatam cogitationem; quæ necessariò dari concluditur, ubi Corpus humanum existere incipit.* Unde sequi videtur, sicut Corpus humanum ex millenis compositum est corporibus, ità etiam humanam Mentem ex millenis constare cogitationibus; & quemadmodum humanum Corpus in millena resolvitur, unde componebatur, corpora, sic etiam Mentem nostram, ubi corpus deserit, in tam multiplices, ex quibus constabat, cogitationes resolvi: & sicuti resolutæ humani nostri Corporis partes non ampliùs unitæ manent; sed alia corpora inter ea se insinuant; ità sequi quoque videtur, Mente nostrâ dissolutâ, illas innumeras cogitationes, quibus constabat, non ampliùs combinatas, sed divisas esse: & quemadmodum corpora soluta corpora quidem manent; sed non humana, ità à morte quoque nostram substantiam cogitantem quidem resolvi, ut cogitationes, vel substantiæ cogitantes maneant, non verò ità, ut essentia erat earum, quum Mens humana dicebantur. Unde mihi videtur, ac si statueres, substantiam hominis cogitantem mutari, & instar corporum resolvi, quin imò quasdam ità, ut de impiis (nisi me fallat memoria) affirmabas, omninò perire, nullamque sibi retinere

tinere

tinere cogitationem reliquam. Et ſicut D. des Cartes, ut L. M. habet, Mentem eſſe ſubſtantiam abſolutè cogitantem tantùm præſupponit, ità & Tu, & L. M. præſupponitis maximam partem uti mihi videmini: quare tuam hoc in negotio mentem clarè non percipio.

Quintum eſt, quòd tam in colloquio, quàm in poſtremâ tuâ Epiſtolâ, 13. Martii ſcriptâ, ſtatuis, ex clarâ Dei, & noſtri cognitione oriri Conſtantiam, quâ, ut quibibet ſuum ſibi habeat, cupimus: Verùm hîc explicandum reſtat, quâ ratione Dei, & noſtri cognitio in nobis conſtantem voluntatem producat, ut unuſquiſque, quod ſuum eſt, poſſideat, hoc eſt, quâ viâ id ex Dei cognitione fluat, vel nos obſtringat, ut virtutem amemus, & ea negligamus opera, quæ vitia dicimus; & unde procedat (quandoquidem occidere, & furari, juxta te, æquè quid poſitivum, ac eleëmoſynas dare, comprehendant) cur cædem committere non tantùm perfectionis, beatitudinis, & acquieſcentiæ, quantùm eleëmoſynas diſtribuere, involvat. Dices fortè, ut in poſtremâ, quæ 13. Martii conſignata eſt, hanc quæſtionem ad Ethicam ſpectare, eamque inibi à te moveri; verùm quum ſine hujus Quæſtionis, ut & præcedentium elucidatione, ego tuam nequeam percipere mentem, quin ſemper abſurditates ſuperſint, quas conciliare non poſſum, amicè rogo ut latiùs mihi ad eas reſpondeas; præſertim ut præcipuas quaſdam Definitiones, Poſtulata, & Axiomata, quibus tua Ethica, & hæc imprimis Quæſtio innititur, proponas, & explanes. Fortè, quia labor deterret, te excuſabis, verùm ut meæ ſatisfacias petitioni ſaltem hâc vice flagito, eò quòd abſque ultimæ Quæſtionis ſolutione mentem tuam nunquam rectè ſim percepturus. Optem, ut laborem tuum aliquo beneficio compenſare liceret. Tempus duarum, triumve ſeptimararum præſcribere non audeo; tantùm ut ante iter tuum Amſtelædamenſe ad has reſponſum des, requiro. Hoc ubi præſtiteris, me tibi ſummopere devincies, egoque oſtendam me eſſe & permanere,

MI DOMINE,

Tuum ad quævis officia paratiſſimum,

Dordraci 27. Martii, 1665. G. DE BLYENBERG.

EPISTOLA XXXVIII.

Humaniſſimo, Ornatiſſimoque Viro,

GUILIELMO DE BLYENBERG

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Mi Domine, & Amice.

UBi tua, 27. Martii ad me data, mihi tradebatur, ut Amſtelædamum proficiſcerer, in procinctu ſtabam. Quare, ubi dimidium ejus perlegeram, domi relinquebam, donec rediiſſem, ut tum reſponderem; quoniam putabam, eam nihil, niſi Quæſtiones, ad primam ſpectantes controverſiam, comprehendere. Ego verò poſtea eam perlegens longè aliud ejus argumentum eſſe deprehendebam, in eâque non modò probationem eorum, quæ in Præfatione mearum Demonſtrationum Geometricarum in Carteſii Principia curavi ſcribi, eo tantùm fine, ut meam ſententiam cuilibet indicarem, non verò probarem, & hominibus perſuadorem; ſed etiam magnam Ethices partem, quæ, ut cuivis notum, Metaphyſicâ, & Phyſicâ fundari debet, deſiderari. Quâ de cauſâ, ut tuis facerem ſatis quæſtionibus, à me impetrare non potui; ſed occaſionem exſpectare volui, quò amiciſſimè coram, ut poſtulato deſiſtas, à te peterem, meæ negationis rationem darem, & denique oſtenderem eas ad primæ noſtræ controverſiæ ſolutionem non facere; ſed econtra maximam partem à ſolutione iſtius litis pendêre. Tantum ergo abeſt, ut mea opinio, rerum neceſſitatem ſpectans, ſine iis non poſſit percipi; quia hæ reverâ percipi nequeunt, antequam ea in anteceſſum intelligatur. Antequam verò offerebatur occaſio, hâc hebdomadâ alterum adhuc mihi tradebatur epiſtolium,

lium, quod aliquam difplicentiam, ex nimiâ morâ, præ ſe ferre videtur. Et ideò hæc pauca ad te ſcribere neceſſitas me coëgit, ut de propoſito, & decreto meo certiorem, ut jam reddidi, te redderem. Spero te, negotio perpenſo, ultrò à tuâ petitione deſiturum, & tamen animum in me propenſum ſervaturum. Ego à meâ parte pro viribus meis in omnibus demonſtrabo, me eſſe, &c.

EPISTOLA XXXIX.

Viro Ampliſſimo, ac Prudentiſſimo

* * * * * * * *

B. D. S.

Verſio.

Ampliſſime Vir,

DEmonſtrationem Unitatis Dei, hinc nimirùm, quòd ejus Natura neceſſariam involvit exiſtentiam, quam poſtulabas, & ego in me recipiebam, ante hoc tempus ob quaſdam occupationes mittere non potui. Ut ergo eò deveniam, præſupponam

I°. Veram uniuscujuſque rei definitionem nihil aliud, quàm rei definitæ ſimplicem naturam includere. Et hinc ſequitur

II°. Nullam definitionem aliquam multitudinem, vel certum aliquem individuorum numerum involvere, vel exprimere; quandoquidem nil aliud, quam rei naturam, prout ea in ſe eſt, involvit, & exprimit. Ex. gr. Definitio trianguli nihil aliud includit, quàm ſimplicem naturam trianguli; at non certum aliquem triangulorum numerum: quemadmodum Mentis definitio, quòd ea ſit res cogitans, vel Dei definitio, quòd is ſit Ens perfectum, nihil aliud, quàm Mentis, & Dei naturam includit; at non certum Mentium, vel Deorum numerum.

III°. Uniuscujuſque rei exiſtentis cauſam poſitivam, per quam exiſtit, neceſſariò dari debere.

IV°. Hanc cauſam vel in naturâ, & in ipſius rei definitione (quia

ſcilicet

ſcilicet ad ipſius naturam exiſtentia pertinet, vel eam neceſſariò includit) vel extra rem ponendam eſſe.

Ex his præſuppoſitis ſequitur, quòd ſi in naturâ certus aliquis individuorum numerus exiſtat, una, pluresve cauſæ dari debeant, quæ illum juſtè nec majorem, nec minorem Individuorum numerum producere potuerunt. Si, exempli gratiâ, in rerum naturâ viginti homines exiſtant, (quos, omnis confuſionis vitandæ cauſâ, ſimul, ac primos in naturâ eſſe ſupponam) non ſatis eſt, cauſam humanæ naturæ in genere inveſtigare, ut rationem, cur viginti exiſtant, reddamus; ſed etiam ratio inveſtiganda eſt, cur nec plures, nec pauciores, quàm viginti homines exiſtant: Nam (juxta tertiam hypotheſin) de quovis homine ratio, & cauſa, cur exiſtat, reddenda eſt. At hæc cauſa (juxta ſecundam & tertiam hypotheſin) nequit in ipſius hominis naturâ contineri: vera enim hominis definitio numerum viginti hominum non involvit. Ideoque, (juxta quartam hypotheſin) cauſa exiſtentiæ horum viginti hominum, & conſequenter uniuscujuſque ſigillatim, extra eos dari debet. Proinde abſolutè concludendum eſt, ea omnia, quæ concipiuntur numero multiplicia exiſtere, neceſſariò ab externis cauſis; non verò propriæ ſuæ naturæ vi produci. Quoniam verò (ſecundum hypotheſin) neceſſaria exiſtentia ad Dei Naturam pertinet, ejus vera definitio neceſſariam quoque exiſtentiam ut includat, neceſſum eſt: & propterea ex verâ ejus definitione neceſſaria ejus exiſtentia concludenda eſt. At ex verâ ejus definitione (ut jam ante ex ſecundâ & tertiâ hypotheſi demonſtravi) neceſſaria multorum Deorum exiſtentia non poteſt concludi. Sequitur ergo unici Dei ſolummodò exiſtentia. *Q. E. D.*

Hæc, Ampliſſime Vir, mihi hoc tempore optima viſa fuit Methodus ad propoſitum demonſtrandum. Hoc ipſum antehac aliter demonſtravi, diſtinctionem Eſſentiæ, & Exiſtentiæ adhibendo: quia verò ad id, quod mihi indicaſti, attendo, hanc tibi libentiùs mittere volui. Spero tibi faciet ſatis, tuumque ſuper eâ judicium præſtolabor, & interea temporis manebo, &c.

Voorburgi, 7 Januar. 1666.

EPISTO-

EPISTOLA XL.

Viro Ampliſſimo, ac Prudentiſſimo

* * * * * * * *

B. D. S.

Verſio.

Ampliſſime Vir,

QUod in tuâ epiſtolâ, 10. Febr. ad me datâ, aliquo modo mihi erat obſcurum, in ultimâ, 30. Martii ſcriptâ, optimè enucleaſti. Quoniam igitur, quæ propriè tua ſit ſententia, novi, ſtatum Quæſtionis talem, qualem eum concipis, ponam; an ſcilicet non niſi unum ſit Ens, quod ſuâ ſufficientiâ, vel vi ſubſiſtit: quod non tantùm affirmo; ſed etiam demonſtrare in me ſuſcipio, hinc nimirùm, quòd ejus natura neceſſariam involvit exiſtentiam; licet hoc ipſum facillimè ex Dei intellectu, (quemadmodum ego in Propoſitione 11. Demonſtrationum mearum Geometricarum in Carteſii Principia præſtiti) aut ex aliis Dei attributis demonſtrare licet. Rem ergo ut aggrediamur, in anteceſſum breviter oſtendam, quas proprietates Ens, neceſſariam includens exiſtentiam, habere debet: nimirum

I°. Id eſſe æternum: ſi enim determinata duratio ei attribueretur, Ens iſtud, extra determinatam durationem, ut non exiſtens, vel ut neceſſariam non involvens exiſtentiam, conciperetur, quod definitioni ſuæ repugnat.

II°. Id ſimplex, non verò ex partibus compoſitum eſſe. Partes namque componentes naturâ, & cognitione priores ſint oportet, quàm id, quod compoſitum eſt: quod in eo, quod ſuâ natura æternum eſt, locum non habet.

III°. Id non determinatum; ſed ſolùm infinitum poſſe concipi. Quippe ſi iſtius Entis natura determinata eſſet, & etiam determinata conciperetur, illa natura extra eos terminos, ut non exiſtens, conciperetur, quod cum definitione ſuâ quoque pugnat.

IV°. Id indiviſibile eſſe. Si enim eſſet diviſibile, in partes vel ejuſdem, vel diverſæ naturæ dividi poſſet; ſi hoc, deſtrui, & ità non exiſtere poſſet, quod definitioni adverſum eſt. Et ſi illud, pars quælibet neceſſariam per ſe exiſtentiam includeret, & hoc pacto unum ſine alio exiſtere, & per conſequens concipi; & propterea illa Natura, ut finita, comprehendi poſſet, quod, per antecedens, definitioni adverſatur. Hinc videre eſt, quòd, ſi ejuſmodi Enti aliquàm velimus adſcribere imperfectionem, ſtatim in contradictionem incidamus. Nam ſive imperfectio, quam tali vellemus affingere Naturæ, in quodam defectu, aut terminis quibuſdam, quos iſtiuſmodi Natura poſſideret, vel in aliquâ mutatione, quas virium defectu à cauſis externis pati poſſet, ſita eſſet; eò ſemper redigemur, eam Naturam, quæ neceſſariam involvit exiſtentiam, non exiſtere, vel haud neceſſariò exiſtere; & idcirco concludo

V°. Id omne, quod neceſſariam includit exiſtentiam, nullam in ſe habere poſſe imperfectionem; ſed meram debere exprimere perfectionem.

VI°. Porrò, quoniam non niſi ex perfectione provenire poteſt, ut aliquod Ens ſuâ ſufficientiâ, & vi exiſtat, ſequitur, ſi ſupponamus Ens, quod non omnes exprimit perfectiones, ſuâ naturâ exiſtere, etiam nos debere ſupponere illud quoque Ens exiſtere, quod omnes comprehendit in ſe perfectiones. Si enim minori potentiâ prædítum ſuâ ſufficientiâ, quantò magis aliud majori potentiâ prædítum exiſtit.

Ut denique ad rem accedamus, affirmo non niſi unicum poſſe Ens eſſe, cujus exiſtentia ad ſuam naturam pertinet, illud nimirum Ens tantùm, quod omnes in ſe habet perfectiones, quodque Deum nominabo. Quippe ſi aliquod ponatur Ens, ad cujus naturam exiſtentia pertinet, illud Ens nullam in ſe continere imperfectionem, ſed omnem exprimere debet perfectionem; (per notam 5.) Et propterea natura illius Entis ad Deum, (quem (per notam 6.) etiam exiſtere ſtatuere debemus) pertinere debet, quia omnes perfectiones, nullas verò imperfectiones in ſe habet. Nec extra Deum exiſtere poteſt: nam ſi vel extra Deum exiſteret, una eadem-

eademque Natura, quæ neceſſariam involvit exiſtentiam, duplex exiſteret; quod, juxta antecedentem demonſtrationem, eſt abſurdum. Ergo nihil extra Deum; ſed ſolus Deus eſt, qui neceſſariam involvit exiſtentiam. Quod erat Demonſtrandum.

Hæc ſunt, Ampliſſime Vir, quæ hoc tempore ad hanc rem demonſtrandam in medium proferre ſcio. Optem, ut tibi demonſtrare liceat, me eſſe, &c.

Voorburgi, die 10. Aprilis. 1666.

EPISTOLA XLI.

Viro Ampliſſimo, ac Prudentiſſimo,

* * * * * * * *

B. D. S.

Verſio.

Ampliſſime Vir,

AD tuam, (in cauſâ fuit impedimentum aliquod) nono decimo Maji datam, citiùs reſpondere non licuit. Quia verò te tuum ſuper demonſtratione meâ, tibi miſſâ, ſuſpendere judicium, quantum ad maximam partem, deprehendi (propter obſcuritatem, credo, quam in eâ reperis) ſenſum ejus clariùs hic explicare conabor.

Primò ergo quatuor proprietates, quas Ens ſuâ ſufficientiâ, aut vi exiſtens, habere debet, enumeravi. Has quatuor, reliquasque his ſimiles in notâ quintâ ad unam redigi. Deinde, ut omnia ad demonſtrationem neceſſaria ex ſolo ſuppoſito deducerem, in ſextâ ex datâ hypotheſi Dei exiſtentiam demonſtrare conatus ſum; & inde denique, nihil ampliùs (ut notum) niſi ſimplicem verborum ſenſum, præſupponendo, quod petebatur, concluſi.

Hoc breviter meum propoſitum, hic ſcopus fuit. Jam unius-

cujuſque membri ſenſum ſigillatim explanabo, ac primùm à præmiſſis ordiar proprietatibus.

In primâ nullam invenis difficultatem: nec aliud quid, ſicut & ſecunda, eſt, quàm Axioma. Per ſimplex enim nihil, niſi quod non eſt compoſitum, intelligo, ſive ex partibus naturâ differentibus, aut ex aliis naturâ convenientibus componatur. Demonſtratio certè univerſalis eſt.

Senſum tertiæ, (quantum ad hoc, quòd, ſi Ens ſit cogitatio, id in cogitatione, ſi verò ſit Extenſio in extenſione, non determinatum; ſed ſolummodò indeterminatum concipi poteſt) optimè percepiſti; quamvis te concluſionem percipere neges; quæ tamen hoc nititur, quòd ſit contradictio, aliquid, cujus definitio exiſtentiam includit, aut (quod idem eſt) exiſtentiam affirmat, ſub negatione exiſtentiæ concipere. Et quoniam determinatum nihil poſitivi; ſed tantùm privationem exiſtentiæ ejuſdem naturæ, quæ determinata concipitur, denotat; ſequitur id, cujus definitio exiſtentiam affirmat, non determinatum poſſe concipi. Ex. gr. ſi terminus *extenſionis* neceſſariam includit exiſtentiam, æquè extenſionem ſine exiſtentiâ, ac extenſionem ſine extenſione impoſſibile erit concipere. Hoc ſi ità ſtatuatur, determinatam extenſionem concipere impoſſibile quoque erit. Si enim ea determinata concipiperetur, propriâ ſuâ naturâ eſſet determinanda, nempe extenſione: & hæc extenſio, quâ determinaretur, deberet ſub exiſtentiæ negatione concipi; id quod, juxta hypotheſin, manifeſta eſt contradictio.

In quartâ nihil aliud volui oſtendere, quàm tale Ens nec in partes ejuſdem, nec in partes diverſæ naturæ poſſe dividi, ſive eæ, quæ diverſæ ſunt naturæ, neceſſariam exiſtentiam, ſive minùs involvunt. Si enim, inquiebam, poſterius hoc locum obtineret, poſſet deſtrui, quoniam rem deſtruere eſt illam in ejuſmodi partes reſolvere, ut nulla earum omnium naturam totius exprimat: ſi verò prius locum haberet, cum tribus jam declaratis pugnaret proprietatibus.

In quintâ ſolummodò præſuppoſui, perfectionem in τῷ *eſſe*, & imperfectionem in privatione τῦ eſſe conſiſtere. Dico *privationem*;


quam-

quamvis enim ex. gr. extenſio de ſe cogitationem neget, nulla tamen hoc ipſum in eâ eſt imperfectio. Hoc verò, ſi nimirum extenſione deſtitueretur, in eâ imperfectionem argueret, ut reverâ fieret, ſi eſſet determinata, ſimiliter ſi duratione, ſitu &c. careret.

Sextam abſolutè concedis; & tamen dicis, tuam difficultatem, (quare ſcilicet non plura entia, per ſe exiſtentia, naturâ autem differentia poſſent eſſe; quemadmodum cogitatio, & extenſio diverſa ſunt, ac fortè propriâ ſufficientiâ ſubſiſtere poſſunt) totam ſupereſſe. Hinc non aliud judicare valeo, quàm te eam longè alio, ac ego, ſenſu capere. Confido me perſpicere, quo eam ſenſu intelligas; ego tamen, ne tempus perdam, meum tantùm declarabo ſenſum. Dico ergo, quantum ad ſextam attinet, ſi ponamus aliquid, quod in ſuo genere ſolummodò indeterminatum, & perfectum eſt, ſuâ ſufficientiâ exiſtere, quod etiam exiſtentia entis abſolutè indeterminati, ac perfecti concedenda erit; quod Ens ego Deum nuncupabo. Si ex. gr. ſtatuere volumus, extenſionem, aut cogitationem (quæ quælibet in ſuo genere, hoc eſt, in certo genere entis, perfectæ eſſe queunt) ſuâ ſufficientiâ exiſtere; etiam exiſtentia Dei, qui abſolutè perfectus eſt, hoc eſt, entis abſolutè indeterminati erit concedenda. Hîc loci, quod modò dixi, notari vellem, quantum vocabulum *imperfectionis* ſpectat, nimirùm illud ſignificare rei alicui quicquam deeſſe, quod tamen ad ſuam naturam pertinet. Ex. gr. Extenſio ſolummodò reſpectu durationis, ſitûs, quantitatis imperfecta dici poteſt; nimirùm quia non durat longiùs, quia ſuum non retinet ſitum, vel quia major non evadit; Nunquam verò, quia non cogitat, imperfecta dicetur, quandoquidem ejus natura nihil tale exigit, quæ in extenſione ſolâ conſiſtit, hoc eſt, in certo entis genere: quo reſpectu tantùm determinata aut indeterminata, imperfecta aut perfecta dicenda eſt. Et quandoquidem Dei natura in certo entis genere non conſiſtit; ſed in Ente, quod abſolutè indeterminatum eſt, ejus etiam natura exigit id omne, quod *non eſſe* perfectè exprimit; eò quòd ejus natura aliàs determinata, & deficiens eſſet. Hæc quum ità ſe habeant, ſequitur non niſi unum Ens, Deum ſcilicet, poſſe eſſe,

quod propriâ vi exiſtit. Si etenim, verbi cauſâ, ponamus, quòd extenſio exiſtentiam involvit, æterna, & indeterminata ut ſit, abſolutèque nullam imperfectionem, ſed perfectionem exprimat, opus eſt: Ideoque Extenſio ad Deum pertinebit, aut aliquid erit, quod aliquo modo Dei naturam exprimit: quia Deus eſt Ens, quod non certo duntaxat reſpectu; ſed abſolutè in eſſentiâ indeterminatum, & omnipotens eſt. Hocque, quod (pro lubitu) de Extenſione dicitur, de omni eo, quod, ut tale ſtatuere volemus, affirmandum quoque erit. Concludo ergo, ut in præcedenti meâ Epiſtolâ, nihil extra Deum; ſed Deum ſolum ſuâ ſufficientiâ ſubſiſtere. Credo hæc ſufficere ad ſenſum præcedentis declarandum; tu verò meliùs de eo judicium ferre poteris.

Hiſce finirem: verùm quia, ut mihi novæ ad polienda vitra ſcutellæ fabricentur, animus eſt, tuum hâc in re conſilium audire exoptem. Non video, quid vitris convexo-concavis tornandis proficiamus. Convexa plana econtra, utiliora ut ſint, neceſſe eſt, ſi bene calculum ſubduxi. Nam ſi (facilitatis gratiâ) ponamus rationem refractionis eſſe ut 3 ad 2, & literas in hâc appoſitâ figurâ, ut eas in parvâ tuâ Dioptricâ locas, appingamus, invenietur, ordinatâ æquatione, N I, quæ dicitur $z \propto \sqrt{\frac{4}{9}zz - xx} - \sqrt{1 - xx}$. Unde ſequitur, ſi $x \propto 0$, erit $z \propto 2$, quæ tunc etiam eſt longiſſima. Et ſi $x \propto \frac{1}{3}$ erit $z \propto \frac{11}{12}$, vel paulò ampliùs: ſi nimirùm ſupponimus radium B I ſecundam non pati refractionem, quando ex vitro verſùs I tendit. Statuamus verò jam, eum ex vitro prodeuntem in planâ ſuperficie B F refringi, & non verſùs I; ſed verſùs R tendere. Quando ergo lineæ B I; & B R in eâdem ſunt ratione, in quâ eſt refractio, hoc eſt (ut hîc ſupponitur) ut 3 ad 2; & ſi quando tunc tenorem ſequimur æquationis, venit pro N R $\propto \sqrt{zz - xx} - \sqrt{1 - xx}$. Et ſi iterum, ut ante, ponimus $x \propto 0$, erit N R $\propto$ 1, hoc eſt, æqualis ſemidiametro. Si vero $x \propto \frac{1}{3}$,



crit

erit N.R ♌ $\frac{10}{17}$ + $\frac{1}{10}$. Id, quod oſtendit hunc focum alio minorem eſſe, licet tubus opticus per integram ſemidiametrum ſit minor; adeò ut, ſi Teleſcopium æquè longum fabricaremus, ac eſt D I, faciendo ſemediametrum ♌ 1 $\frac{1}{2}$, & B F, eâdem manente aperturâ, focus multò minor ſit futurus. Ratio inſuper, cur convexo-concava vitra minùs placeant, eſt, quòd, præterquam quòd duplicem laborem, & ſumptum exigunt, radii, quandoquidem non omnes ad unum, idemque tendunt punctum, nunquam in ſuperficiem concavam perpendiculariter incidant. Verùm quum non dubitem, quin hæc jam olim perpenderis, ac magis accuratè ad calculos revocaveris, & denique rem ipſam determinaveris, ideò tuum judicium, conſiliumque hâc de re exquiro, &c.

EPISTOLA XLII.

Doctiſſimo, Expertiſſimoque Viro,

J. B.

B. D. S.

Doctiſſime Vir, Amice ſingularis,

AD ultimas tuas literas, dudum à me acceptas, antehac reſpondere non potui, ità variis occupationibus, & ſollicitudinibus impeditus fui, ut vix tandem me expedire potuerim, nolo tamen quandoquidem animum aliquantiſper recipere licet, meo officio deeſſe; ſed tibi quamprimùm maximas agere gratias volo pro amore, atque officio erga me tuo, quod ſæpius opere, jam verò literis etiam ſatis ſuperque teſtatus es, &c. Tranſeo ad tuam quæſtionem, quæ ſic ſe habet, nempe *an aliqua detur, aut dari poſſit Methodus talis, quâ inoffenſo pede in præſtantiſſimarum rerum cogitatione ſine tædio pergere poſſimus? an verò, quemadmodum corporæ noſtra, ſic etiam mentes caſibus obnoxiæ ſint, & fortunâ magis, quàm arte cogitationes noſtræ regantur?* quibus me ſatisfacturum puto, ſi oſten-

si ostendam, quòd necessariò debeat dari Methodus, quâ nostras claras,& distinctas perceptiones dirigere, & concatenare possumus, & quòd intellectus non sit, veluti corpus, casibus obnoxius. Quod quidem ex hoc solo constat, quòd una clara, & distincta perceptio, aut plures simul possunt absolutè esse causa alterius claræ & distinctæ perceptionis. Imò omnes claræ & distinctæ perceptiones, quas formamus, non possunt oriri nisi ab aliis claris & distinctis perceptionibus, quæ in nobis sunt, nec ullam aliam causam extra nos agnoscunt. Unde sequitur, quas claras & distinctas perceptiones formamus, à solâ nostrâ naturâ, ejusque certis, & fixis legibus pendere, hoc est, ab absolutâ nostrâ potentiâ, non verò à fortunâ, hoc est, à causis quamvis certis etiam, & fixis legibus agentibus, nobis tamen ignotis, & à nostrâ naturâ, & potentiâ alienis. Quod ad reliquas perceptiones attinet, eas à fortunâ quàm maximè pendere fateor. Ex his igitur clarè apparet, qualis esse debeat vera Methodus, & in quo potissimùm consistat, nempe in solâ puri intellectus cognitione, ejusque naturæ, & legum, quæ ut acquiratur, necesse est ante omnia distinguere inter intellectum, & imaginationem, sive inter veras ideas, & reliquas, nempe fictas, falsas, dubias, & absolutè omnes, quæ à solâ memoriâ dependent. Ad hæc intelligendum, saltem quoàd Methodus exigit, non est opus naturam mentis per primam ejus causam cognoscere, sed sufficit mentis, sive perceptionum historiolam concinnare modo illo, quo Verulamius docet. Et his paucis puto me veram Methodum explicuisse, & demonstrasse, simulque Viam ostendisse, quâ ad eam perveniamus. Supereſt tamen te monere, ad hæc omnia assiduam meditationem, & animum, propositumque constantissimum requiri, quæ ut habeantur, apprimè necesse est, certum vivendi modum, & rationem statuere, & certum aliquem finem præscribere: sed de his impræsentiarum satis, &c.

Voorburgi, 10. Jun. 1666.

EPISTO-

EPISTOLA XLIII.

Ornatiſſimo Viro,

J. V. M.

B. D. S.

Verſio.


Ornatiſſime Vir,

DUm hîc ſolitarius in agro vitam ago, Quæſtionem, quam mihi aliquando propoſuiſti, mecum volvi, eamque ſimplicem valdè deprehendi. Univerſalis Demonſtratio hoc nititur fundamento: quòd is juſtus ſit luſor, qui ſuam lucrandi, aut perdendi ſortem, ſeu exſpectationem cum adverſarii ſorte æqualem ponit. Hæc æqualitas conſiſtit in ſorte, & in pecuniâ, quam adverſarii deponunt, ac periclitantur; hoc eſt, ſi ſors utrimque eſt æqualis, quilibet etiam æquales nummos deponere, & periclitari debet: ſi verò ſors ſit inæqualis, unus eò plus pecuniæ deponere debet, quò ſua ſors major eſt, tuncque exſpectatio utrimque æqualis, & conſequenter luſus æquus erit. Si enim, exempli gratiâ, A, cum B ludens, duas lucrandi exſpectationes, & perdendi unicam tantùm; & econtra B ſolùm unicam lucrandi exſpectationem, & duas habet amittendi, clarè apparet, quòd A tantùm pro unaquâque ſorte debet periclitari, quantum B pro ſuâ periclitatur, hoc eſt, A debet duplum ipſius B periclitari.

Hoc ut adhuc clariùs oſtendamus, ſupponemus, tres A. B. C. æquali exſpectatione inter ſe ludere, & unumquemque æqualem pecuniæ ſummam deponere: manifeſtum eſt, quòd, quia quivis æquales nummos deponit, unusquiſque etiam non niſi tertiam partem periclitetur, ut duas tertias lucretur, quodque, quia quilibet contra duos ludit, quivis unam tantùm lucrandi exſpecta-

ſpectationem, ac duas amittendi habet. Si ſtatuamus, tertium horum, ante luſum inchoatum, nempe C, luſione velle deſiſtere, manifeſtum eſt, eum id duntaxat, quod depoſuit, hoc eſt, tertiam partem debere recipere; & B, ſi exſpectationem ipſius C velit emere, & illius in locum ſuccedere, tantum debere deponere, quantum C recepit. Hùic negotio nequit ſeſe A opponere: etenim ipſi perinde eſt, an cum unâ contra duas ſortes duorum diverſorum luſorum, an cum uno luſore aleam ſubeat. Hinc, quum hæc ità ſe habeant, ſequitur; quòd ſi quis manum ſuam exerat, ut, ſi alter de duobus numeris unum conjiciat, eumque conjecturâ aſſequatur, certam nummorum ſummam lucretur; vel, ſi è contrario aberret, æqualem ſummam perdat, quòd, inquam, exſpectatio utrimque æqualis eſt, nimirùm tam ei, qui manum extendit, ut alter divinet, quàm cui divinandi datur poteſtas. Porrò ſi manum extendat, ut alter primâ vice unum ex tribus numeris divinet, & cum divinando certam pecuniæ ſummam vincat, vel ſin minus, dimidium iſtius pecuniæ perdat, ſors & exſpectatio utrimque eſt æqualis: ſimiliter exſpectatio quoque æqualis eſt, ſi is, qui manum exerit, alii bis conjiciendi copiam dat, ut ſi conjecturâ aſſequatur, certam ſummam ſibi habeat, vel, ſi hallucinetur, duplo mulctetur. Sors, & exſpectatio æqualis quoque eſt, ſi ipſi concedit, ut de quatuor numeris ter conjecturam faciat ad quandam ſummam lucrandum, vel econtra perdendum ter, ſi errorem committat; vel quater ex quinque numeris, quo unum lucretur, aut quatuor perdat, & ſic deinceps. Unde ſequitur ei, qui dextram extendit, perinde eſſe, ut aliquis pro ſe toties, quoties vult, ex multis unum divinet numerum, ſi modò pro illis vicibus, quas conjicere ſuſcipit, tantum ponit, & periclitatur, quantum numerus vicium per numerorum ſummam diviſus facit. Si, verbi cauſâ, 5 ſint numeri, & cuidam ſemel tantùm eſt divinandum, is $\frac{1}{5}$ contra $\frac{4}{5}$ alterius ſolùm; ſi bis conjecturam faciet, tum $\frac{2}{5}$ contra $\frac{3}{5}$ alterius; ſi ter, $\frac{3}{5}$ contra $\frac{2}{5}$ alterius, & ſic porro $\frac{4}{5}$ contra $\frac{1}{5}$, & $\frac{5}{5}$ contra $\frac{0}{5}$ periclitari debet. Et per conſequens perinde ei eſt, qui veniam conjiciendi alicui largitur, ſi exempli loco, $\frac{1}{5}$ depoſiti duntaxat periclitetur, ut $\frac{4}{5}$ lucretur, an unus ſolus,

quinquies, vel an quinque homines singuli semel divinent, ut tua vult Quæstio.



1. Octob. 1666.

EPISTOLA XLIV.

Viro Humanissimo, atque Prudentissimo


J. J.

B. D. S.

Versio.

Humanissime Vir,

VAria obstacula in causâ fuerunt, quò minùs ad tuas non citiùs responderim. Quod de Dioptrica Cartesii notasti, vidi & legi. Non aliam is causam, quâ imagines in oculi fundo majores, minoresve formantur, quàm radiorum decussationem considerat, qui ex diversis objecti punctis veniunt, prout nimirùm sese, vel propiùs, vel remotiùs ab oculo decussare incipiunt, ità ut ad anguli magnitudinem, quàm hi radii efficiunt, quando se invicem in oculi superficie decussant, non attendat. Et licet ultima hæc causa sit præcipua, quæ in Telescopiis notanda est, videtur tamen, hanc eum silentio præterire voluisse; quandoquidem, ut conjicio, nullum illi perspectum erat medium eos radios, ex diversis punctis parallelè prodeuntes, in totidem aliis punctis congregandi, & eam ob causam istum angulum non potuit Mathematicè determinare: fortè reticuit, ne usquam circulum aliis figuris, ab se introductis, præferret. Non enim dubium est, quin hâc in re cunctas alias figuras, quas invenire licet, circulus superet: Nam quia circulus idem ubique est, easdem ubique proprietates habet. Si, exempli cau-



sâ, circulus A B C D hanc possideat proprietatem, ut radii omnes, axi A B paralleli, à parte A venientes, ad eum modum in ejus superficie refringantur, ut postea omnes simul in puncto B coëant; omnes quoque radii, axi C D paralleli, à parte C venientes, ità in superficie refringentur, ut simul in puncto D conveniant: id quod de nullâ alia figurâ affirmare licet; licet Hyperbolæ, ac Ellipses infinitas habent diametros. Ità ergo, ut scribis, se res habet; si nihil nisi oculi, vel Telescopii longitudo attenditur, longissimos Tubos opticos cogeremur fabricare, antequam Res, quæ in Lunâ, tam distinctas, quàm quæ in Terrâ sunt, possemus intueri. Sed, ut dixi, præcipuum in anguli magnitudine consistit, quem radii, ex variis punctis exeuntes, in oculi superficie, quum ibi invicem decussant, efficiunt; hicque angulus major quoque, aut minor evadit, prout vitrorum in tubo collocatorum foci magis, minusve differunt. Si animus hujus rei demonstrationem videre gestit, eam transmittere, quando placuerit, paratus sum.

Voorburgi, 3. Martii, 1667.

EPISTOLA XLV.

Viro Humaniſſimo, atque Prudentiſſimo

J. J.

B. D. S.

Verſio.

Humaniſſime Vir,


POſtrema tua, hujus menſis 14. die ſcripta, rectè mihi tradita fuit; ob varia verò impedimenta citiùs reſpondere non licuit. Conveni Dominum Voſſium de Helvetii negotio, qui (ne omnia in hâc Epiſtolâ, quæ collocuti ſumus, narrem) effuſè ridebat, quin mirabatur, quòd ego de his nugis ex illo quærerem. Ego tamen hoc flocci faciens, ipſum aurificem, cujus cognomen eſt Brechtelt, qui aurum probaverat, adibam: hic verò alium longè ſermonem habuit, quàm Dom. Voſſius, affirmans auri inter liqueſcendum & ſeparandum pondus auctum eſſe, & tantò gravius eſſe redditum, quantum argenti pondus, quod ſeparationis gratiâ crucibulo injecerat, valebat; adeò ut firmiter crederet, hoc aurum, quod ſuum argentum in aurum tranſmutarat, aliquid ſingulare in ſe continere. Nec ille ſolus; ſed diverſi quoque alii Domini, tum temporis præſentes, hoc ità ſeſe habere experti ſunt. Poſt hæc ipſum adii Helvetium, qui mihi & aurum, & crucibulum, interius etiam tum auro obductum, oſtendebat, narrabatque, ſe vix quartam grani hordeacei, vel ſinapis partem plumbo liquefacto injeciſſe. Addebat, ſe totius negotii hiſtoriam brevi editurum, & porrò referebat, quendam virum, (quem eundem illum, qui ſe convenerat, rebatur) eandem operationem Amſtelodæmi feciſſe, de quo procul dubio audiviſti. Hæc de hâc re potui reſciſcere.

Scriptor libelli, cujus mentionem facis (in quo gloriatur, ſe demonſtraturum eſſe, Carteſii rationes in tertiâ, ac quartâ Meditatione prolatas, quibus Dei exiſtentiam demonſtrat, falſas eſſe) certò

certò cum ſuâ pugnabit umbrâ, magiſque ſibi, quàm aliis nocebit. Carteſii, fateor, axioma aliquo modo eſt obſcurum, uti & tu notaſti, atque clariùs, veriuſque ità dixiſſet: *Quòd cogitandi potentia ad cogitandum non major eſt, quàm naturæ potentia ad exiſtendum & operandum.* Clarum hoc, verumque eſt axioma, unde Dei exiſtentia clariſſimè, & efficaciſſimè ex ſuâ ideâ ſequitur. Argumentum memorati Auctoris, quod recenſes, clarè ſatis oſtendit, ſe rem necdum intelligere. Eſt quidem verum, nos in infinitum, ſi hoc pacto Quæſtio in omnibus ſuis partibus ſolvitur, poſſe procedere, alioquin magna eſt ſtultitia. Si, exempli loco, aliquis interroget, per quam cauſam ejuſmodi determinatum corpus moveatur? Reſpondere licet, id ab alio corpore, hocque rurſus ab alio, & ità in infinitum progrediendo ad talem motum eſſe determinatum; hoc, inquam, reſpondere liberum eſt, quia duntaxat de motu Quæſtio eſt, & nos, aliud corpus continuò ponentes, ſufficientem, æternamque iſtius motûs cauſam aſſignamus: Sed ſi ego Librum ſublimibus meditationibus repletum, nitideque ſcriptum in manibus plebei cujuſdam conſpiciam, & ipſum rogem, unde eum habeat librum, ſique mihi, ſe eum ex alio libro alterius plebei, qui quoque nitidè ſcribere noverat, deſcripſiſſe, & ſic in infinitum procedat, is mihi non facit ſatis: nam non tantùm de figuris, ac ordine litterarum interrogo, de quibus tantùm reſpondet; verùm etiam de meditationibus, & ſenſu, quem earundem compoſitio indicat; nihil ad hæc in infinitum ſic progrediens reſpondet. Quomodò hoc ideis applicari queat, facilè ex eo, quod ego in Carteſii Principiorum Philoſophiæ Geometricè à me demonſtratorum axiomate nono declaravi, percipi poteſt.

Pergo jam, ut ad ſecundam tuam epiſtolam, nono Martii exaratam, reſpondeam; in quâ ulteriorem ejus, quod in præcedenti meâ de circulari figurâ ſcripſeram, explicationem exigis. Poteris id facilè capere, ſi modò animadvertere placet, omnes radios, qui ſupponuntur parallelè in anterius Teleſcopii vitrum incidere, reverâ non eſſe parallelos; (quia ſolummodò ex uno, eodemque puncto veniunt) verùm ut tales conſiderari, eò quòd objectum adeò longè à nobis diſtat, ut Teleſcopii apertura inſtar puncti, reſpectu

ſpectu diſtantiæ, tantùm ſit habenda. Certum porrò eſt, nos, ut integrum iutueamur objectum, non modò radiis ex unico ſolo puncto, verùm aliis quoque omnibus radiorum conis ex aliis omnibus punctis prodeuntibus opus habere; & propterea etiam eſſe neceſſarium, ut in tot aliis focis, ubi per vitrum tranſeunt, conveniant. Et quamvis ipſe oculus non ità accuratè conſtitutus eſt, ut omnes radii, ex diverſis objecti punctis venientes, accuratiſſimè in tot aliis in oculi fundo coëant, eſt tamen certum, eas figuras, quæ hoc præſtare poſſunt, aliis omnibus eſſe præferendas. Quandoquidem verò definitum circuli ſegmentum efficere valet, ut omnes radios, qui ex uno procedunt puncto, in aliud ſuæ diametri punctum (mechanicè loquendo) cogat; alios quoque omnes, qui ex aliis objecti punctis veniunt, in tot alia puncta coget. Duci etenim ex quovis objecti puncto linea poteſt, quæ per circuli centrum tranſit, licet eum in finem Teleſcopii apertura minor multò ſit facienda, quàm aliàs fieret, ſi tantùm unico foco eſſet opus, quemadmodum facilè videre poteris.



Quod hic de Circulo dico, non de Ellipſi, non de Hyperbolâ, multò minùs de aliis magis compoſitis affirmari figuris poteſt, quia non niſi unicam ex unico ſolo objecti puncto, quæ per utrumque tranſit focum, lineam ducere poſſibile eſt. Hæc volui in primâ meâ Epiſtolâ hâc de re indicare.

Demonſtrationem, quòd angulus, quem radii, ex diverſis punctis emanantes, in oculi ſuperficie faciunt, major, aut minor, prout foci magis, minuſve differunt, evadit, ex appoſitâ figurâ perſpicere poteris: adeò ut poſt officioſiſſimam ſalutem nil reſtet, niſi ut dicam me eſſe, &c.

Voorburgi, 25. Martii 1667.

EPISTO-

EPISTOLA XLVI.

Viro Humaniſſimo, atque Prudentiſſimo

J. J.


B. D. S.

Verſio.

Humaniſſime Vir,


Hîc paucis, quid de eo, quod primò coram, deinde literis à me petiiſti, experientiâ deprehenderim, narrabo; cui, quid nunc de re ſentiam, adjiciam.

Curavi, ut mihi fabricaretur tubus ligneus, cujus longitudo 10 pedum, cavitas verò 1 ½ digitorum erat, ad quem tres perpendiculares tubos applicui, uti appoſita figura demonſtrat.




Ut primò experirer, num aquæ preſſio circa tubulum B æquè magna, ac circa E, eſſet, tubum M circa A aſſerculo, in eum finem parato, obturavi. Porrò ipſius B orificium tantopere arctabam, ut tubulum vitreum inſtar C caperet. Poſtquam ergo tubum ope Vaſis F aquâ impleviſſem, notabam in quantam ea altitu-

altitudinem per tubulum C profiliret. Deinde tubum B occludebam, &, ſublato aſſerculo A, aqua ut in tubum E flueret, ſinebam, quem eodem modo, ac B, aptaveram; & poſtquam integrum tubum iterùm aquâ repleviſſem, deprehendebam eam in eandem altitudinem per D, ac per C factum fuerat, proſilire: quod mihi, tubi longitudinem nihil, vel valdè parùm impedimento fuiſſe, perſuadebat. Ut verò hoc accuratiùs experirer, tentabam, an etiam tubus E tam brevi temporis ſpatio æquè, ac B, pedem cubicum, ad id paratum, poſſet adimplere. Ut verò tempus menſurarem, quia horologium oſcillatorium ad manum non erat,



vitreo recurvo tubo, ut H, uſus ſum, cujus pars brevior aquæ immergebatur, longior verò in libero pendebat aëre. Hiſce paratis, ſinebam aquam primò per tubum B æquali cum eodem tubo radio fluere, uſque dum pes cubicus impleretur. Tum accuratâ bilance, quantum aquæ interea temporis in catillum L influxerat, explorabam, ac pondus ejus quatuor unciarum deprehendebam. Tubo deinde B occluſo, aquam æquali cum eo radio per tubum E in cubicum pedem fluere ſinebam. Hoc impleto, ponderabam, ut ante, aquam, quæ interea in catillum influxerat, hujuſque illius pondus ne per ſemiunciam quidem ſuperare expertus ſum. Quoniam verò radii tam ex B, quàm ex E, non continuò eâdem vi fluxerant, operationem iterabam, ac tantum aquæ, quantum experientiâ primâ vice opus fuiſſe experti eramus, præſto ut eſſet apportabam. Eramus tres adeò, ac quidem poſſibile erat, occupati, atque memoratam operationem accuratiùs, quàm antea, efficiebamus; verùm non adeò accuratè, ac quidem exoptaveram. Mihi tamen ſatis ſuppeditabatur argumenti, ad hanc rem aliquo modo determinandum; quandoquidem eandem ferè differentiam hâc ſecundâ vice, ac primâ comperiebam. Re ergo, hiſque experimentis perpenſis, cogor concludere, differentiam, quam tubi longitudo poteſt efficere, initio

tantùm locum habere, hoc eſt, quum aqua fluxum ſuum inchoat: ſed, ubi per tempus exiguum fluxum continuavit, æquali vi per tubum longiſſimum, ac per brevem fluxurum. Hujus rei ratio eſt, quòd altioris aquæ preſſio eandem ſemper retinet vim, quodque omnem, quem communicat, motum continuò ope gravitatis recipit; & ideò hunc motum continuò aquæ in tubo contentæ communicabit, uſque dum, propulſa, tantam recipit celeritatem, quantam vim gravitatis aqua altior ei tribuere poteſt. Certum enim eſt, ſi aqua, tubo G contenta, primo momento aquæ, in tubo M, unum conferat celeritatis gradum, ſecundo momento, ſiquidem priorem retineat vim, ut ſupponitur, quatuor celeritatis gradus



eidem aquæ communicabit, & ſic deinceps, uſque dum aqua in tubo longiore M tantum exactè virium accepit, quantum vis gravitatis altioris aquæ, in tubo G conclusæ, ei communicare valet: adeò ut aqua, per tubum quadraginta mille pedes longum decurrens, poſt exactum temporis exiguum ſpatium, altioris aquæ ſolummodò preſſione, tantam acquiſitura ſit celeritatem, quantam eadem acquireret, ſi tubus M unum duntaxat æquaret pedem. Tempus, quod aqua in longiore tubo requirit ad tantam accipiendam celeritatem, determinare potuiſſem, ſi perfectiora nanciſci potuiſſem inſtrumenta. Id tamen minùs neceſſarium exiſtimo, eò quòd præcipuum ſufficienter determinatum eſt, &c.

Voorburgi, 5 Septemb. 1669.

EPISTO-

EPISTOLA XLVII.

Viro Humaniſſimo, ac Prudentiſſimo,

J. J.

B. D. S.

Verſio.

Humaniſſime Vir,

QUum me nuper Profeſſor. N. N. inviſeret, narrabat mihi inter alia, ſe audiſſe Tractatum meum Theologico-Politicum in linguam Belgicam tranſlatum eſſe, ac quendam, cujus nomen ignorabat, in eo eſſe, ut imprimeretur. Quamobrem ſeriò abs te peto, ut in hoc negotium ſedulò inquiras, &, ſi fieri poteſt, impreſſionem impedias. Non ſolùm hæc mea, ſed & multorum meorum Amicorum, notorumque eſt petitio, qui hujus Libri interdictum non libenter viderent, quemadmodum procul dubio fiet, ſi Belgico ſermone prodit. Non dubito, quin hoc mihi, & cauſæ ſis officium facturus.

Quidam Amicorum ante aliquod tempus libellum, cui titulus, *Homo Politicus*, mihi miſit, de quo multa auribus hauſeram. Eundem evolvi, librumque, quem homines excogitare & fingere queunt, pernicioſiſſimum deprehendi. Auctoris ſummum bonum ſunt Honores, & Opes, ad quæ ſuam Doctrinam accommodat, ac eò perveniendi Rationem monſtrat; nempe, interne omnem rejiciendo Religionem, & externè talem profitendo, quæ ſuæ promotioni maximè inſervit: Porrò nemini fidem ſervare, niſi quatenus ea utilitatem ſuam habeat. Reliquum quod ſpectat: Simulare, promittere & promiſſis non ſtare, mentiri, perjurare, multaque alia ſummis effert laudibus. Hæc ubi perlegiſſem, mecum, ut contra hunc auctorem libellum indirectè conſcriberem, cogita-

bam, in quo Summum bonum tractarem, deinde inquietam, ac miseram eorum, qui Honorum, & Divitiarum cupidi sunt, conditionem ostenderem, & denique evidentissimis rationibus, multisque exemplis Respublicas insatiabili Honorum, & Divitiarum cupiditate debere interire, & interiisse evincerem.

Verùm quantò meliores, & præstantiores Thaletis Milesii essent meditationes, quàm hujus memorati Scriptoris, vel ex hoc patet ratiocinio. Omnia, inquiebat, amicorum sunt communia: Sapientes sunt Deorum amici, & Deorum sunt omnia: Ergo Sapientum sunt omnia. Ità uno verbo Vir ille sapientissimus se fecit ditissimum, magis contemnendo generosè divitias, quàm eas fordidè quærendo. Aliàs tamen ostendit, Sapientes non ex necessitate, sed voluntate divitiis carere. Quum enim amici ei paupertatem suám exprobrarent, respondit; Vultisne, ut ostendam, me posse acquirere id, quod ego labore meo indignum judico, vos autem tantâ diligentiâ quæritis? illis annuentibus, conduxit omnia præla totius Græciæ, (viderat enim, ut erat Astrologus insignis, fore magnam olivarum abundantiam, quarum annis præcedentibus magna fuerat penuria) & elocavit, quanti voluit, ea, quæ viliissimo pretio conduxerat, atque magnas divitias unico anno sibi comparavit, quas deinde tam liberaliter distribuit, quàm industriâ acquisiverat, &c.

Hagæ Comitis 17.
Feb. 1671.

EPISTOLA XLVIII.

Doctissimo, atque Ornatissimo Viro

J. O.

L. D. V. M. Dr.

Doctissime Vir,

NActus tandem aliquod vacuum tempus, illico applicui animum ad satisfaciendum votis, atque postulatis tuis. Poscis autem, ut declarem tibi sententiam meam, adornans judicium meum de libro, qui inscribitur discursus Theologo-Politicus, quod nunc pro copiâ temporis, & meâ facultate facere constitui. Non autem ibo per singula, sed per compendium, auctoris sensum, animumque ejus de religione exponam.

Cujus gentis ille sit, aut quod vitæ institutum sequatur, me fugit, etiam nihil interest id scire. Illum non esse stupidi ingenii, nec supinè, & perfunctioriè religionis controversias, quæ in Europâ inter Christianos agitantur, tractâsse, atque introspexisse, libri ipsius argumentum satis prodit. Sibi persuasit hujus libri scriptor, se felicius versaturum in examinandis sententiis, per quas homines prorumpunt in factiones, & eunt in partes, si præjudicia deponat & exuat. Hinc plus satis laboravit ad vindicandum animum ab omni superstitione, à quâ ut se immunem præberet, nimiùm se flexit in contrarium, &, ut superstitiosi culpam vitaret, omnem mihi videtur exuisse religionem: Saltem non assurgit supra religionem Deistarum, quorum satis ubique magnus numerus (ut sunt pessimi hujus seculi mores) est, & præsertim in Galliâ: contra quos edidit Tractatum Mersennus, quem olim me legere memini. Sed existimo vix ullum ex Deistarum numero, tam malo animo, tamque callidè, & versutè pro pessimâ illâ causâ verba feciisse, quàm hujus dissrtationis auctorem. Præterea, nisi me conjectura fallat, iste homo

ſe Deiſtarum finibus non includit, & minores cultûs partes hominibus ſupereſſe ſinit.

Deum agnoſcit, eumque Univerſi opificem, atque conditorem eſſe profitetur: Sed formam, ſpeciem, ordinem mundi planè neceſſarium ſtatuit, æquè ac Dei naturam, & æternas veritates, quas extra Dei arbitrium conſtitutas eſſe vult: ideò etiam diſertè pronunciat, omnia indomitâ neceſſitate, fatoque inevitabili evenire. Et ſtatuit, res rectè putantibus præceptis, atque mandatis nullum relinqui locum: ſed hominum ignorantiam invexiſſe ſimul hujuſmodi nomina, quemadmodum vulgi imperitia locum fecit modis loquendi, quibus Deo affectus tribuuntur. Deus itaque pariter ad captum hominis ſeſe accommodat, quando illas æternas veritates, & reliqua, quæ neceſſario evenire debent, per formam mandati hominibus exponit. Docetque, tam neceſſe eſſe, ea, quæ legibus imperantur, & hominum voluntati ſubſtracta eſſe putantur, evenire, quàm neceſſaria eſt trianguli natura, atque ideò illa, quæ præceptis continentur, non magis ab hominis voluntate pendere, aut ex eorum fugâ, aut proſecutione aliquid boni, aut mali hominibus procurari, quàm precibus Dei voluntatem flecti, aut æterna, atque abſoluta ejus decreta mutari. Præceptorum itaque, atque decretorum eandem rationem eſſe, atque in hoc convenire, quòd hominis imperitia, atque ignorantia Deum moverit, ut eorum uſus aliquis eſſet apud eos, qui perfectiores de Deo cogitationes formare non poſſunt, quique hujuſmodi miſeris præſidiis indigent ad excitandum in ſe virtutis ſtudium, & vitiorum odium, & ideò videre licet auctorem, nullam mentionem in ſuo ſcripto facere uſûs precum, quemadmodum nec vitæ, nec mortis, neque cujuſquam remunerationis, aut pœnæ, quibus à judice univerſi afficiendi ſunt homines.

Idque facit congruenter ſuis principiis, nam quis locus eſſe poteſt judicio extremo? Aut quæ expectatio præmii, aut pœnæ, quando fato omnia adſcribuntur, & inevitabili neceſſitate omnia à Deo emanare ſtatuitur, vel potiùs, quando totum hoc univerſum Deum eſſe ſtatuit? Nam vereor ne noſter auctor non admodùm alienus ſit ab illâ ſententiâ: ſaltem non longè diſcrepant, ſta-

ſtatuere omnia neceſſario à Dei naturâ emanare, & Univerſum ipſum Deum eſſe.

Ponit tamen ſummam voluptatem hominis in cultu virtutis, quæ ipſa ſibi præmium & theatrum ampliſſimorum eſſe dicit: & ideò vult hominem rectè rerum intelligentem debere virtuti operam dare, non propter præcepta, & legem Dei, aut ſpem præmii, aut pœnæ metum, ſed pulchritudine virtutis, & mentis gaudio, quod homo in uſu virtutis percipit, illectum.

Statuit itaque, Deum per Prophetas & revelationem homines præmiorum ſpe, & pœnarum metu, quæ duo ſemper legibus connexa ſunt, per ſpeciem tantùm ad virtutem hortari, quia vulgarium hominum ingenium ità factum eſt, tamque malè informatum, ut non, niſi argumentis à naturâ legum, & à metu pœnæ, & ſpe præmii mutuatis, ad virtutis exercitationem impelli poſſint: at homines rem ex vero æſtimantes, intelligere hujuſmodi argumentis nullam veritatem, aut vim ſubeſſe.

Neque quicquam referre putat, quamvis rectè hoc axiomate conficiatur, Vates & Doctores ſacros, atque adeò Deum ipſum, per quorum os Deus hominibus eſt loquutus; uſos eſſe argumentis per ſe, ſi eorum natura æſtimatur, falſis: palam enim & promiſcuè, quando uſus venit, profitetur & inculcat, Sacram Scripturam non eſſe comparatam, ut veritatem, & naturas rerum, quarum in ea fit mentio, & quas in ſuum uſum confert ad informandos homines ad virtutem, doceat; negatque Vates ità rerum peritos fuiſſe, ut omnino à Vulgi erroribus fuerint immunes in conficiendis argumentis, & in rationibus excogitandis, quibus homines ad virtutem excitabant, quamvis natura virtutum & vitiorum moralium iis fuerit exploratiſſima.

Et ideò Auctor præterea docet, Prophetas etiam tunc, cùm eos, ad quos mittebantur, officii ſui admonebant, aberratione judicii non fuiſſe liberos, nec tamen ideo eorum ſanctitatem & αὐτοπιϛίαν imminutam; quamvis ſermonem & argumentis non veris, ſed ad præconceptas opiniones eorum, ad quos verba faciebant, accommodatis utebantur, iiſque homines ad virtutes, de quibus nullus unquam ambigit, & de quibus nulla eſt controverſia inter homi-

nes,

nes, excitabant. Quandoquidem finis missionis Prophetæ erat cultus virtutis in hominibus promovendus, non ullius veritatis doctrina. Et ideò existimat illum errorem, & ignorantiam Prophetæ auditoribus, quos ad virtutem inflammabat, non fuisse noxiam, quia parùm interesse putat, quibus argumentis excitemur ad virtutem, modò ea moralem virtutem, ad quam incendendam comparata sunt, & à Vate in medium prolata, non evertant: quia aliarum rerum veritas, mente percepta, nullum momentum habere putat ad pietatem, quando morum sanctitas re ipsâ non continetur eâ veritate, putatque veritatis, atque etiam mysteriorum cognitionem eò plus, aut minùs necessariam esse, quanto plus, aut minùs ad pietatem conferunt.

Puto auctorem respicere ad axioma illud Theologorum, qui distinguunt inter sermonem Vatis dogmatizantis, & simpliciter aliquid enarrantis, quæ distinctio, ni fallor, apud omnes Theologos recepta est, & cui doctrinæ suum per errorem summum congruere putat.

Et ideò existimat, omnes eos pedibus in suam sententiam ituros, qui negant rationem, & Philosophiam esse Scripturæ interpretem. Cùm enim constet omnibus in Scripturâ infinita de Deo prædicari, quæ Deo non conveniunt, sed accommodata sunt ad hominum captum, ut homines iis moveantur, & virtutis studium in iis excitetur, statuendum esse putat, Doctorem Sacrum iis argumentis, non veris, voluisse homines erudire ad virtutem, aut cuivis, sacram Scripturam legenti, eam libertatem concessam, ut ex principiis suæ rationis judicet de sensu, & scopo Doctoris sacri, quam sententiam auctor prorsùs damnat, & explodit unà cum iis, qui cum Theologo paradoxo docent, rationem Scripturæ interpretem esse. Arbitratur enim, Scripturam juxta sensum literalem intelligendum, neque hominibus concedendum libertatem interpretandi ex suo arbitrio, & rationis sensu, quid prophetarum verbis intelligi debeat, ità ut ad suas rationes & cognitionem, quam de rebus sibi compararunt, examinent, quando Prophetæ propriè, & quando figurate sunt loquuti. Sed de his in sequentibus dicendi locus erit.

Et

Et ut redeam ad ea, à quibus nonnihil diverteram, Auctor inhærens ſuis principiis, de fatali omnium rerum neceſſitate, negat ulla miracula fieri, quæ legibus naturæ adverſentur: quia ſtatuit, ſicut ſuprà monuimus, naturas rerum, earumque ordinem non minùs neceſſarium quid eſſe, quàm ſunt natura Dei, æternæque veritates: ideoque docet æquè non poſſe fieri, ut aliquid à naturæ legibus deflectat, quàm ut fieri non poſſit, ut in triangulo tres anguli non ſint æquales duobus rectis.

Deum non poſſe efficere, ut pondus minùs grave attollat magis grave, aut quòd corpus motum duobus gradibus motûs poſſit aſſequi corpus, quod quatuor gradibus motûs movetur. Statuit itaque miracula communibus naturæ legibus ſubjici, quas docet eſſe immutabiles æquè, ac ipſas naturas rerum, nempe quia naturæ legibus ipſæ naturæ contineantur: neque admittit aliam Dei potentiam, quàm ordinariam, quæ juxta naturæ leges exeritur, & putat aliam fingi non poſſe, quia naturas rerum deſtrueret, ſecumque ipſa pugnaret.

Eſt itaque, ex Auctoris mente, *miraculum*, *quod inopinatò*, *& cujus cauſam vulgus ignorat*, *evenit*; quemadmodum idem vulgus precum viribus, & ſingulari Dei directioni attribuit, quando poſt rite conceptas preces, imminens aliquod malum propulſatum, aut expetitum bonum ſibi videtur obtinuiſſe, cùm tamen, ex Auctoris ſententiâ, Deus jam ab æterno abſolutè decreverit, ut ea evenirent, quæ vulgus interventu, & efficaciâ exiſtimat eveniſſe: cum preces non ſint cauſa decreti, ſed decretum ſit cauſa precum.

Totum illud de fato, & rerum indomitâ neceſſitate, tam quoad naturas, quàm quoad eventum rerum, quæ quotidie contingunt fundat in naturâ Dei, vel ut clariùs loquar, in naturâ Dei voluntatis atque intellectus, quæ quidem nomine diverſa, ſed in Deo re ipſâ conveniunt. Statuit ideoque Deum tam neceſſariò hoc univerſum, & quicquid ſucceſſivè in eo evenit voluiſſe, quàm neceſſariò hoc idem univerſum cognoſcit. Si Deus autem neceſſariò cognoſcit hoc univerſum ejuſque leges, ut & veritates æternas iis legibus contentas, concludit Deum, aliud univerſum non magis condere potuiſſe, quàm naturas rerum evertere, & facere, ut bis

ter ſint ſeptem. Quemadmodum itaque nos ab hoc univerſo, ejuſque legibus, ſecundum quas ortus, & interitus rerum fiunt, non poſſimus aliquid diverſum concipere, ſed quicquid hujuſmodi à nobis fingi poſſit, id ipſum ſe ſubvertere: Sic docet Naturam divini intellectus, totiuſque univerſi, earumque legum, ſecundùm quas natura procedit, ità comparatam eſſe, ut Deus non magis ſuo intellectu ullas res intelligere potuerit ab his, quæ nunc ſunt, diverſas, quàm fieri poſſit, ut res nunc à ſeipſis ſint diverſæ. Conficit itaque, quòd quemadmodum Deus nunc ea efficere non poteſt, quæ ipſa ſe ſubvertunt, ità Deum naturas ab his, quæ nunc ſunt, diverſas nec fingere, nec cognoſcere poſſe, quia tam earum naturarum comprehenſio & intellectio impoſſibilis eſt, (quia repugnantia ponit ex ſenſu Auctoris) quàm nunc eſt impoſſibilis productio rerum ab iis, quæ nunc ſunt, diverſarum: quia omnes illæ naturæ, ſi concipiantur ab his, quæ nunc ſunt, diverſæ, neceſſariò etiam cum iis, quæ nunc ſunt, eſſent pugnantes: quia cùm naturæ rerum hoc univerſo comprehenſarum (ex Auctoris ſententiâ) ſunt neceſſariæ, non poſſunt illam neceſſitatem habere ex ſe, ſed ex naturâ Dei, à quâ neceſſariò emanant. Non vult enim cum Carteſio, cujus tamen doctrinam videri vult adoptaſſe, omnium rerum naturas, quemadmodum à Dei naturâ & eſſentiâ ſunt diverſæ, ità earum ideas liberè in mente divinâ eſſe.

Hiſce, de quibus jam eſt habitus ſermo, Auctor ſibi munivit viam ad ea, quæ in fine libri tradit, & quo omnia, quæ in præcedentibus capitibus docentur, collimant. Vult nempe mentem Magiſtratûs, omniumque hominum informare hoc axiomate: Magiſtratui competere jus conſtituendi cultûs divini, qui publicè in Reipublicâ obtinere debeat. Deinde Magiſtratui fas eſſe, civibus ſuis permittere, ut de religione ſentiant, & loquantur, quemadmodum mens animuſque iis dictat, eamque libertatem, etiam quantum ad actus cultûs externi, eò uſque ſubditis concedendam.

Quoad ſtudium virtutum moralium, ſive ut pietas ſarta tecta manere poſſit, cùm enim de iis virtutibus nulla controverſia eſſe poſſit, & reliquarum rerum cognitio, & uſus nullam virtutem moralem

lem contineant, inde conficit Deo ingratum esse non posse qualiacunque sacra alioquin homines amplectantur : loquitur autem Auctor de iis sacris, quæ virtutem moralem non constituunt, nec in eam impingunt, quæque virtuti nec adversa sunt, neque ab ea aliena; sed quæ homines suscipiunt atque profitentur, tanquam adminicula virtutum verarum, ut ità Deo per studium earum virtutum accepti & grati esse possint, quia Deus non offenditur earum studio & exercitatione, quæ indifferentes cum sunt, neque quidquam faciunt ad virtutes aut vitia, eas tamen homines ad usum pietatis referunt, iisque tanquam præsidiis ad virtutis cultum utuntur.

Auctor autem, ut hominum animos apparet ad hæc paradoxa amplectenda, statuit primò, totum cultum a Deo institutum, & Judæis, hoc est, civibus Reipublicæ Israëliticæ, traditum, tantùm ad id comparatum esse, ut feliciter in suâ Republicâ ætatem agerent; cæterùm Judæos autem præ cæteris gentibus Deo charos & gratos non fuisse: idque Deum per Prophetas Judæis passim fuisse testatum, quando iis exprobrabat ipsorum imperitiam & errorem, quòd in cultu illo instituto, & à Deo ipsis imperato sanctimoniam, & pietatem collocarent, cùm ea tantum ponenda erat in studio virtutum moralium, nempe in amore Dei, & Charitate proximi.

Et cùm Deus omnium gentium animum informârit principiis, & quasi seminibus virtutum; ità ut suâ sponte sine ullâ fermè institutione de discrimine boni & mali judicent, inde conficit, Deum reliquas gentes non habuisse expertes earum rerum, quibus vera beatitudo parari potest; sed se omnibus hominibus æquè beneficum præbuisse.

Imò ut in omnibus, quæ ad assequendam veram felicitatem aliquâ ratione præsidio & usui esse possunt, gentes Judæis pares faciat, statuit gentes veris vatibus non caruisse, idque exemplis probare instituit. Imò insinuat Deum per angelos bonos, quos, ex consuetudine in V. Testamento usitatâ, Deos vocat, imperio rexisse reliquas gentes. Et ideò sacra reliquarum gentium Deo non displicuisse, quamdiu per hominum superstitionem ità non corrumperentur,

rentur, ut à verâ ſanctitate homines redderent alienos, neque eos impellerent ad ea perpetranda in religione, quæ virtuti non congruunt. Deum autem vetuiſſe Judæis propter rationes ſingulares, & iſti populo proprias, gentium Deos colere, qui ex Dei inſtituto, & procuratione æquè rectè colebantur à Gentibus, ac Angeli, Judæorum Reipublicæ cuſtodes conſtituti, à Judæis ſuo modo Deorum numero habebantur, & divinis ab iis afficiebantur honoribus.

Et cùm Auctor arbitretur in confeſſo eſſe, cultum externum per ſe Deo gratum non eſſe, parùm referre exiſtimat, quibus ceremoniis cultus ille externus expediatur, modò hujuſmodi ſit, qui ità Deo congruat, ut in mente hominum Dei reverentiam excitet, eoſque ad virtutis ſtudium moveat.

Deinde, quandoquidem totius religionis ſummam contineri putat cultu virtutis, omniſque myſteriorum cognitio ſupervacua, quæ per ſe apta nata non eſt ad promovendam virtutem, illaque potior magiſque neceſſaria habeatur, quæ plus momenti ad homines ad virtutem erudiendos & inflammandos confert, conficit omnes illas ſententias de Deo, ejuſque cultu, deque iis omnibus, quæ ad religionem pertinent, probandas, aut ſaltem non rejiciendas, quæ ex mente hominum illorum, qui illas fovent, veræ ſunt, & comparatæ, ut probitas vigeat, floreatque. Et ad illud dogma ſtabiliendum, ipſos Prophetas citat ſuæ ſententiæ auctores & teſtes, qui edocti Deum nihili pendere, quales homines de religione ſenſus habeant, ſed illum cultum, illaſque omnes ſententias Deo gratas eſſe, quæ ex ſtudio virtutum, & reverentiâ numinis profectæ ſunt, ſibi eò uſque indulſerunt, ut etiam talia argumenta, quibus homines ad virtutem incitarentur, protulerint, quæ quidem in ſe vera non erant, ſed ex opinione eorum, ad quos verba faciebant, talia æſtimabantur, & apta nata erant ad calcar iis addendum, quò alacriùs ſe ad virtutis ſtudium accingerent. Ponit itaque Deum Prophetis argumentorum ſelectu permiſiſſe, ut ea adhiberent, quæ temporibus & perſonarum rationibus eſſent accommodata, quæque illi pro ſuo captu bona & efficacia putabant.

Et inde natum putat, quòd Divinorum Doctorum alii aliis argumentis & ſæpe pugnantibus inter ſe uſi ſint, Paulum docuiſſe hominem

minem non juſtificari operibus, Jacobum hiſce oppoſitum incalcaſſe. Videbat nempe Jacobus, ità exiſtimat auctor, Chriſtianos doctrinam de juſtificatione per fidem aliorſùm rapere, & ideò per fidem & opera juſtificari hominem, multis probat. Intelligebat enim ex re Chriſtianorum ſui temporis non eſſe, illam doctrinam de fide, quâ homines placidè quieſcebant in Dei miſericordiâ, & bonorum operum nullam fermè habebant curam, ità inculcare, eoque modo proponere, ut fecerat Paulus, cui cum Judæis res erat, qui per errorem Juſtificationem ſuam ponebant in operibus legis, à Moſe ipſis ſpecialiter traditæ, & quâ ſe ſupra gentes elatos, & aditum ad beatitudinem ſibi ſolùm paratum putantes, ſalutis rationem per fidem, quâ exæquabantur gentibus, & nudi ac vacui ab omnibus privilegiis conſtituebantur, rejiciebant. Cùm itaque utraque propoſitio, tam Pauli, quàm Jacobi pro diverſis temporum, ac perſonarum momentis, & appendicibus egregiè conferebat, ut homines attenderent animum ad pietatem, putat Auctor prudentiæ Apoſtolicæ fuiſſe, modò hanc modò illam adhibere:

Et hæc eſt, inter alias multas, cauſa, quamobrem Auctor putat admodum à veritate alienum eſſe, ſacrum textum per rationem velle explicare, eamque interpretem Scripturæ conſtituere, aut unum Doctorem ſacrum per alium interpretari, cùm ſint paris auctoritatis, & verba eorum, quibus uſi ſunt, explicanda ſunt ex formâ loquendi, & ſermonis proprietate iſtis Doctoribus familiari: non autem eſſe attendendum, in inveſtigatione veri ſenſûs Scripturæ, ad rei naturam, ſed ad ſenſum litteralem tantùm.

Cùm itaque ipſe Chriſtus, & reliqui Doctores divinitùs miſſi, ſuo exemplo & inſtituto, præierunt & oſtenderunt, ſolummodò virtutum ſtudio homines graſſari ad felicitatem, reliqua nihil penſi habenda, inde Auctor efficere vult, Magiſtratui id tantùm curæ eſſe debere, ut juſtitia & probitas in Reipublicâ vigeat, in minimâ autem parte ſui muneris ponere, expendere quis cultus, & quæ doctrinæ veritati potiſſimùm congruant; ſed curare debere, ne hujuſmodi ſuſcipiantur, quæ virtuti obicem ponant, etiam ex eorum ſententiâ, qui ea profitentur.

Magiſtratum itaque facilè ſine offenſione numinis poſſe in ſuâ

Republicâ tolerare diverſa ſacra. Ut autem is perſuadeat, etiam hâc viâ inſiſtit. Ponit rationem virtutum moralium, quatenus illi in Societatibus uſum habent, & in actibus externis occupatæ ſunt, hujuſmodi eſſe, ut nemo eas ex privato judicio & arbitrio exercere debeat, ſed earum virtutum cultum, exercitium, & modificationem dependere ab auctoritate & imperio Magiſtratûs, tum quia actus externi virtutum mutuantur ſuam naturam à circumſtantiis, cum etiam, quia hominis officium ad hujuſmodi actiones externas patrandas æſtimatur ex commodo aut incommodo, quod ex illis actibus proficiſcitur: ità ut actus illi externi, ſi tempeſtivè non exerantur, virtutum naturam exuant, & illis oppoſiti virtutum numero cenſeri debeant. Auctor aliam rationem virtutum eſſe arbitratur, ut, quatenus intus in Mente ſubſiſtunt, illæ ſemper naturam ſuam ſervant, neque à circumſtantiarum mutabili ſtatu pendent.

Nunquam alicui licet propenſum eſſe ad crudelitatem & ſævitiam, non amantem proximi, & veritatis: Sed poſſunt incidere tempora, quibus quidem animi propoſitum, & enarrataram virtutum ſtudium non quidem deponere liceat; ſed ſe ab iis, quoad actùs externos, aut temperare, aut etiam ea agere, quæ, quoad ſpeciem externam, cum his virtutibus pugnare putantur: & ita fiat, ut non ſit ampliùs officium viri probi veritatem in aperto ponere, & ore aut ſcripto cives illius veritatis participes facere, eamque cum iis communicare: ſi plus incommodi, quàm commodi ex illa manifeſtatione in cives redundaturum putamus. Et quamvis ſinguli omnes homines amore complecti debeant, neque unquam liceat illi affectui nuncium mittere, evenit tamen ſæpius, ut quidam duriter à nobis ſine vitio poſſint haberi, quando conſtat ex clementiâ, quâ erga eos uti paramus, magnum malum nobis orituram. Ità quidem omnes exiſtimant, non omnes veritates, ſive illæ ad religionem, ſive ad vitam civilem pertinent, omni tempore opportunè proponi. Et qui docet roſas porcis non eſſe objiciendas, ſi metus eſt eos ſævituros in eos, qui ipſis eas porrigunt, is pariter non exiſtimat viri boni officium eſſe de quibuſdam capitibus religionis plebem edocere, de quibus in medium prolatis, &

ſparſis

ſparſis in plebem, metus eſt, ne ità turbent Rempublicam, aut Eccleſiam, ut inde civibus & ſanctis plus noxæ, quàm boni creëtur.

Cùm autem præter alia, etiam hoc Societates Civiles, à quibus imperium & auctoritas ferendarum legum ſejungi non poteſt, introduxerint, quòd ſingulorum arbitrio, quid hominibus in civile corpus coaleſcentibus uſui eſſet, permitti non debuit, ſed imperantibus concedi, inde Auctor arguit, penes Magiſtratum jus eſſe ſtatuendi, qualia & quæ dogmata in Republicâ publicè doceri debeant, & ſubditorum officium eſſe, ad profeſſionem externam quod attinet, ſeſe temperare à docendis dogmatibus, & ab iis profitendis, de quibus publicè ſilendum eſſe Magiſtratus legibus ſanxit; quia Deus hoc non magis privatorum judicio permiſit, quàm iiſdem conceſſit contra ſenſus & decreta Magiſtratûs, aut ſententiam judicum ea agere, quibus eluditur vis legum, & fruſtrantur ſuo fine Magiſtratus. Exiſtimat enim Auctor de hujuſmodi rebus cultum externum, ejuſque profeſſionem ſpectantibus, homines paciſci poſſe, & actus cultûs Divini externos, tam tutò committi Magiſtratûs Judicio, quàm eidem conceditur jus & poteſtas æſtimandi injuriam civitati illatam, eandemque per vim vindicandi. Nam quemadmodum privatus non tenetur ſuum judicium de illatâ injuriâ civitati accommodare ad judicium Magiſtratûs; ſed ſuo ſenſu frui tamen poſſit, quamvis (ſi res ità ferat) teneatur ad Magiſtratûs ſententiam executioni mandandam etiam operam ſuam conferre; ita Auctor atbitratur, privatorum in Republicâ partes quidem eſſe, judicare de veritate & falſitate, ut & de neceſſitate alicujus dogmatis: neque privatum legibus civitatis adſtringi poſſe, ut idem de religione ſentiat, quamvis ex judicio Magiſtratûs pendeat, quæ dogmata publicè proponi debeant, & privatorum officium ſit, ſenſus ſuos de religione à Magiſtratûs ſententiâ diſſentientes ſilentio premere, neque quicquam hujuſmodi agere, quo leges de cultu à Magiſtratu conſtitutæ vim ſuam obtinere non poſſint.

At quia evenire poteſt, ut Magiſtratus diſſentiens à multis ex plebe in religionis capitibus, quædam publicè doceri velit, quæ à judicio plebis aliena ſunt, & Magiſtratus tamen exiſtimat honoris

divini

divini intereſſe, palàm in ſuâ Republicâ talium dogmatum profeſſionem fieri, vidit Auctor ſupereſſe illam difficultatem, quâ civibus propter judicium Magiſtratûs diverſum à plebis judicio, creari poſſet damnum maximum, ideò ad præcedentem rationem, etiam hanc alteram addit Auctor, quæ ſimul, & Magiſtratûs atque ſubditorum animum tranquillet, & libertatem in religione ſartam tectam conſervet. Nempe Magiſtratum non debere vereri Dei iram, quamvis prava ſuo judicio ſacra in ſuâ Republicâ fieri ſinat, modò illa non pugnent cum virtutibus moralibus, eaſque non evertant. Cujus ſententiæ ratio te fugere non poteſt, cùm in ſuperioribus ſatis fuſè eam tradidi: Nempe ſtatuit Auctor, Deum ſuſque deque habere, nec curâ tangi quales opiniones homines in religione foveant, & animo probent atque tueantur, & qualia publicè ſacra curent, cùm hæc omnia cenſeri debeant ex numero rerum cum virtute & vitio nullam affinitatem habentium: quamvis cujuſvis officium ſit ità rationes ſuas inſtituere, ut ea dogmata, eumque cultum habeat, quibus putat ſe maximos in virtutis ſtudio progreſſûs facere poſſe.

Habes hîc, Vir Ornatiſſime, per compendium tibi tradĭtam ſummam doctrinæ Theologi-politici, quæ meo judicio omnem cultum & religionem tollit, atque funditùs ſubvertit, clam Atheiſmum introducit, aut talem Deum fingit, cujus Numinis reverentiâ non eſt quod homines tangantur, quia ipſe fato ſubjicitur, neque ullus gubernationi aut providentiæ divinæ locus relinquitur, omniſque pœnarum atque præmiorum diſtributio tollitur. Hoc ſaltem ex Auctoris ſcripto videre in promptu eſt, ejus ratione, & argumentis infringi totius Sacræ Scripturæ auctoritatem, & dicis cauſâ apud Auctorem ejus tantùm mentionem fieri: quemadmodum ex ejus poſitionibus conſequitur, Alcoranum etiam Dei Verbo exæquandum. Neque Auctori ſupereſt vel unum argumentum, quo probet Mahometem non fuiſſe Prophetam verum, quia Turca etiam ex Prophetæ ſui præſcripto virtutes morales, de quibus inter gentes lis non eſt, colunt; & ſecundùm Auctoris doctrinam Deo infrequens non eſt, etiam gentibus, quibus oracula, Judæis & Chriſtianis tradita, non eſt impartitus, aliis revelationibus in gyrum rationis, & obedientiæ ducere. Arbi-

Arbitror itaque me non magnopere à vero aberraſſe, neque Auctori à me injuriam fieri, ſi denunciem eum tectis, & fucatis argumentis merum Atheiſmum docere.

EPISTOLA XLIX.

Doctiſſimo, atque Ornatiſſimo Viro

J. O.

B. D. S.

Doctiſſime Vir,

MIraris ſine dubio, quòd te tamdiu exſpectare feci; ſed ego vix animum inducere poſſum, ut ad libellum illius Viri, quem mihi communicare voluiſti, reſpondeam, nec ullâ aliâ de cauſâ jam hoc facio, quàm quia promiſi. Verùm ut meo etiam animo, quoad ejus fieri poteſt, morem geram, quàm paucis potero, me diſſolvam, & breviter oſtendam, quàm ille ſiniſtrè meam mentem interpretatus ſit, quod an ex malitiâ, vel ex ignorantiâ fecerit, haud facilè dixerim. Sed ad rem.

Primò ait, *parùm intereſſe ſcire cujus gentis ego ſim, aut quod vitæ inſtitutum ſequar.* Quod ſanè ſi noviſſet, non tam facilè ſibi perſuaſiſſet, me Atheiſmum docere. Solent enim Athei honores, & divitias ſupra modum quærere, quas ego ſemper contempſi, ut omnes, qui me nôrunt, ſciunt. Deinde ut ad id, quod vult, viam ſterneret, ait, me non ſtupidi ingenii eſſe, ut faciliùs, ſcilicet, perſuadere poſſit, me callidè, & verſutè, maloque animo pro peſſimâ Deiſtarum cauſâ verba feciſſe. Quod ſatis oſtendit, illum meas rationes non intellexiſſe. Nam quis tam callido ingenio, tamque aſtuto eſſe poteſt, ut ſimulato animo tot, tamque validas rationes pro re, quam falſam æſtimat, dare poſſit? quem, inquam, poſthac putabit ex vero animo ſcripſiſſe, ſi tam ficta, quàm vera ſolidè demonſtrari poſſe credit? Sed nec hoc jam miror. Sic enim olim Carteſius à Voetio, & ſic paſſim optimi quique traducuntur.

Pergit deinde. *Ut ſuperſtitioſi culpam vitaret, omnem mihi videtur exuiſſe religionem.* Quid ille per Religionem, quidque per ſuperſtitionem intelligat, neſcio. An, quæſo, ille omnem religionem exuit, qui Deum ſummum bonum agnoſcendum ſtatuit, eundemque libero animo, ut talem, amandum? & quòd in hoc ſolo noſtra ſumma felicitas, ſummaque libertas conſiſtit? porrò quod præmium virtutis ſit ipſa virtus, ſtultitiæ autem, & impotentiæ ſupplicium ſit ipſa ſtultitia? & denique quòd unusquiſque proximum ſuum amare debet, & mandatis ſummæ poteſtatis obedire? Atque hæc non tantùm expreſſè dixi, ſed firmiſſimis inſuper rationibus demonſtravi. Verùm videre puto, quo in luto hic homo hæreat. Nihil ſcilicet in ipſâ virtute, & intellectu reperit, quod ipſum delectet, & mallet ex impulſu ſuorum affectuum vivere, niſi hoc unum obſtaret, quod pœnam timet. A malis igitur actionibus, ut ſervus, invitus, & fluctuante animo abſtinet, & divina mandata exequitur, & pro hoc ſervitio muneribus, ipſo divino amore longè ſuavioribus, à Deo honorari exſpectat ſcilicet, & eò magis, quò magis bonum, quod agit, adverſatur, & invitus facit; atque hinc fit, ut omnes, qui hoc metu non retinentur, effrenatos vivere, omnemque religionem exuere, credat. Sed hæc mitto, & ad ejus deductionem, quâ oſtendere vult, me tectis, & fucatis argumentis Atheiſmum docere, tranſeo.

Fundamentum ipſius ratiocinii eſt hoc, quòd putat, me Dei libertatem tollere, eumque fato ſubjicere. Quod ſanè falſum eſt. Nam ego eodem modo ſtatui, omnia inevitabili neceſſitate ex Dei naturâ ſequi, ac omnes ſtatuunt, ex Dei naturâ ſequi, quòd ſe ipſum intelligit: quod ſanè nemo negat ex divinâ naturâ neceſſario ſequi; & tamen nemo concipit, quòd Deus fato aliquo coactus, ſed quòd omninò liberè, tametſi neceſſariò, ſeipſum intelligat. Atque hîc nihil reperio, quod ab unoquoque non poſſit percipi, & ſi hæc nihilominùs ex malo animo dicta eſſe credit, quid ergo de ſuo Carteſio ſentit, qui ſtatuit nihil à nobis fieri, quod à Deo antea non fuerit præordinatum, imò nos ſingulis momentis à Deo, quaſi de novo creari, & nihilominùs nos ex noſtri arbitrii libertate agere; quod profectò, ipſo Carteſio fatente, comprehendere nemo poteſt.

Porrò

Porrò hæc inevitabilis rerum neceſſitas neque leges divinas, neque humanas tollit. Nam documenta moralia, ſive formam legis ab ipſo Deo accipiant, ſive non, divina tamen ſunt, & ſalutaria, & ſi bonum, quod ex virtute, & amore divino ſequitur, à Deo tanquam judice accipiamus, vel quòd ex neceſſitate divinæ naturæ emanet, non propterea magis, aut minùs optabile erit, ut nec contrà mala, quæ ex malis operibus ſequuntur, ideo, quia neceſſariò ex iiſdem ſequuntur, minùs ſunt timenda; & denique ſive ea, quæ agimus neceſſariò, vel liberè agamus, ſpe tamen, aut metu ducimur. Quare falſò aſſerit, *me ſtatuere præceptis, atque mandatis nullum relinqui locum*, vel ut poſtea pergit, *quòd nulla exſpectatio præmii, aut pœnæ eſt, quando fato omnia adſcribuntur, & inevitabili neceſſitate omnia à Deo emanare ſtatuitur.*

Nec hîc jam quæro, cur idem ſit, vel non multùm diſcrepent, ſtatuere omnia neceſſariò à Dei naturâ emanare, & univerſum Deum eſſe; ſed velim ut notes ea, quæ non minùs odioſè ſubjungit. Nempe *me velle hominem debere virtuti operam dare, non propter præcepta, & legem Dei, aut ſpem præmii, aut pœnæ metum, ſed* &c. Quod ſanè in meo Tractatu nullibi reperies: ſed contrà Cap. IV. expreſſè dixi, Legis divinæ (quæ Menti noſtræ divinitùs inſcripta eſt, ut Cap. II. dixi) ſummam, ejuſque ſummum præceptum eſſe, Deum, ut ſummum bonum, amare; nempe non ex metu alicujus ſupplicii, (nam amor ex metu oriri nequit) nec præ amore alterius rei, quâ delectari cupimus: Nam tum non tam ipſum Deum, quàm id, quòd cupimus, amaremus; atque hanc ipſam legem Deum Prophetis revelâſſe in eodem Capite oſtendi, & ſive iſtam legem Dei juris formam ab ipſo Deo accepiſſe ſtatuam, ſive quòd ipſam concipiam, ut reliqua Dei decreta, quæ æternam neceſſitatem, & veritatem involvunt, manebit nihilominùs Dei decretum, & ſalutare documentum, & ſive Deum amem liberè, ſive ex neceſſitate Dei decreti, Deum tamen amabo, & ſalvus ero. Quare affirmare hîc jam poſſem, iſtum hominem ex illorum genere eſſe, de quibus in fine meæ Præfationis dixi, me malle, ut meum librum prorſùs negligerent, quàm eundem perverſè, ut omnia ſolent, interpretando moleſti ſint, &, dum ſibi nihil proſunt, aliis obſint.

Et quamvis hæc ſufficere putem ad id, quod volebam, oſtendendum, pauca adhuc tamen notare operæ pretium duxi; nempe ipſum falſò putare, me ad Axioma illud Theologorum reſpicere, qui diſtinguunt inter ſermonem Vatis dogmatizantis, & ſimpliciter aliquid narrantis. Nam ſi per hoc Axioma illud intelligit, quod Cap. XV. cujuſdam R. Jehudæ Alpakhar eſſe dixi; quâ ratione putare potui, meum eidem congruere, cùm ipſum in eodem Capite tanquam falſum rejecerim? Si autem aliud putat: fateor me illud adhuc ignorare, adeoque ad id minimè reſpicere potui.

Porrò non etiam video, cur dicit, me exiſtimare omnes eos pedibus in meam ſententiam ituros, qui negant rationem & Philoſophiam eſſe Scripturæ interpretem, cùm ego tam horum, quàm Maimonidæ ſententiam refutaverim.

Longum nimis foret omnia ejus recenſere, quibus oſtendit ſe non omninò ſedato animo judicium de me feciſſe. Quare ad ejus concluſionem tranſeo; ubi ait, *mihi nullum ſupereſſe argumentum, quo probem Mahometem non fuiſſe Prophetam verum*: Quod quidem ipſe ex meis ſententiis conatur oſtendere, cùm tamen ex iiſdem clarè ſequatur eundem impoſtorem fuiſſe: quandoquidem libertatem illam, quam Religio Catholica, lumine naturali, & Prophetico revelata, concedit, quamque omninò concedi debere oſtendi, ipſe prorſùs adimit, & quamvis hoc non eſſet, an, quæſo, teneor ego oſtendere Prophetam aliquem falſum eſſe? Prophetæ ſanè contrà tenebantur oſtendere, ſe veros eſſe. Quòd ſi regerat Mahometem legem etiam divinam docuiſſe, ſuæque legationis certa ſigna dediſſe, ut reliqui Prophetæ fecerunt, nihil cauſæ profectò erit, cur neget, eundem verum fuiſſe Prophetam.

Quod autem ad ipſos Turcas, & reliquas Gentes attinet. Si Deum cultu juſtitiæ, & charitate erga proximum adorent, eoſdem Spiritum Chriſti habere credo, & ſalvos eſſe, quicquid de Mahomete, & oraculis ex ignorantiâ perſuaſum habeant.

En vides, amice, virum iſtum longè à vero aberrâſſe, & nihilominùs concedo, ipſum nullam mihi; ſed maximè ſibi injuriam facere, quando pronunciare non erubeſcit, me tectis, & fucatis argumentis Atheiſmum docere.

Cæte-

Cæterùm non puto te hîc aliquid reperturum, quod in hunc Virum inclementiùs dictum judicare possis. Attamen si quid simile offendas, id quæso vel ut deleas, vel, prout tibi videbitur, corrigas. Animus non est eum, quisquis tandem sit, irritare, & labore meo mihi inimicos parare; &; quia hoc sæpe similibus disputationibus fit, ideo vix à me impetrare potui, ut responderem, nec impetrare potuissem, nisi promisissem. Vale: & tuæ prudentiæ hanc epistolam committo, meque, qui sum, &c.

EPISTOLA L.

Viro Humanissimo, atque Prudentissimo

* * * * * * *

B. D. S.

Versio.

Humanissime Vir,

QUantum ad Politicam spectat, discrimen inter me, & Hobbesium, de quo interrogas, in hoc consistit, quòd ego naturale Jus semper sartum tectum conservo, quòdque Supremo Magistratui in quâlibet Urbe non plus in subditos juris, quàm juxta mensuram potestatis, quâ subditum superat, competere statuo, quod in statu Naturali semper locum habet.

Porrò, quod demonstrationem attinet, quam ego in Appendice Geometricarum in Cartesii Principia demonstrationum stabilio, nempe Deum non, nisi valdè impropriè, unum, vel unicum dici posse; respondeo, rem solummodò existentiæ, non verò essentiæ respectu unam, vel unicam dici: res enim sub numeris, nisi postquam ad commune genus redactæ fuerunt, non concipimus. Qui, verbi gratiâ, sestertium, & imperialem manu tenet, de numero binario non cogitabit, nisi hunc sestertium, & imperialem uno, eodemque, nempe numerorum, vel monetarum, nomine vocare

queat: nam tunc, ſe duos nummos, vel monetas habere, poteſt affirmare; quoniam non modò ſeſtertium; ſed etiam imperialem nummi, vel monetæ nomine inſignit. Hinc ergo clarè patet, nullam rem unam, aut unicam nominari, niſi poſtquam alia res concepta fuit, quæ (ut dictum eſt) cum eâ convenit. Quoniam verò Dei exiſtentia ipſius ſit eſſentia, deque ejus eſſentiâ univerſalem non poſſimus formare ideam, certum eſt, eum, qui Deum unum, vel unicum nuncupat, nullam de Deo veram habere ideam, vel impropriè de eò loqui.

Quantum ad hoc, quod figura negatio, non verò aliquid poſitivum eſt; manifeſtum eſt, integram materiam, indefinitè conſideratam, nullam poſſe habere figuram; figuramque in finitis, ac determinatis corporibus locum tantùm obtinere. Qui enim ſe figuram percipere ait, nil aliud eo indicat, quàm ſe rem determinatam, & quo pacto ea ſit determinata, concipere. Hæc ergo determinatio ad rem juxta ſuum eſſe non pertinet: ſed econtra eſt ejus non eſſe. Quia ergo figura non aliud, quàm determinatio, & determinatio negatio eſt; non poterit, ut dictum, aliud quid, quàm negatio, eſſe.

Librum, quem Ultrajectinus Profeſſor in meum ſcripſit, quique poſt obitum ejus luci expoſitus eſt, è feneſtrâ Bibliopolæ pendentem vidi: & ex paucis, quæ tum temporis in eo legeram, eum lectu, multò minùs reſponſione indignum judicabam. Relinquebam ergo librum, ejuſque authorem. Mente, ſubridens volvebam ſignariſſimos quoſque paſſim audaciſſimos, & ad ſcribendum paratiſſimos eſſe. Mihi * * * * merces ſuas eodem modo, ac Propolæ, venum exponere videntur, qui ſemper, quod vilius eſt, primo loco oſtendunt: Ajunt, Diabolum eſſe vaferrimum; mihi verò, eorum genius longè hunc vafritie ſuperare videtur. Vale.

Hagæ Comitis 2. Junii 1674.

EPI-

EPISTOLA LI.

Illustri, & Clarissimo Viro,

B. D. S.

GOTTFRIDUS LEIBNITIUS.

Illustris & Clarissime Vir,

INter cæteras laudes tuas, quas fama publicavit, etiam insignem rei Opticæ peritiam esse intelligo. Quæ res efficit, ut qualemcumque conatum meum ad te destinare voluerim, quo meliorem in hoc studiorum genere censorem non temerè reperero. Schedulam hanc, quam mitto, ac *Notitiam Opticæ promotæ* inscripsi, ideò publicavi, ut commodiùs possem communicare cum amicis, aut curiosis. Audio & Amplissimum ****** in eodem genere florere, nec dubito tibi cognitissimum esse. Unde si hujus quoque judicium, & favorem mihi impetraveris, beneficium mirificè auxeris. Schedula ipsa, quid rei sit, satis explicat.

Credo ad manus tuas pervenisse Prodromum Francisci Lanæ Soc. Jes. Italicè scriptum, ubi Dioptrica quoque nonnulla insignia proponit; sed & Joh. Oltius Helvetius, juvenis in his rebus pereruditus, publicavit Cogitationes Physico-Mechanicas de Visione; in quibus partim machinam quandam poliendis omnis generis vitris simplicem admodùm, & universalem pollicetur, partim ait se reperisse modum quendam colligendi omnes radios ab omnibus objecti punctis venientes in totidem alia puncta respondentia, sed tantùm in certâ distantiâ, figurâque objecti.

Cæterùm id, quod à me propositum est, huc redit, non ut omnium punctorum radii recolligantur: id enim in quâlibet objecti distantiâ, aut figurâ, quantum hactenus cognitum sit, impossibile est; sed ut æquè colligantur radii punctorum extra axim opticum, ac in axe optico; ac proinde aperturæ vitrorum, salvâ

distin-

distinctâ visione, possint fiere quantæcunque. Sed hæc acutissimo judicio tuo stabunt. Vale, faveque,

Amplissime Vir,

Cultori sedulo

GOTTFRIDO LEIBNITIO,
J.U.D. & Consiliario Mogunt.

Francofurti 5. Octobr. Stylo Novo 1671.

EPISTOLA LII.

Eruditissimo, Nobilissimoque Viro

GOTTFRIDO LEIBNITIO

J.U.D. & *Consiliario Mogunt.*

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Nobilissime Vir,

SChedulam, quam mihi dignatus es mittere, legi, magnasque pro ejusdem communicatione habeo gratias. Doleo, quòd mentem tuam, quam tamen credo te satis clarè explicuisse, non satis assequi potuerim, videlicet, an aliam credis esse causam, cur in vitrorum aperturâ parci esse debemus, quàm quia radii, qui ex uno puncto veniunt, non in alio accuratè puncto; sed in spatiolo, quod punctum Mechanicum appellare solemus, congregentur, quod spatiolum pro ratione aperturæ majus, aut minus est. Deinde rogo, num lentes illæ, quas pandochas vocas, hoc vitium corrigant, ut scilicet punctum Mechanicum, sive spatiolum, in quo radii, qui ex eodem puncto veniunt, post refractionem congregantur, idem ratione magnitudinis semper maneat, sive apertura magna sit, sive parva. Nam, si hæc præstant, earum aperturam ad libitum augere licebit, & consequenter omnibus

aliis

aliis figuris mihi cognitis longè præstantiores erunt, aliàs nihil video, cur easdem supra communes lentes tantopere commendas. Lentes enim circulares eundem ubique habent axem, adeoque quando illas adhibemus, omnia objecti puncta, tanquam in axe Optico posita, sunt considerandа: & quamvis omnia objecti puncta non in eâdem sint distantiâ, tamen differentia, quæ inde oritur, sensibilis esse non potest, quando objecta admodùm remota sunt, quia tum radii, qui ex uno puncto veniunt, tanquam paralleli considerati, ingrederentur vitrum. Hoc tamen credo lentes tuas juvare posse, quando plurima objecta uno obtutu comprehendere volumus, (ut fit, quando lentes circulares conversas admodùm magnas adhibemus) ut omnia scilicet distinctiùs repræsententur. Verùm judicium de his omnibus suspendere malo, donec mentem tuam clariùs explices, quod ut facias, enixè rogo. Dom. ***** ut jubes, alterum exemplar misi; respondit, sibi impræsentiarum tempus non esse id examinandi, se tamen post unam, aut alteram hebdomadam vacaturum sperat.

Prodromum Franciſci Lanæ necdum vidi, ut nec etiam Joh. Oltii Cogitationes Physico-Mechanicas, &, quod magis doleo, nondum Hypothesis tua Physica ad manus meas pervenit, nec hîc Hagæ Comitis venalis exstat. Munus igitur, quod mihi tam liberaliter promittis, acceptissimum mihi erit, & si quâ aliâ re tibi inservire potero, semper me invenies &c.

EPISTOLA LIII.

Philosopho Acutissimo, ac Celeberrimo

B. D. S.

J. LUDOVICUS FABRITIUS.

Celeberrime Vir,

IN mandatis mihi dedit Serenissimus Elector Palatinus, Dominus meus Clementissimus, ut ad Te, mihi quidem hucusque ignotum, Serenissimo verò Principi commendatissimum scribe-

rem, ac rogarem, an in Illuſtri ſuâ Academiâ ordinariam Philoſophiæ Profeſſionem ſuſcipere animus eſſet. Stipendium exſolvetur annuum, quo ordinarii Profeſſores hodie fruuntur. Non alibi invenias Principem faventiorem eximiis ingeniis, inter quæ te æſtimat. Philoſophandi libertatem habebis ampliſſimam, quâ te ad publicè ſtabilitam Religionem conturbandam non abuſurum credit. Ego ſapientiſſimi Principis mandato non potui non obſecundare. Quapropter te rogo quàm impenſiſſimè, ut quamprimùm mihi reſpondeas, tuamque ad me reſponſionem vel Sereniſſimi Electoris Reſidenti Hagæ Comitis D°. Grotio, vel D°. Gilles van der Hek, ad me in faſciculo literarum, quæ in aulam transmitti ſolent, curandam tradas, vel aliâ denique commoditate, quæ opportuniſſima videbitur, utaris. Hoc unum addo, te, ſi huc venias, vitam Philoſopho dignam cum voluptate tranſacturum, niſi præter ſpem, & opinionem noſtram alia omnia accidant. His Vale, & Salve,

Vir Clariſſime,

A Nominis tui Studioſiſſimo

J. LUDOVICO FABRITIO,
Acad. Heidelb. Profeſſore, &
Electoris Palatini Conſiliario.

Heidelb. 16 Febr. 1673.

EPISTOLA LIV.

Ampliſſimo, Nobiliſſimoque Viro

D. J. LUDOVICO FABRITIO

Acad. Heidelbergenſis Profeſſori, & Electoris Palatini Conſiliario

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Ampliſſime Vir,

SI unquam mihi deſiderium fuiſſet alicujus facultatis profeſſionem ſuſcipiendi, hanc ſolam optare potuiſſem, quæ mihi à Sere-

Sereniſſimo Electore Palatino per te offertur, præſertim ob libertatem Philoſophandi, quam Princeps Clementiſſimus concedere dignatur, ut jam taceam, quòd dudum deſideraverim ſub Imperio Principis, cujus ſapientiam omnes admirantur, vivere. Sed quoniam nunquam publicè docere animus fuit, induci non poſſum, ut præclaram hanc occaſionem amplectar, tametſi rem diu mecum agitaverim. Nam cogito primò, me à promovendâ Philoſophiâ ceſſare, ſi inſtituendæ juventuti vacare velim. Cogito deinde, me neſcire, quibus limitibus libertas iſta Philoſophandi intercludi debeat, ne videar publicè ſtabilitam Religionem perturbare velle: quippe ſchiſmata non tam ex ardenti Religionis ſtudio oriuntur, quàm ex vario hominum affectu, vel contradicendi ſtudio, quo omnia, etſi rectè dicta ſint, depravare, & damnare ſolent. Atque hæc cùm jam expertus ſim, dum vitam privatam, & ſolitariam ago, multò magis timenda erunt, poſtquam ad hunc dignitatis gradum adſcendero. Vides itaque, Vir Ampliſſime, me non ſpe melioris fortunæ hærere, ſed præ tranquillitatis amore, quam aliquâ ratione me obtinere poſſe credo, modò à publicis Lectionibus abſtineam. Quapropter te enixiſſimè rogo, ut Sereniſſimum Electorem ores, ut mihi hâc de re ampliùs deliberare liceat, deinde ut favorem Clementiſſimi Principis cultori devotiſſimo conciliare pergas, quò magis tibi devincias,

Ampliſſime, Nobiliſſimoque Domine,

Tuum ex aſſe

B. D. S.

Hagæ Comitis 30.
Martii 1673.

EPISTOLA LV.

Acutissimo Philosopho

B. D. S.

* * * * *

Versio.

Clarissime Vir,

CAusa, cur hanc tibi scribam, est, quòd tuam de apparitionibus, & Spectris, vel Lemuribus sententiam scire desiderem, & si dentur, quid de illis tibi videatur, & quamdiu illorum duret vita; eò quòd alii ea immortalia, alii verò mortalia esse opinantur. In hâc meâ dubitatione, an nimirùm ea dari concedas, ulteriùs non pergam. Certum interim est Veteres eorum existentiam credidisse. Theologi, ac Philosophi hodierni ejusmodi creaturas existere hactenus credunt, licet in eo, quænam illorum sit essentia, non concordent. Quidam ex tenuissimâ, & subtilissimâ constare materiâ, alii ea spiritualia affirmant. Verùm (ut jam dicere cœpi) multùm ab invicem dissentimus, quia, an largiaris ea existere, dubius sum; quamvis, uti nec te fugit, tot exempla, & historiæ in omni Antiquitate inveniantur, ut reverâ ea vel negare, vel in dubium vocare, difficile foret. Certum est, nempe quòd, si fatearis ea existere, non tamen credas, quædam eorum esse animas demortuorum, ut Romanæ fidei defensores volunt. Hîc finiam, tuumque exspectabo responsum. Nihil de bello, nihil de rumoribus dicam, eò quòd in ea nostra ætas incidit tempora, &c. Vale.

14. Septemb. 1674.

EPISTOLA LVI.

Ampliſſimo, Prudentiſſimoque Viro

* * * * * * * *

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Ampliſſime Vir,

TUa, quam heri accepi, mihi fuit acceptiſſima, tam quòd aliquod de te nuncium audire, deſiderabam, quàm quòd te mei penitùs non oblitum eſſe video. Quamvis fortè alii malum eſſe omen putarent, vel Lemures cauſam ad me ſcribendi fuiſſe; ego tamen econtra majus quid in eo noto, res non tantùm veras; ſed & nugas, atque imaginationes mihi uſui eſſe poſſe perpendo.

Verùm hoc, an nimirùm Spectra, phantaſmata, ac imagininationes ſint, ſeponamus; quia nempe non tantùm ea negare, verùm etiam de iis dubitare, adeò rarum tibi videtur, quàm ei, qui tot hiſtoriis, quas Hodierni, & Antiqui narrant, convictus eſt. Magna æſtimatio, ac honor, in quo te habui ſemper, & adhuc habeo, ut contradicam, multò minùs ut tibi blandiar, non patitur. Medium, quod ſervabo, eſt, ut ex tot, quas de Spectris legiſti hiſtorias, unam vel alteram eligere placeat; de quâ minimùm dubitare licet, quæque clariſſimè Spectra exiſtere demonſtrat. Nam, ut verum fatear, nunquam fide dignum legi Auctorem, qui ea dari clarè oſtenderet. Et hactenus quid ſint ignoro, nemoque mihi unquam id potuit indicare: Certum tamen eſt, quòd de re, quam tam clarè monſtrat experientia, debemus ſcire quid ſit; alioquin difficillimè ex aliquâ hiſtoriâ Spectra dari colligimus; colligitur quidem aliquid eſſe, quod tamen nemo ſcit, quid ſit. Si Philoſophi, quæ ignoramus, Spectra nominare volunt, ea haud negabo, quia res infinitæ ſunt, quæ me latent.

Denique, Vir Ampliſſime, antequam me hâc in materiâ ulterius explicem: Dic quæſo mihi, quænam res hæc Spectra, vel Spiritus ſint. Suntne infantes, ſtulti, vel inſani? Quia quæ de iis auribus hauſi, potiùs inſipientibus, quàm ſapientibus conveniunt, quæque, ut ea in meliorem interpretemur partem, rebus puerilibus, vel ſtultorum delectamentis ſimiliora ſunt. Antequam finio, hoc unum tibi proponam, illud ſcilicet deſiderium, quod plerumque homines habent, res, non ut reverâ ſunt, ſed ut eas deſiderant, narrandi, faciliùs ex narrantionibus de Lemuribus, Spectriſque, ac ex aliis cognoſci. Hujus rei præcipua, ut credo, ratio eſt, quòd, quia ejuſmodi hiſtoriæ non alios habent teſtes, niſi earum narratores, harum inventor pro lubitu, circumſtantias, quæ ei commodiſſimæ videntur, vel addere, vel demere poteſt, nec timet, ut ſibi quiſquam contradicat; ſpeciatim verò eas fingit, ut metum, quem de ſomniis, & phantaſmatis concepit, juſtificet, vel etiam ut audaciam, fidem & opinionem ſuam ſtabiliat. Præter has alias adinveni rationes, quæ me ad dubitandum, ſi non de ipſis hiſtoriis, ſaltem de narratis circumſtantiis, permovent, quæque quàm maximè ad concluſionem, quam ex illis hiſtoriis deducere conamur, faciunt. Hîc deſinam, uſque dum intellexero, quænam eæ ſint hiſtoriæ, quibus ità convictus es, ut tibi de iis dubitare abſurdum videatur, &c.

EPISTOLA LVII.

Acutiſſimo Philoſopho

B. D. S.

* * * * * * * *

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Acutiſſime Vir,

NOn aliud, quàm ad me dediſti reſponſum, nimirùm ab amico, aliamque fovente ſententiam exſpectabam. Poſterius non

non curo: nàm amicos in rebus indifferentibus diſſentire ſemper ſalvâ licitum fuit amicitiâ.

Exigis, ut tibi, antequam tuam promas ſententiam, quænam hæc Spectra, Spiritusve ſint, dicam, an ſint infantes, ſtulti, vel inſani, &c. & addis quicquid de iis audiveris, potiùs ab inſanientibus, quàm ſanis profectum fuiſſe. Verum eſt proverbium, quòd videlicet præoccupata opinio veritatis indagationem impedit.

Credo igitur his de cauſis Spectra dari. Primò quia ad univerſi pulchritudinem, ac perfectionem, ut ſint, pertinet. Secundò quia veriſimile eſt creatorem ea creâſſe, quia ſibi, quàm corporeæ creaturæ, ſimiliora ſunt. Tertiò quia ſicuti corpus ſine animâ, ità etiam anima ſine corpore exiſtit. Quartò denique quia in ſupremo aëre, loco, vel ſpatio nullum obſcurum corpus eſſe, quin ſuos obtineat habitatores, exiſtimo; & per conſequens, immenſurabile, quod inter nos, aſtraque eſt, ſpatium, non vacuum, ſed Spiritibus habitatoribus repletum eſſe; fortè ſummi, & remotiſſimi veri Spiritus, infimi verò in infimo aëre creaturæ ſunt ſubſtantiæ ſubtiliſſimæ, & tenuiſſimæ, inſuperque inviſibilis. Opinor igitur omnis generis, ſed fortaſſis nullos fœminini, dari Spiritûs.

Hoc ratiocinium eos, qui mundum fortuitò creatum eſſe temerè credunt, nullatenus convincet. Quotidiana inſuper, his miſſis rationibus, Spectra dari, oſtendit experientia, quorum multæ, tam novæ, quàm antiquæ hiſtoriæ, etiamnùm exſtant. Videantur horum hiſtoriæ apud Plutarchum in libro de Viris illuſtribus, aliiſque ejus operibus; apud Suetonium in Vitis Cæſarum, nec non apud Wierum & Lavaterum in libris de Spectris, qui de hâc materiâ prolixè egerunt, & ex omnis generis ſcriptoribus eas congeſſerunt. Cardanus, ob eruditionem ſuam celeberrimus, etiam de iis in libris de *Subtilitate*, *Varietate*, & de *vitâ ſuâ* loquitur, ubi ea ſibi, cognatis, amiciſque apparuiſſe experientiâ oſtendit. Melanthon Vir prudens, & veritatis amans, & alii non pauci de ſuis teſtantur experientiis. Conſul quidam Vir Doctus, & Sapiens, quique adhuc in vivis eſt, aliquando mihi narravit, de nocte ità audiri opus in Matris ſuæ officinâ cereviſiariâ perfici, quemadmodum illud de die, quando cereviſia coquebatur, abſolve-

ſolvebatur; quin hoc ſæpius factum eſſe teſtabatur. Idem mihi ſæpiuscule contigit, quod nunquam memoriâ excidet; adeò ut his experimentis, dictiſque rationibus Spectra dari victus ſim.

Quantum ad Spiritus malos, qui miſeros homines in hâc, & poſt hanc vitam torquent, nec non magiam attinet, ego harum rerum hiſtorias fabulas eſſe exiſtimo. In Tractatibus, qui de Spiritibus agunt, circumſtantiarum copiam invenies. Poteris, præter allegatos, ſi placet, Plinium ſecundum libro ſeptimo in Epiſtolâ ad Suram, ut & Suetonium in vitâ Julii Cæſaris capite trigeſimo ſecundo, Valerium Maximum capite octavo libri primi ſectione ſeptimâ, & octavâ, & Alexandrum ab Alexandro in opere Dierum Genialium conſulere: hos enim penes te eſſe libros mihi perſuadeo. Non loquor de Monachis, & Clericis, qui tot animarum, ac malorum Spirituum apparitiones, & viſiones, totque, ut ſic loquar potiùs, Spectrorum fabulas referunt, ut, præ copiâ, tædio officiant lectorem. Thyraus Jeſuita in libro de Spirituum apparitionibus talia quoque tractat. Illi autem lucri ſolummodò cauſâ, utque meliùs eſſe purgatorium probent, hæc tractant, quæ ipſis minera, unde tantam auri, ac argenti vim effodiunt, exiſtit. Id verò in memoratis, aliiſque modernis Scriptoribus nullum obtinet locum, qui ſine partium ſtudio majorem propterea merentur fidem.

Reſponſionis vice ad tuam epiſtolam, ubi de ſtultis, & amentibus verba facis, hîc concluſionem Eruditi Lavateri, quâ librum ſuum primum de Spectris, aut Lemuribus his verbis finit, pono. *Qui tot unanimes, tam hodiernos, quàm veteres negare audet teſtes, fide mihi indignus cenſetur: quemadmodum enim levitatis ſignum eſt iis omnibus, qui ſe quædam vidiſſe ſpectra affirmant, protinùs credere; ità è contrario tot fide dignis Hiſtoricis, Patribus, aliiſque magnâ præditis autoritate temerè, & impudenter contradicere inſignis eſſet impudentia.*

21 Septemb. 1674.

EPISTO-

EPISTOLA LVIII.

Ampliſſimo, Prudentiſſimoque Viro,

* * * * * * * *

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Ampliſſime Vir,

EGo eo, quod in epiſtolâ tuâ 21 præteriti menſis dicis, nixus, ſcilicet amicos in re indifferenti, ſalvâ amicitiâ, diſſentire poſſe, clarè dicam, quid de rationibus, & hiſtoriis ſentiam, ex quibus *omnis generis, ſed nullos fortè fœminini generis dari Lemures* concludis. Cauſa, cur citiùs non reſponderim, eſt, quòd ii libri, quos citas, ad manum non ſunt, nec præter Plinium, & Suetonium ullos reperi. Sed hi duo labore alios inquirendi me ſublevabunt, quïa mihi perſuadeo, eos omnes eodem modo delirare, & hiſtorias rerum non vulgarium, quæ homines attonitos reddunt, ac in admirationem rapiunt, amare. Fateor me non parùm, non hiſtorias, quæ narrantur; ſed eos, qui eas ſcribunt, obſtupuiſſe. Miror Viros, ingenio, & judicio prædítos, facundiam ſuam inſumere, & eâ, ut nobis ejuſmodi nugas perſuadeant, abuti.

Authores verò miſſos faciamus, & rem ipſam aggrediamur: primò etenim ratiocinium meum circa concluſionem tuam pauliſper verſabitur. Videamus, an ego, qui nego, Spectra, aut Spiritus dari, eò minùs iſtos Scriptores, qui de hoc negotio ſcripſerunt, intelligam; an tu, qui ea exiſtere ſtatuis, hos ſcriptores non pluris, quàm merentur, facias. Quòd ab unâ parte Spiritus dari maſculini generis in dubium non voces, ab alterâ verò parte, an ii fœminini generis ſint dubites, phantaſiæ, quàm dubitationi ſimilius videtur: nam ſi hæc tua eſſet opinio, magis ea cum vulgi

imaginatione, qui Deum maſculini, non verò fœminini generis eſſe ſtatuit, convenire videretur. Miror eos, qui Spectra nuda conſpexere, oculos in genitalia non conjeciſſe, fortè præ timore, vel præ ignorantiâ hujus diſcriminis. Regeres, hoc eſt ridere; non autem ratiocinari; & hinc video, tuas rationes tam validas, tamque bene fundatas tibi videri, ut iis nemo (tuo ſaltem judicio) contradicere queat; niſi perverſè aliquis, Mundum fortuitò factum eſſe, putaret. Hoc ipſum, antequam præcedentes tuas examino rationes, me urget, ut breviter meam de hâc poſitione opinionem, an mundus fortuitò ſit creatus, proponam. Reſpondeo verò, quòd, ſicuti certum eſt *Fortuitum* & *Neceſſarium* duo eſſe contraria, ità manifeſtum etiam eſt eum, qui mundum neceſſarium divinæ Naturæ effectum affirmat, omninò etiam mundum caſu factum eſſe negare: illum autem, qui affirmat Deum potuiſſe creationem mundi omittere, confirmare, licet aliis verbis, eundem caſu factum fuiſſe; quoniam à voluntate, quæ nulla eſſe poterat, proceſſit. Quia verò hæc opinio, hæcque ſententia penitùs abſurda eſt, vulgò unanimiter, Dei voluntatem æternam, ac nunquam indifferentem fuiſſe, concedunt: & propterea neceſſariò quoque debent largiri, (Nota bene) mundum Naturæ Divinæ neceſſarium eſſe effectum. Vocent hoc voluntatem, intellectum, vel quocunque lubet nomine, eò tamen tandem devenient, quòd unam, eandemque rem diverſis nominibus expriment. Si enim eos roges, an Divina voluntas ab humanâ non differat, reſpondent priorem non niſi nomen cum poſteriore commune habere: præterquam quòd plerumque Dei Voluntatem, Intellectum, Eſſentiam, aut Naturam unam, eandemque rem eſſe, concedunt; ſicuti & ego, ne Divinam Naturam cum humanâ confundam, Deo humana attributa, nempe Voluntatem, Intellectum, attentionem, auditum &c. non adſigno. Dico igitur, ut jam modò dixi, Mundum Divinæ Naturæ neceſſarium effectum, eumque fortuitò non eſſe factum.

Hoc ſufficere arbitror, ut tibi perſuadeam eorum opinionem, qui dicunt, (ſi qui tamen tales dantur) mundum fortuitò factum eſſe, meæ omninò contrariari, & hâc nixus hypotheſi, ad earum rationum

num inquiſitionem, ex quibus Spectra omnis generis exiſtere concludis, pergo. Quòd in genere de iis dicere valeo eſt, eas magis conjecturas, quàm rationes videri, meque difficillimè credere, te eas pro rationibus demonſtrativis habere. Verùm videamus, ſive conjecturæ, ſive rationes ſunt, an eas pro fundatis aſſumere liceat.

Prima tua ratio eſt, quòd ad pulchritudinem, ac univerſi perfectionem ea dari pertinet. Pulchritudo, Ampliſſime Vir, non tam objecti, quod conſpicitur eſt qualitas, quàm in eo, qui conſpicit, effectus. Si noſtri oculi eſſent vel longiores, vel breviores, aut noſtrum aliter ſe haberet temperamentum, ea, quæ nunc pulchra, deformia; ea verò, quæ nunc deformia, pulchra nobis apparerent. Pulcherrima manus, per microſcopium conſpecta, terribilis apparebit. Quædam procul viſa pulchra, & è propinquo conſpecta, deformia ſunt: adeò ut res, in ſe ſpectatæ, vel ad Deum relatæ, nec pulchræ, nec deformes ſint. Is ergo, qui ait, Deum mundum, ut pulcher eſſet, creâſſe, horum alteruturum neceſſarriò ſtatuere debet; nempe vel Deum mundum ad appetitum, & hominum oculos, vel appetitum, & hominum oculos ad mundum condidiſſe. Jam verò ſive prius, ſive poſterius ſtatuamus, cur Deus Spectra, & Spiritûs creare debuerit, ut alterutrum horum conſequeretur, non video. Perfectio, atque Imperfectio ſunt denominationes; quæ non multum à denominationibus pulchritudinis & deformitatis differunt. Ego igitur, ne nimis ſim prolixus, ſolummodò interrogo, quid magis ad ornatum, & mundi perfectionem faciat, an quod Spectra, an quod multiplicia dentur monſtra, ut Centauri, Hydræ, Harpyæ, Satyri, Gryphes, Argi, & plures hujuſmodi nugæ? Certè mundus bene exornatus fuiſſet, ſi Deus eum pro libitu noſtræ Phantaſiæ, iiſque rebus, quæ facilè quivis ſibi imaginatur, & ſomniat, nemo verò unquam intelligere potis eſt, ornâſſet, & concinâſſet!

Secunda ratio eſt, quòd, quia Spiritûs magis, quàm aliæ corporeæ creaturæ, Dei imaginem exprimunt, veroſimile quoque ſit, Deum eos creâſſe. Profectò me hactenus neſcire, in quo Spiritûs magis, quàm aliæ creaturæ Deum exprimant, fateor. Hoc ſcio,

inter finitum, & infinitum nullam esse proportionem: adeò ut discrimen inter maximam, & præstantissimam creaturam, atque inter Deum non aliud sit discrimen, quàm quòd inter Deum, ac minimam creaturam est. Hoc ergo nihil ad rem, facit. Si tam claram de Spectris, quàm de triangulo, vel circulo, haberem ideam, nullatenus dubitarem statuere, ea à Deo creata fuisse: verùm enim verò, quandoquidem idea, quam de iis habeo, omninò cum ideis convenit, quas de Harpyis, Gryphis, Hydris, &c. in meâ deprehendo imaginatione, ea non aliter, quàm somnia, considerare possum, quæ à Deo tantopere, quam Ens, & non Ens discrepant.

Tertia ratio (quæ est, quòd, quemadmodum corpus sine animâ, etiam animâ sine corpore debeat esse) æquè mihi absurda videtur. Dic, quæso, mihi, an non etiam sit verisimile, memoriam, auditum, visum, &c. sine corporibus dari, eò quòd corpora sine memoriâ, auditu, visu, &c. inveniuntur? Vel globum sine circulo, quia circulus sine globo existit?

Quarta, & ultima ratio eadem est cum primâ, ad cujus responsionem me refero. Hîc loci tantùm notabo, me, quinam illi sumpremi, & infimi sint, quos in materiâ infinitâ concipis, nescire, nisi terram universi centrum esse sentias: Si enim Sol, vel Saturnus uniuersi sit centrum, Sol, vel Saturnus, non autem terra infima erit. Hoc ergò, & quod restat prætermittens, concludo, quòd hæ, hisque similes rationes neminem convincent, Spectra, vel Lemures omnis generis dari, quàm eos, qui aures intellectui occludentes, se à Superstitione seduci patiuntur; quæ adeò rectæ rationi infesta est, ut potiùs, quo Philosophorum æstimationem minuat, vetulis fidem habeat.

Quantum ad historias attinet, jam in primâ meâ epistolâ dixi, me eas non omninò: sed inde deductam conclusionem negare. Huic accedit, quòd eas non adeò fide dignas habeam, ut de multis circumstantiis non dubitem, quas sæpius addunt, magis ut ornent, quàm ut Historiæ veritatem, vel id, quod inde volunt, concludere, aptius efficiant. Speraveram, ut ex tot Historiis, saltem unam, altveramve proferres, de quâ minimè dubitare liceret, quæque cla-

clariſſimè Spectra, vel Lemures exiſtere, oſtenderet. Quòd memoratus Conſul, inde, quòd in matris ſuæ officinâ cereviſiaria Spectra ità de nocte laborare audivit, vult concludere, ea exiſtere, quemadmodum de die audire aſſuetus erat, riſu dignum mihi videtur: ſimiliter etiam nimis longum videretur hîc loci omnes, quæ de his ineptiis conſcriptæ ſunt, hiſtorias examinare. Ut ergo brevis ſim, me ad Julium Cæſarem, refero qui, teſte Suetonio, hæc ridebat, & tamen felix erat, juxta id, quod Suetonius de hoc Principe in vitâ ejus capite 59. narrat: & ad eum modum omnes, qui mortalium imaginationum & pathematum effectus perpendunt, talia ridere debent; quicquid etiam Lavaterus, aliique, qui cum eo hoc in negotio ſomniârunt, in contrarium producant.

EPISTOLA LIX.

Acutiſſimo Philoſopho

B. D. S.

* * * * * * * *

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Acutiſſime Vir,

Ad tuas opinione ſeriùs reſpondeo, eò quòd exiguus morbus, me ſtudiorum, & Meditationum oblectamento orbavit, & ad te ſcribere impedivit. Nunc, Deo gratiam habeo, in integrum reſtitutus ſum. In reſpondendo tuæ epiſtolæ veſtigia premam, atque tuas in eos, qui de Spectris ſcripſerunt, exclamationes tranſiliam.

Dico igitur me exiſtimare, nulla fœminini generis eſſe Spectra, quia eorum generationem inficior. Quòd talis ſint figuræ, & compoſitionis, quia id ad me non pertinet, omitto. Aliquid fortuitò fa-

ctum dicitur, quando præter authoris ſcopum producitur. Ubi terram ad vineam plantandum, vel puteum ad ſepulchrum faciendum fodimus, & theſaurum invenimus, de quo nunquam cogitavimus, id caſu fieri dicitur. Nunquam is, qui ex libero ſuo arbitrio ità operatur, ut poſſit operari, vel non, caſu operari, ſiquidem operatur, dicitur. Hoc enim pacto omnes humanæ operationes caſu fierent, quod abſurdum eſſet. Neceſſarium & Liberum; non verò Neceſſarium & fortuitum contraria ſunt. Licet verò Dei voluntas ſit æterna, non tamen ſequitur mundum eſſe æternum, eò quòd Deus ab æterno, ut mundum crearet ſtatuto tempore, definire potuit.

Negas porrò Dei voluntatem unquam indifferentem fuiſſe, quod ego inficior; nec adeò accuratè ad hoc, ut tu putas, attendere eſt neceſſe. Neque omnes dicunt, Dei voluntatem neceſſariam eſſe: hoc enim neceſſitatem involvit; quia is, qui alicui tribuit voluntatem, per id intelligit, eum pro ſuâ voluntate poſſe operari; vel non. Si verò ei adſcribimus neceſſitatem, neceſſariò debet operari.

Denique ais, te in Deo nulla humana concedere attributa, ne Divinam cum humanâ confunderes naturam; quod hactenus probo: neque enim, quâ ratione Deus operetur, nec, quâ ratione velit, intelligat, perpendat, videat, audiat, percipimus, &c. Verùm enim verò, ſi has operationes, ſummasque noſtras de Deo contemplationes pernegas, affirmaſque, eas non eſſe eminenter, & metaphyſicè in Deo; tuum Deum, aut quid per hanc vocem *Deus* intelligas, ignoro. Quod non percipitur, haud negandum eſt. Mens, quæ ſpiritus, & incorporea eſt, non niſi cum ſubtiliſmis corporibus, nempe humoribus operari poteſt. Et quænam inter Corpus, Mentemque eſt proportio? Quâ ratione Mens cum corporibus operatur? Sine his enim illa quieſcit, & illis turbatis, Mens contrarium, quàm quod debebat, operatur. Mihi, quî hoc fiat, monſtra. Non poteris, ut nec ego: videmus tamen, & ſentimus, Mentem operari, quod verum manet, licet, quâ ratione hæc fiat operatio, non percipiamus. Similiter licet, quomodò Deus operatur, non capiamus, eique humana nolimus adſignare

opera;

opera; non tamen de ipso negandum, ea eminenter, & incomprehensibiliter cum nostris concordare, uti velle, intelligere, intellectu, non verò oculis, aut auribus videre, ac audire; ad eum modum quo ventus, atque aër regiones, montesque, sine manibus, aliisve instrumentis destruere, nec non evertere potest; quod tamen hominibus absque manibus, machinisque est impossibile. Si necessitatem Deo tribuis, eumque voluntate, aut liberâ electione privas, dubitari posset, numne eum, qui Ens infinitè perfectum est, instar monstri depingas, & exhibeas. Ut tuum attingas scopum, aliis, ad jaciendum tuum fundamentum, opus erit rationibus; quia, meo judicio, in allatis, nihil soliditatis reperitur; &, si eas probes, aliæ adhuc supersunt, quæ fortè tuarum pondus æquabunt. Sed his missis pergamus.

Postulas, ad probandum Spiritûs in mundo esse, demonstrativas probationes, quæ valdè paucæ in mundo sunt, nullæque, præter Mathematicas, adeò certæ, ac quidem optamus, inveniuntur: quippe probabilibus, ut & verosimilibus conjecturis sumus contenti. Si rationes, quibus res probantur, essent demonstrationes, nonnisi stulti, & pervicaces invenirentur, qui eis contradicerent. Verùm, Dilecte Amice, non adeò sumus beati. In mundo minùs accurati sumus, aliquatenus conjecturam facimus, & in ratiociniis defectu demonstrationum probabile assumimus. Hoc ipsum ex omnibus tam divinis, quàm humanis scientiis, controversiarum & disputationum plenis', patet, quarum multitudo in causâ est, quòd tot diversæ apud quosvis inveniuntur sententiæ. Hâc de causâ olim, ut nosti, Philosophi, Sceptici dicti, qui de omnibus dubitabant, fuerunt. Hi pro, & contrà disputabant, ut probabile tantùm verarum rationum defectu consequerentur, & ex iis unusquisque, quod probabilius videbatur, credebat. Luna directè infra solem est posita; & ideò Sol in quodam terræ loco obscurabitur: & si Sol non obscuretur, dum dies est, directè infra eum Luna non est posita. Hæc est probatio demonstrativa, à causâ ad effectum, & ab effectu ad causam. Ejusmodi aliquot; sed valdè paucæ dantur, quæ à nullo, si eas modò percipiat, contradici possunt.

Quan-

Quantum ad pulchritudinem, ſunt quædam, quorum partes reſpectu aliarum proportionales, & meliùs, quàm aliæ, ſunt compoſitæ: & Deus intellectui, & judicio hominis convenientiam, & harmoniam cum eo, quod proportionatum eſt; non verò cum eo, in quo nulla eſt proportio, attribuit: ut in ſonis conſonantibus, & diſſonantibus, in quibus auditus conſonantiam, & diſſonantiam benè diſtinguere novit, quia illa delectationem, hæc verò moleſtiam adfert. Rei perfectio eſt etiam pulchra, quatenus nihil ei deeſt. Hujus multa exſtant exempla, quæ, ne prolixior ſim, omitto. Mundum intueamur tantummodò, cui nomen Totius, vel Univerſi tribuitur. Si hoc verum eſt, uti reveráâ eſt, rebus incorporeis non depravatur, minuiturve. Quæ de Centauris, Hydris, Harpyis &c. dicis, hîc nullum habent locum: loquimur enim de univerſaliſſimis rerum generibus, deque primis eorundem gradibus, quæ ſub ſe varias, & innumerabiles comprehendunt ſpecies; ſcilicet de æterno, & temporali, cauſâ & effectu, finito & infinito, animato ac inanimato, ſubſtantiâ & accidenti, vel modo, corporali & ſpirituali, &c. Dico, Spiritûs Deo, quia etiam ſpiritus eſt, eſſe ſimiles. Tam claram de Spiritibus, quàm de triangulo poſtulas ideam, quod impoſſibile eſt. Dic mihi, obſecro, quam de Deo habeas ideam, & an ea intellectui tuo adeò ſit clara, ac idea trianguli. Scio te non habere, dixique, nos tam beatos non eſſe, ut res probationibus demonſtrativis percipiamus, & plerumque probabile in hoc mundo prævalere. Affirmo nihilominùs, quòd ſicuti corpus ſine memoriâ, &c. ità etiam memoria &c. ſine corpore; quodque ſicuti circulus ſine globo, ſic etiam globus ſine circulo exiſtit. Sed hoc eſt ab univerſaliſſimis generibus ad particulares ſpecies deſcendere, de quibus hoc ratiocinium non intelligitur. Dico, quòd Sol ſit mundi centrum, quòdque ſtellæ fixæ longiùs à terrâ diſtent, quàm Saturnus, & hic longiùs, quàm Jupiter, hicque longiùs, quàm Mars; adeò ut in indefinito aëre quædam remotiora à nobis, & quædam nobis propinquiora ſint, quæ nos altiora, vel inferiora nominamus.

Ii, qui dari Spiritûs defendunt, Philoſophos extra fidem non collocant: ſed quidem, qui eos negant; quia omnes Philoſophi

tam

tam antiqui, quàm moderni ſe convictos, Spiritûs dari, arbitrantur. Plutarchus hujus rei teſtis eſt in Tractatibus de Philoſophorum ſententiis, & de Socratis genio: teſtantur quoque omnes Stoici, Pythagorici, Platonici, Peripatetici, Empedocles, Maximus Tyrius, Apulejus, aliique. Ex modernis nemo Spectra negat. Rejice ergo tot ſapientes oculatos, & auritos teſtes, tot Philoſophos, tot hiſtoricos, talia narrantes; affirma eos omnes cum vulgo ſtultos, ac inſanos eſſe: licet tuæ reſponſiones non perſuadeant, ſed quidem abſurdæ ſint, & paſſim ſcopum noſtræ controverſiæ non attingant, neque tu ullam quidem probationem, quæ tuam confirmet ſententiam proferas. Cæſar cum Cicerone & Catone non ridet Spectra, ſed omina, & præſagia, & tamen ſi eo die, quo interibat, Spurinam non illuſiſſet, ipſius hoſtes tot vulneribus eum non confodiſſent. Sed hæc hâc vice ſufficiant, &c.

EPISTOLA LX.

Ampliſſimo, Prudentiſſimoque Viro

* * * * * * * *

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Verſio.

Ampliſſime Vir,

AD tuam reſpondere, heri mihi traditam, propero; eò quòd, ſi longiores necto moras, cogar reſponſionem diutiùs, quàm quidem vellem, differre. Tua me turbaſſet valetudo, niſi te meliùs habere intellexiſſem; & ſpero, te jam omninò convaluiſſe.

Quàm difficulter duo, qui diverſa ſequuntur principia, in materiâ, à multis aliis dependente, invicem poſſint convenire, & idem ſentire, ex hâc Quæſtione ſolâ, licet nulla id demonſtraret ratio, pateret. Dic mihi, quæſo, an aliquos Philoſophos videris, aut legeris, qui in eâ fuerunt ſententiâ, mundum caſu factum

esse, nempe eo sensu, quo tu intelligis, Deum scilicet in creando mundo scopum sibi præfixum habuisse, & tamen eum, quem decreverat, transgressum esse. Nescio tale quid unquam in ullius hominis cogitationem incidisse; similiter me latet, quibus rationibus, ut credam *Fortuitum & Necessarium* non esse contraria, mihi persuadere conaris. Quàm primùm animadverto, tres trianguli angulos duobus rectis necessariò æquales esse, nego quoque id casu fieri. Similiter, quàm primùm adverto, calorem necessarium ignis esse effectum, nego quoque id casu accidere. Quòd *Necessarium ac Liberum* duo contraria sunt, non minùs absurdum, & rationi repugnans videtur: nam nemo negare potest, Deum seipsum, & cætera omnia liberè cognoscere; & tamen cuncti communi suffragio concedunt, Deum seipsum necessariò cognoscere. Quare mihi nullam inter Coactionem, vel vim, & Necessitatem differentiam constituere videris. Quòd homo vult vivere, amare, &c. non est coactum opus, sed tamen necessarium, & multò magis, quòd Deus vult esse, cognoscere, ac operari. Si, præter dicta, animo volvis, indifferentiam non nisi ignorantiam, vel dubitationem esse, atque voluntatem semper constantem, & in omnibus determinatam, virtutem, necessariamque intellectûs esse proprietatem; videbis mea verba penitùs cum veritate concordare. Si affirmamus, Deum potuisse rem non velle, & non potuisse eam non intelligere, Deo diversas attribuimus libertates, alteram necessariam, alteram indifferentem: & consequenter Dei voluntatem ab essentiâ suâ, suoque intellectu diversam concipiemus, & hoc pacto in aliam, ac aliam incidemus absurditatem.

Attentio, quam in præcedenti meâ exegeram, non tibi visa est necessaria; & hoc fuit in causâ, quòd cogitationes tuas in præcipuum non defixeris, illudque, quod quàm maximè ad rem faciebat, neglexeris.

Porrò, ubi dicis, si in Deo actum videndi, audiendi, attendendi, volendi, &c. eosque in eo esse eminenter nego, quòd te tum lateat qualem habeam Deum: hinc suspicor te credere, non majorem esse perfectionem, quàm quæ memoratis attributis explicari potest. Hæc non miror; quia credo, quòd triangulum, siquidem loquendi habe-

haberet facultatem, eodem modo diceret, Deum eminenter triangularem esse, & circulus, Divinam naturam eminenti ratione circularem esse; & hâc ratione quilibet sua attributa Deo adscriberet, similemque se Deo redderet, reliquumque ei deforme videretur.

Epistolæ parvitas, & temporis angustia non sinunt, ut meam de Divinâ naturâ, sententiam, Quæstionesque à te propositas enucleem; præterquam quòd difficultates objicere non sit proferre rationes. Nos in mundo multa ex conjecturâ facere verum est; sed nos nostras ex conjecturâ habere Meditationes est falsum. In communi vitâ verisimillimum, in Speculationibus verò veritatem cogimur sequi. Homo siti, & fame periret, si, antequam perfectam obtinuisset demonstrationem, cibum ac potum sibi profuturum, edere aut bibere nollet: Id autem in Contemplatione locum non habet. Econtra cavendum nobis est, quicquam, tanquam verum, admittere, quod solummodò verisimile est: ubi enim unam admisimus falsitatem, infinitæ sequuntur.

Porrò hinc, quòd Divinæ, & humanæ scientiæ multis litibus, & controversiis repletæ sunt, nequit concludi, ea omnia, quæ in iis tractantur, incerta esse: quoniam plurimi fuerunt, qui tanto contradicendi studio tenebantur, ut etiam demonstrationes Geometricas irriserint. Sextus Empiricus, aliique Sceptici, quos citas, dicunt falsum esse, quòd totum suâ parte majus est, & sic de cæteris judicant axiomatibus.

Ut verò, prætermisso, ac concesso, nos, demonstrationum defectu, verisimilitudinibus debere esse contentos, dico, Demonstrationem verosimilem talem esse debere, ut, licet de eâ dubitare possimus, contradicere tamen nequeamus; quia id, cui potest contradici, non vero; sed falso simile est. Si, exempli gratia, dico, Petrum in vivis esse, quia eum heri sanum conspexi; verò quidem id simile est, quatenus mihi nemo contradicere potest; si autem alius dicit, se heri vidisse eum deliquium animi passum fuisse, seque credere, Petrum inde diem obiisse supremum, hic, ut mea verba falsa videantur, efficit. Tuam conjecturam de Spectris, & Lemuribus falsam, & ne verisimilem quidem videri, tam clarè

oſtendi, ut in reſponſo tuo nihil animadverſione dignum, inveniam.

Ad quæſtionem tuam, an de Deo tam claram, quàm de triangulo habeam ideam, reſpondeo affirmando: Si me verò interroges, utrùm tam claram de Deo, quàm de triangulo habeam imaginem, reſpondebo negando: Deum enim non imaginari; ſed quidem intelligere poſſumus. Hîc quoque notandum eſt, quòd non dico, me Deum omninò cognoſcere; ſed me quædam ejus attributa; non autem omnia, neque maximam intelligere partem, & certum eſt, plurimorum ignorantiam, quorundam eorum habere notitiam, non impedire. Quum Euclidis elementa addiſcerem, primò tres trianguli angulos duobus rectis æquari intelligebam; hancque trianguli proprietatem clarè percipiebam, licet multarum aliarum ignarus eſſem.

Quod ad Spectra, vel Lemures, hactenus nullam intelligibilem de iis auribus hauſi proprietatem; ſed quidem de Phantaſiis, quas nemo capere poteſt. Quum dicis Spectra, vel Lemures hîc inferiùs (ſtylum tuum ſequor, licet ignorem, materiam hîc inferiùs, quàm ſuperiùs minoris eſſe pretii) ex tenuiſſimâ, rariſſimâ & ſubtiliſſimâ conſtare ſubſtantiâ, videris de aranearum telis, aëre, vel vaporibus loqui. Dicere eos eſſe inviſibiles, tantùm mihi valet, ac ſi diceres, quid non ſint, non verò quid ſint: niſi fortè velis indicare, quòd, pro lubitu, ſe jam viſibiles, jam inviſibiles reddunt, quòdque imaginatio in his, ſicut & in aliis impoſſibilibus, inveniet difficultatem.

Non multùm apud me Authoritas Platonis, Ariſtotelis, ac Socratis valet. Miratus fuiſſem ſi Epicurum, Democritum, Lucretium, vel aliquem ex Atomiſtis, atomorumque defenſoribus protuliſſes: non enim mirandum eſt eos, qui Qualitates occultas, Species intentionales. Formas ſubſtantiales, ac mille alias nugas commenti ſunt, Spectra, & Lemures excogitâſſe, & vetulis credidiſſe, ut Democriti authoritatem elevarent, cujus bonæ Famæ tantopere inviderunt, ut omnes ejus libros, quos tantâ cum laude ediderat, combuſſerint. Si iis fidem adhibere animus eſt, quas rationes habes ad miracula Divæ Virginis, & omnium Sanctorum negan-

negandum, quæ à tot Celeberrimis Philoſophis, Theologis, ac Hiſtoricis conſcripta ſunt, ut horum vel centum, illorum verò vix unum producere queam? Denique, Ampliſſime Vir, longiùs quàm volebam, proceſſi; nec te diutiùs iis rebus, quas, (ſcio) non concedes, moleſtias creare volo, quia alia, longè à meis diverſa, ſequeris principia, &c.

EPISTOLA LXI.

Præſtantiſſimo, Acutiſſimóque Philoſopho

B. D. S.

* * * * * * *

Præſtantiſſime Vir,

MIror ſaltem, quòd eo ipſo, quo demonſtrent Philoſophi, aliquid falſum eſſe, eâdem ratione oſtendant ejus veritatem: certitudinem enim intellectûs in ſuæ Methodi initio Carteſius omnibus æqualem eſſe putat; in Meditationibus autem demonſtrat. Idem illi probant, qui putant ſe aliquid certi demonſtrare poſſe hâc ratione, ut pro indubitato à ſingulis hominibus accipiatur.

Sed his miſſis, experientiam provoco, &, ut ad hæc accuratè attendas, ſubmiſſè rogo, ſic enim deprehendetur, ſi ex duobus unus aliquid affirmet, alter verò neget, & ità, ut ſibi ejus ſint conſcii, loquantur, quòd licet verbis contrarii videantur; attamen perpenſis eorum conceptibus, ambo (unuſquiſque pro ſuo conceptu) vera dicant. Quod quidem refero, cùm immenſæ ſit in vita communi utilitatis, & poſſent hoc unico obſervato innumeræ controverſiæ, & inde ſequentes contentiones præcaveri; quamvis veritas hæc in conceptu non ſemper abſolutè vera ſit, ſed poſitis tantùm iis, quæ in intellectu ſupponuntur, ut vera. Quæ Regula etiam adeò eſt univerſalis, ut apud omnes homines, ne dementibus quidem,

dem, ac dormientibus exceptis, reperiatur: quicquid enim hi dicunt, ſe videre (licet nobis non ità appareat) aut vidiſſe, certiſſimum eſt, hæc reverâ ità ſe habere. Quod etiam in caſu propoſito, de *Libero nempe Arbitrio*, clariſſimè conſpicitur. Uterque enim tam qui pro, quàm qui contra diſputat, verum mihi dicere videtur, prout nimirùm quilibet Libertatem concipit; Liberum enim dicit Carteſius, quod à nullâ cauſâ cogitur. Et tu ècontra, quod à nullâ cauſâ determinatur ad aliquid. Fateor itaque tecum, nos in omnibus rebus à certâ cauſâ ad aliquid determinari, & ſic nullum nos habere liberum arbitrium: ſed contrà quoque puto cum Carteſio in certis rebus (quod ſtatim aperiam) nos nullatenus cogi, atque ità habere liberum arbitrium. Exemplum formabo à præſenti.

Triplex autem eſt Status Quæſtionis: *primò*, an in res, quæ extra nos ſunt, abſolutè aliquam habeamus poteſtatem? Quod negatur. Exempli gratiâ, quòd hanc nunc exaro epiſtolam non eſt abſolutè in meâ poteſtate, quandoquidem certè priùs ſcripſiſſem, ni vel abſentiâ, vel amicorum præſentiâ impeditus fuiſſem. *Secundò*, an nos in motûs corporis noſtri, qui ſequuntur, voluntate eos ad id determinante, abſolutè habeamus poteſtatem? Reſpondeo limitando, ſi nimirùm ſano corpore vivamus. Si enim valeo, ſemper me ad ſcribendum applicare, vel non applicare poſſum. *Tertiò*, an, quando mihi meum rationis exercitium uſurpare licet, eo liberrimè, hoc eſt, abſolutè uti poſſim? Ad quod reſpondeo affirmativè. Quis enim mihi negaret, niſi contradicendo propriæ conſcientiæ, quòd non poſſum in meis cogitationibus cogitare, me velle ſcribere, aut non ſcribere. Et quoad operationem quoque, quia hoc externæ cauſæ permittunt, (quod ſecundum concernit caſum) quòd equidem tam ſcribendi, quàm non ſcribendi facultatem habeam: fateor quidem tecum, dari cauſas, quæ me ad id determinant, quòd jam ſcribo, quia ſcilicet primò mihi ſcripſiſti, eâdemque operâ poſtulaviſti, ut primâ occaſione reſcriberem, &, quia impræſentiarum datur occaſio, eam non libenter amitterem. Pro certo etiam affirmo, teſte conſcientiâ, cum Carteſio, iſtiusmodi res me propterea non cogere, meque reverâ (quod negatu vide-

videtur impossibile) id nihilominùs omittere posse, non obstantibus his rationibus. Si quoque cogeremur à rebus externis, cui possibile est habitum virtutis acquirere? imò hòc posito omnis malitia excusabilis esset. Sed quot modis non fit, ut, si à rebus externis ad aliquid determinemur, obfirmato tamen, ac constanti ei resistamus animo?

Ut itaque superioris Regulæ clariorem dem explicationem. Ambo equidem verum dicitis proprium juxta conceptum: si autem absolutam veritatem spectemus, hæc tantùm competit sententiæ Cartesii. Supponis enim in conceptu, ut certum, libertatis essentiam in eo consistere, quòd à nullâ re determinamur. Hoc sic posito, utrumque verum erit; veruntamen cùm essentia cujuslibet rei in eo consistat, sine quo ne quidem concipi possit; & clarè sanè concipiatur libertas, licet ab externis causis in nostris actionibus ad aliquid determinemur; sive licet semper causæ sint, quæ incitamento nobis sunt, ut actiones nostras tali modo dirigamus, cùm tamen id planè non efficiant; verùm nullatenus, posito quòd cogamur. Vide præterea Cartesii I. Tom. Epist. 8. & 9. item II. Tom. pag. 4. Sed hæc sufficiant. Rogo, ut ad has difficultates respondeas, &c.

8. Octob. 1674.

EPISTOLA LXII.

Vide Poiretum Cogit. Rat. p. 408.

Viro Doctissimo, atque Expertissimo

* * * * * * *

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Expertissime Domine,

MIsit mihi amicus noster J. R. literas, quas ad me dignatus es scribere, unà cum judicio tui amici de meâ, & Cartesii de libero arbitrio sententiâ, quæ mihi gratissima fuerunt. Et, quamvis

vis in præsentiâ, præterquam quòd valetudinem non satis firmam habeam, aliis rebus admodùm distrahar, tamen vel singularis tua humanitas, vel quòd ego præcipuum puto, veritatis studium, quo teneris, me cogit, ut tuo desiderio pro mei ingenii tenuitate, satisfaciam. Etenim quid tuus amicus velit, antequam experientiam provocat, & accuratam attentionem petit, nescio. Quòd deinde addit, *Si quando inter duos alter de re quâpiam quid affirmat, alter autem neget &c.* Verum est, si intelligit illos duos, quamvis iisdem utantur vocabulis, de rebus tamen diversis cogitare, cujus rei exempla aliquot amico J. R. olim misi, cui jam scribo, ut tibi eadem communicet.

Transeo igitur ad illam Libertatis definitionem, quam meam esse ait; sed nescio, unde illam sumpserit. Ego eam rem liberam esse dico, quæ ex solâ suæ naturæ necessitate existit, & agit; Coäctam autem, quæ ab alio determinatur, ad existendum, & operandum certâ, ac determinatâ ratione. Ex. gr. Deus, tametsi necessariò, liberè tamen existit, quia ex solâ suæ naturæ necessitate existit. Sic etiam Deus se, & absolutè omnia liberè intelligit, quia ex solâ ipsius naturæ necessitate sequitur, ut omnia intelligat. Vides igitur me libertatem non in libero decreto; sed in liberâ necessitate ponere.

Sed ad res creatas descendamus, quæ omnes à causis externis determinantur ad existendum, & operandum certâ, ac determinata ratione. Quod ut clarè intelligatur, rem simplicissimam concipiamus. Ex. gr. Lapis à causâ externâ, ipsum impellente, certam motûs quantitatem accipit, quâ postea, cessante causæ externæ impulsu, moveri necessariò perget. Hæc igitur lapidis in motu permanentia coäcta est, non quia necessaria; sed quia impulsu causæ externæ definiri debet; & quod hîc de lapide, id de quâcunque re singulari, quantumvis illa composita, & ad plurima apta esse concipiatur, intelligendum est, quòd scilicet unaquæque res necessariò à causâ externâ aliquâ determinatur ad existendum, & operandum certâ, ac determinatâ ratione.

Porrò, concipe jam, si placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare, & scire, se, quantum potest, conari, ut moveri pergat.

gat. Hic ſanè lapis, quandoquidem ſui tantummodò conatûs eſt conſcius, & minimè indifferens, ſe liberrimum eſſe, & nullâ aliâ de cauſâ in motu perſeverare credet, quàm quia vult. Atque hæc humana illa libertas eſt, quam omnes habere jactant, & quæ in hoc ſolo conſiſtit, quòd homines ſui appetitûs ſint conſcii, & cauſarum, à quibus determinantur, ignari. Sic infans ſe lac liberè appetere credit; puer autem iratus vindictam velle, & timidus fugam. Ebrius deinde credit, ſe ex libero mentis decreto ea loqui, quæ poſtea ſobrius tacuiſſe vellet. Sic delirans, garrulus, & hujus farinæ plurimi ſe ex libero mentis decreto agere, non autem impetu ferri credunt. Et quia hoc præjudicium omnibus hominibus innatum eſt, non ità facilè eodem liberantur. Nam quamvis experientia ſatis ſuperque doceat, homines nihil minùs poſſe, quàm appetitûs moderari ſuos, & quòd ſæpe, dum contrariis affectibus conflictantur, meliora videant, & deteriora ſequantur, ſe tamen liberos eſſe credunt, idque propterea, quòd res quaſdam leviter appetant, & quarum appetitus facilè poteſt contrahi memoriâ alterius rei, cujus frequenter recordamur.

His, quænam mea de liberâ, & coactâ neceſſitate, deque fictâ humanâ libertate ſit ſententia, ſatis, ni fallor, explicui; ex quibus facilè ad tui amici objectiones reſpondetur. Nam, quòd cum Carteſio ait, illum liberum eſſe, qui à nullâ cauſâ externâ cogitur, ſi per hominem coactum intelligit eum, qui invitus agit, concedo nos quibuſdam in rebus nullatenus cogi, hocque reſpectu habere liberum arbitrium; Sed ſi per coactum intelligit, qui quamvis non invitus, neceſſariò tamen agit, (ut ſuprà explicui) nego nos aliquâ in re liberos eſſe.

At Amicus tuus contrà affirmat; *nos rationis exercitio liberrimè, hoc eſt, abſolutè uti poſſe*, quâ in re ſatis, ne dicam nimis confidenter perſtat. *Quis enim*, ait, *niſi propriæ contradicendo conſcientiæ, negaret, me cogitationibus meis cogitare poſſe, quòd vellem, & quòd non vellem ſcribere.* Pervelim ſcire, quam ille conſcientiam, præter illam, quam ſuprà exemplo lapidis explicui, narrat: Ego ſanè, ne meæ conſcientiæ, hoc eſt, ne rationi, & experientiæ contradicam, & ne præjudicia, & ignorantiam

foveam, nego, me ullâ abſolutâ cogitandi potentiâ cogitare poſſe, quòd vellem, & quòd non vellem ſcribere. Sed ipſius conſcientiam appello, qui ſine dubio expertus eſt, ſe in ſomnis non habere poteſtatem cogitandi, quòd vellet & quòd non vellet ſcribere; nec cùm ſomniat ſe velle ſcribere, poteſtatem habet, non ſomniandi ſe velle ſcribere; nec minùs expertum illum eſſe credo, quòd mens non ſemper æquè apta ſit ad cogitandum de eodem objecto; ſed prout corpus aptius eſt, ut in eo hujus, vel illius objecti imago excitetur, ità mens aptior eſt ad hoc, vel illud objectum contemplandum.

Cùm præterea addit, quòd cauſæ, cur animum ad ſcribendum applicuerit, ipſum quidem ad ſcribendum impulerint; ſed non coëgerint, nihil aliud ſignificat, (ſi rem æquo pondere examinare velis) quàm quòd ipſius animus ità tum erat conſtitutus, ut cauſæ, quæ ipſum aliàs, cùm ſcilicet magno aliquo affectu conflictatur, non potuiſſent, nunc facilè potuerunt flectere, hoc eſt, cauſæ, quæ ipſum aliàs non potuiſſent cogere, coëgerunt jam, non ut invitus ſcriberet; ſed ut neceſſariò ſcribendi eſſet cupidus.

Quòd porrò ſtatuit: *quòd ſi à cauſis externis cogeremur, virtutis habitum acquirere poſſit nemo*; Neſcio, quis ipſi dixerit, non poſſe ex fatali neceſſitate; ſed tantummodò ex libero Mentis decreto, fieri, ut firmato, & conſtanti ſimus animo.

Et quòd denique addit: *quòd hoc poſito omnis malitia excuſabilis eſſet*. Quid inde? Nam homines mali non minùs timendi ſunt, nec minùs perniciosi, quando neceſſariò mali ſunt. Sed de his ſi placet, vide meæ Appendicis ad Carteſii Principiorum lib. I. & II. ordine Geometrico demonſtratos Partis II. Caput VIII.

Denique tuus amicus, qui hæc mihi objicit, vellem, ut mihi reſponderet, quâ ratione ille humanam virtutem, quæ ex libero Mentis decreto oritur, ſimul concipiat cum Dei præordinatione. Quòd ſi cum Carteſio fatetur, ſe hæc neſcire conciliare, ergo telum, quo ipſe transfixus jam eſt, in me vibrare conatur. Sed fruſtrà. Nam ſi meam ſententiam attento animo examinare velis, omnia congruere videbis, &c.

EPISTO-

EPISTOLA LXIII.

Præstantissimo, atque Acutissimo Philosopho

B. D. S.

* * * * * * * *

Præstantissime Vir,

METhodum tuam rectè regendæ rationis in acquirendâ veritatum incognitarum cognitione, ut & Generalia in Physicis quando impetrabimus? Novi te jam modò magnos in iis feciſſe progreſſûs. Prius jam mihi innotuit, & posterius noscitur ex Lemmatibus Parti secundæ Ethices adjectis: quibus multæ difficultates in Physicis facilè solvuntur. Si otium, & occasio sinit, à te submissè peto, veram Motûs Definitionem, ut & ejus explicationem, atque quâ ratione, cùm extensio, quatenus per se concipitur, indivisibilis, immutabilis, &c. sit, à priori deducere possimus tot, tamque multas oriri posse varietates, & per consequens existentiam figuræ in particulis alicujus corporis, quæ tamen in quovis corpore variæ, & diversæ sunt à figuris partium, quæ alterius corporis formam constituunt? Præsens mihi indicasti methodum, quâ uteris in indagandis necdum cognitis veritatibus. Experior eam Methodum valdè esse præcellentem, & tamen valdè facilem, quantum ego de eâ concepi; & possum affirmare hâc unicâ observatione magnos me in Mathematicis feciſſe progreſſûs: optem idcircò, ut mihi veram traderes definitionem ideæ adæquatæ, veræ, falsæ, fictæ, & dubiæ. Differentiam inter ideam veram, & adæquatam quæsivi, huc usque tamen nil aliud rescire potui, quàm quum rem inquisivi, & certum conceptum, vel ideam, quòd, inquam, (ut porrò expiscarer, an hæc idea verâ etiam alicujus rei adæquata esset) ex me quæsiverim, quæ sit causa hujus ideæ, aut conceptûs; quâ cognitâ denuò interrogavi, quæ sit rursus causa hujus conceptûs, & sic semper in causas causarum idearum inquirendo

perrexi, uſque dum talem cauſam nanciſcerer, cujus aliam cauſam rurſus videre non poſſem, quàm quòd inter omnes ideas poſſibiles, quas penes me habeo, hæc una quoque ex iiſdem exiſtat. Si, exempli cauſâ, inquirimus, in quo conſiſtat vera noſtrorum Errorum origo; Carteſius reſpondebit, quòd aſſenſum præbeamus rebus nondum clarè perceptis; verùm licet hæc vera idea hujus rei ſit, nondum tamen potero omnia circa hæc ſcitu neceſſaria determinare, niſi quoque hujus rei adæquatam ideam habuero, quam ut aſſequar, denuo in cauſam hujus conceptûs inquiro, quare nimirùm fiat, ut aſſenſum præbeamus rebus non clarè intellectis, & reſpondeo hoc fieri ex defectu cognitionis; ſed hîc rurſus ulteriùs inquirere non licet, quænam ſit cauſa, ut quædam ignoremus; ac proinde video me adæquatam ideam noſtrorum errorum detexiſſe. Hîc interim à te requiro, an, quia conſtat, multas res infinitis modis expreſſas habere adæquatam ſui ideam, & ex quâvis adæquatâ ideâ omnia ea, quæ de re ſciri poſſunt, educi poſſe, quamvis faciliùs ex hâc, quàm ex illâ ideâ, eliciantur, an, inquam, ſit medium, quo noſcatur, utra præ aliâ uſurpanda ſit. Sic, exempli gratiâ, adæquata idea circuli conſiſtit in radiorum æqualitate, eadem quoque conſiſtit in infinitis rectangulis ſibi invicem æqualibus, factis à ſegmentis duarum linearum, atque ſic porrò infinitas habet expreſſiones, quarum unaquæque adæquatam circuli naturam explicat; & quamvis ex unaquâque harum omnia alia deducere liceat, quæ de circulo ſciri poſſunt, id ipſum tamen multò faciliùs fit ex unâ harum, quàm ex alterâ. Sic quoque, qui applicatas Curvarum conſiderat, multa deducet, quæ ad dimenſionem harum ſpectant, ſed majori facilitate, ſi conſideremus Tangentes, &c. Et ità indicare volui, quò uſque hâc in Diſquiſitione progreſſus ſum: Cujus perfectionem, vel ſi alicubi erro emendationem, nec non deſideratam Definitionem exſpecto. Vale.

EPISTOLA LXIV.

Nobilissimo, ac Doctissimo Viro,

* * * * * * * *

B. D. S.

Responsio ad Præcedentem.

Nobilissime Vir,

INter ideam veram & adæquatam nullam aliam differentiam agnosco, quàm quòd nomen veri respiciat tantummodò convenientiam ideæ cum suo ideato; Nomen adæquati autem naturam ideæ in se ipsâ; ità ut reverâ nulla detur differentia inter ideam veram, & adæquatam præter relationem illam extrinsecam. Jam autem, ut scire possim, ex quâ rei ideâ ex multis omnes subjecti proprietates possint deduci, unicum tantùm observo, ut ea rei idea, sive definitio causam efficientem exprimat. Exempli gratiâ, ad circuli proprietates investigandas inquiro, an ex hâc ideâ circuli, quòd scilicet constat ex infinitis rectangulis, possim omnes ejus proprietates deducere, inquiro, inquam, an hæc idea causam circuli efficientem involvat, quòd cùm non fiat, aliam quæro: nempe quòd circulus sit spatium, quod describitur à lineà, cujus unum punctum est fixum, alterum mobile: cùm hæc Definitio jam causam efficientem exprimat, scio me omnes inde posse circuli proprietates deducere, &c. Sic quoque cùm Deum definio esse Ens summè perfectum, cumque ea definitio non exprimat causam efficientem, (intelligo enim causam efficientem tam internam, quàm externam) non potero inde omnes Dei proprietates expromere; at quidem cum definio Deum esse *Ens*, &c. vide Definit. VI. Part. I. Ethices.

Cæterùm de reliquis, nimirùm de motu, quæque ad Methodum spectant, quia nondum ordine conscripta sunt, in aliam occasionem reservo.

Circa illa, quæ ais, quòd ille, qui conſiderat applicatas Curvarum, multa deducet, quæ ad dimenſionem earum ſpectant; ſed majori facilitate, conſiderando Tangentes, &c. Ego contrarium puto, quòd etiam conſiderando Tangentes multa alia difficiliùs deducentur, quàm conſiderando ordinatim applicatas, & abſolutè ſtatuo, quòd ex quibuſdam proprietatibus alicujus rei (quâcunque datâ ideâ) alia faciliùs, alia difficiliùs (quæ tamen omnia ad Naturam illius rei ſpectant) inveniri poſſint; ſed hoc tantûm obſervandum exiſtimo, ideam talem eſſe inquirendam, ex quâ omnia elici queant, ut ſuprà dictum. Omnia enim ex aliquâ re poſſibilia deducturus, neceſſariò ſequitur ultima prioribus difficiliora fore, &c.

EPISTOLA LXV.

Præſtantiſſimo, Acutiſſimóque Philoſopho

B. D. S.

* * * * * *

Præſtantiſſime Vir,

SEriò abs te peto, ut dubitationes hîc motas ſolvere, tuamque ad eas reſponſionem mittere placeat. Sit, rogo, demonſtratio ea oſtenſiva; non verò ad impoſſibile deducens, num ſcilicet primò nos plura de Deo attributa, quàm Cogitationem, Extenſionemque poſſimus cognoſcere? Porrò num inde ſequatur creaturas, aliis conſtantes attributis, nullam poſſe concipere extenſionem? Unde ſequeretur tot conſtituendos eſſe mundos, quot dantur Dei attributa. Quantæ ex. gr. extenſionis noſter exiſteret mundus, tantæ quoque extenſionis mundi, aliis affecti attributis, eſſent: quemadmodum verò, præter cogitationem, non niſi extenſionem percipimus, ità etiam iſtius mundi creaturæ, non niſi ſui mundi attributa, atque cogitationem perciperent.

Secundò, quoniam Dei intellectus tam eſſentiâ, quàm exiſtentiâ

ſtentiâ à noſtro differt intellectu; nihil ergo cum noſtro commune habebit; ac proinde (per 3 Ethic. Prop. part. 1.) Dei intellectus noſtri cauſa eſſe nequit.

Tertiò, in Schol. 10. Prop. part. 1. Ethic. ais *nihil in naturâ clarius eſſe, quàm quòd unumquodque ens ſub aliquo attributo debeat concipi*; (quod optimè capio) *& quò plus realitatis, aut eſſe habeat, eò plura ei competant attributa.* Hinc ſequi videtur, dari entia, quæ tria, quatuor, aliaque plura habent attributa, licet ex demonſtratis colligere licuerit, unumquodque ens duobus tantùm conſtare attributis, nimirùm certo quodam Dei attributo, ejuſdemque attributi ideâ.

Quartò, eorum, quæ à Deo immediatè producta ſunt, quæque mediante infinitâ quâdam modificatione producuntur, exempla deſiderarem. Prioris generis cogitatio, ac extenſio; poſterioris verò intellectus in cogitatione, motus in extenſione eſſe videntur.

Hæc ſunt, quæ abs te, ſiquidem tempus aliquod tibi ſit reliquum, peto. Vale, &c.

25 Julii. 1675.

EPISTOLA LXVI.

Doctiſſimo, Expertiſſimoque Viro

* * * * * * *

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Expertiſſime Vir,

GAudéo, quòd tandem occaſio tibi oblata fuerit, ut me tuis literis, mihi ſemper gratiſſimis, recreares, quod ut frequenter facias, enixè rogo, &c.

Ad dubia pergo, & quidem ad primum dico, Mentem humanam

nam illa tantummodò posse cognitione assequi, quæ idea corporis actu existentis involvit, vel quod ex hâc ipsâ ideâ potest concludi. Nam cujuscunque rei potentia solâ ejus essentiâ definitur, (per Prop. 7. p. 3. Ethices) Mentis autem essentia (per Prop. 13. p. 2.) in hoc solo consistit, quòd sit idea Corporis actu existentis, ac proinde Mentis intelligendi potentia ad ea tantùm se extendit, quæ hæc idea Corporis in se continet, vel quæ ex eâdem sequuntur. At hæc Corporis idea nulla alia Dei attributa involvit, neque exprimit, quàm Extensionem, & Cogitationem. Nam ejus ideatum, nempe Corpus (per Prop. 6. p. 2.) Deum pro causâ habet, quatenus sub attributo Extensionis, & non quatenus sub ullo alio consideratur, atque adeò (per Axiom. 6. p. 1.) hæc Corporis idea Dei cognitionem involvit, quatenus tantummodò sub Extensionis attributo consideratur. Deinde hæc idea, quatenus cogitandi modus est, Deum etiam (per eandem Prop.) pro causâ habet, quatenus res est cogitans, & non quatenus sub alio attributo consideratur; adeoque (per idem Axiom.) hujus ideæ idea Dei cognitionem involvit, quatenus sub Cogitationis, & non quatenus sub alio attributo consideratur. Apparet itaque Mentem humanam, sive Corporis humani ideam præter hæc duo nulla alia Dei attributa involvere, neque exprimere. Cæterùm ex his duobus attributis, vel eorundem affectionibus nullum aliud Dei attributum (per Prop. 10. p. 1.) concludi, neque concipi potest. Atque adeò concludo Mentem humanam nullum Dei attributum præter hæc posse cognitione assequi, ut fuit propositum. Quòd autem addis, an ergo tot mundi constituendi sunt, quot dantur attributa? vide Schol. Prop. 7. p. 2. Ethices. Posset præterea hæc Propositio faciliùs demonstrari, deducendo rem ad absurdum; quod quidem demonstrandi genus, quando Propositio negativa est, præ altero eligere soleo, quia cum naturâ similium magis convenit. Sed quia positivum tantummodò petis, ad alterum transeo, quòd est, an id possit ab alio produci, in quo tam essentia, quàm existentia discrepat: nam quæ ab invicem ità differunt nihil commune habere videntur. Sed cùm omnia singularia, præter illa, quæ à suis similibus producuntur, differant à

ſuis cauſis, tam eſſentiâ, quàm exiſtentiâ, nullam hîc dubitandi rationem video.

Quo autem ego ſenſu intelligam, quòd Deus ſit cauſa efficiens rerum, tam eſſentiæ, quàm exiſtentiæ, credo me ſatis explicuiſſe in Schol. & Coroll. Prop. 25. p. 1. Ethic.

Axioma Scholii Prop. 10. p. 1. ut in fine ejuſd. Scholii innui, formamus ex ideâ, quam habemus Entis abſolutè infiniti, & non ex eo, quòd dentur, aut poſſint dari entia, quæ tria, quatuor, &c. attributa habeant.

Denique exempla, quæ petis, primi generis ſunt in Cogitatione, intellectus abſolutè infinitus; in Extenſione autem motus & quies; ſecundi autem, facies totius Univerſi, quæ quamvis infinitis modis variet, manet tamen ſemper eadem, de quo vide Schol. 7. Lemmatis ante Prop. 14. p. 2.

His, Vir præſtantiſſime, ad tuas, noſtrique amici objectiones reſpondiſſe me credo, ſi tamen ſcrupulum adhuc remanere exiſtimas, rogo, ut mihi ſignificare non graveris, ut eum etiam, ſi poſſim, evellam. Vale, &c.

Hagæ Com. 29 Julii, 1675.

EPISTOLA LXVII.

Acutiſſimo, ac Doctiſſimo Philoſopho,

B. D. S.

* * * * * * *

Vir Clariſſime,

ABs te peto Demonſtrationem ejus, quod dicis; nempe quòd anima non poſſit plura attributa Dei, quàm Extenſionem, & Cogitationem percipere. Quod quidem licet evidenter videam, contrarium tamen ex Schol. Prop. 7. part. 2. Ethices poſſe deduci, mihi videtur, fortè non aliam ob cauſam, quàm quia ſenſum hujus

Scholii non ſatis rectè percipio. Conſtitui ergo, hæc quâ ratione deducam, exponere, te, Vir Cl. obnixè rogans, ut mihi velis, ubicunque ſenſum tuum non rectè aſſequor, ſolitâ tuâ humanitate ſuccurrere. Ea autem ſic ſeſe habent. Quòd, licet inde colligam, mundum utique unicum eſſe, id tamen exinde non minùs quoque clarum eſt, eum ipſum infinitis modis expreſſum; ac proinde unamquamque rem ſingularem infinitis modis expreſſam eſſe. Unde videtur ſequi, quòd Modificatio illa, quæ Mentem meam conſtituit; ac Modificatio illa, quæ Corpus meum exprimit, licet una, & eadem ſit Modificatio, ea tamen infinitis modis ſit expreſſa, uno modo per Cogitationem, altero per Extenſionem, tertiò per attributum Dei mihi incognitum, atque ſic porrò in infinitum, quia infinita dantur Attributa Dei, & Ordo, & Connexio Modificationum videtur eſſe eadem in omnibus. Hinc jam Quæſtio oritur, quare Mens, quæ certam Modificationem repræſentat, & quæ eadem Modificatio non ſolùm Extenſione, ſed infinitis aliis modis eſt expreſſa; quare, inquam, tantùm Modificationem illam per Extenſionem expreſſam, hoc eſt, Corpus humanum, & nullam aliam expreſſionem per alia attributa percipiat. Sed tempus mihi non permittit, ut ea prolixiùs proſequar, forte hæc dubia omnia crebrioribus Meditationibus eximentur.

Londini, 12. Auguſt. 1675.

EPISTOLA LXVIII.

Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo Viro,

* * * * * * *

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Nobiliſſime Vir,

CÆterùm, ad tuam Objectionem ut reſpondeam, dico, quòd quàmvis unaquæque res infinitis modis expreſſa ſit in infinito

Dei

Dei intellectu, illæ tamen infinitæ ideæ, quibus exprimitur, unam eandemque rei ſingularis Mentem conſtituere nequeunt; ſed infinitas: quandoquidem unaquæque harum infinitarum idearum nullam connexionem cum invicem habent, ut in eodem Scholio Propoſitionis 7. Part. 2. Ethic. explicui, & ex Prop. 10. Part. 1. patet. Ad hæc ſi aliquantulùm attendas, nihil difficultatis ſupereſſe videbis, &c.

Hagæ 18 Auguſt. 1675.

EPISTOLA LXIX.

Acutiſſimo, atque Doctiſſimo Philoſopho,

B. D. S.

* * * * * * *

Vir Clariſſime,

PRimò difficulter admodùm concipere queo, quî à priori corporum exiſtentia demonſtretur, quæ motûs, & figuras habent; cùm in Extenſione, abſolutè rem conſiderando, nil tale occurrat. Secundò erudiri abs te vellem, quomodò intelligendum ſit, cujus meminiſti Epiſtolâ de Infinito his verbis. *Nec tamen concludunt talia omnem numerum ſuperare ex partium multitudine.* Nam reverâ omnes Mathematici mihi videntur circa talia infinita ſemper demonſtrare, quòd partium numerus ſit tam magnus, ut omnem aſſignabilem numerum ſuperent, & in exemplo, de duobus circulis ibidem allato, non hoc ipſum declarare videris, quod tamen ſuſceperas. Ibi enim tantùm oſtendis, quòd non hoc ipſum concludunt ex nimiâ ſpatii interpoſiti magnitudine, & *quòd ejus maximum & minimum non habeamus*; ſed non demonſtras prout volebas, quòd id non concludant ex partium multitudine, &c.

2. Maji, 1676.

EPISTOLA LXX.

Nobiliſſimo, atque Doctiſſimo Viro,

* * * * * * *

B. D. S.

Reſponſio ad Præcedentem.

Nobiliſſime Vir,

QUod in Epiſtola de Infinito dixi, quòd partium infinitatem ex earum multitudine non concludant, hinc patet, quòd, ſi ea ex earum multitudine concluderetur, non poſſemus majorem partium multitudinem concipere; ſed earum multitudo, quâvis datâ, deberet eſſe major, quod falſum eſt: nam in toto ſpatio, inter duos circulos, diverſa centra habentes, duplo majorem partium multitudinem concipimus, quàm in ejuſdem dimidio, & tamen partium numerus, tam dimidii, quàm totius ſpatii omni aſſignabili numero major eſt. Porrò ex Extenſione, ut eam Carteſius concipit, molem ſcilicet quieſcentem, corporum exiſtentiam demonſtrare non tantùm difficile, ut ais; ſed omninò impoſſibile eſt. Materia enim quieſcens, quantum in ſe eſt, in ſuâ quiete perſeverabit, nec ad motum concitabitur, niſi à cauſâ potentiori externâ; & hâc de cauſâ non dubitavi olim affirmare; rerum naturalium principia Carteſiana inutilia eſſe, ne dicam abſurda.

Hagæ 5 Maji 1676.

EPI-

EPISTOLA LXXI.

Acutissimo, Doctissimoque Philosopho,

B. D. S.

* * * * * * * *

Doctissime Vir,

VElim, ut hâc in re mihi gratificeris, indicando, quî ex conceptu Extensionis secundum tuas meditationes varietas rerum à priori possit ostendi, quandoquidem meministi opinionis Cartesii, in quâ Cartesius statuit, se eam ex Extensione nullo alio modo deducere posse, quàm supponendo motu à Deo excitato hoc effectum fuisse in Extensione: deducit ergo juxta meam opinionem corporum existentiam non ex quiescente materia, nisi fortè suppositionem motoris Dei pro nihilo haberes; quandoquidem, quî illud ex essentiâ Dei à priori necessariò sequi debeat, abs te non sit ostensum; id quod Cartesius ostensurus captum humanum superare credebat. Quare à te hanc rem requiro, sciens bene, te alias cogitationes habere, nisi alia sontica subsit fortè causa, quare illud hactenus manifestum facere nolueris; & si hoc, de quo non dubito, non opus fuisset, tale quid obscurè indicares. Sed certò tibi persuasum habeas, quòd sive candidè mihi aliquid indices, sive celes, meus tamen erga te affectus immutatus maneat.

Rationes tamen, cur illud specialiter desiderem, hæ sunt, quòd in Mathematicis semper observarim, quòd nos ex quâvis re in se consideratâ, hoc est, ex definitione cujusque rei, unicam saltem proprietatem deducere valeamus; quòd si autem plures proprietates desideremus, necesse esse, ut rem definitam ad alia referamus: tunc siquidem ex conjunctione definitionum harum rerum novæ proprietates resultant. Ex. gr. Si circuli peripheriam considerem solam, nihil aliud concludere potero, quàm quòd ubique sibi similis, sive uniformis existat, quâ quidem proprietate ab omnibus

bus aliis curvis essentialiter differt, nec ullas alias unquam potero deducere. Verùm si ad alia referam, nimirum ad radios ex centro deductos, ad duas lineas sese intersecantes, aut plures quoque, plures utique hinc proprietates deducere valebo; quæ quidem aliquo modo videntur adversari Prop. 16. Ethices, quæ præcipua ferè est 1 lib. tui Tractatus: In quâ tanquam notum assumitur, posse ex datâ cujuscunque rei definitione plures proprietates deduci, quod mihi videtur impossibile, si non ad alia referamus rem definitam; & quod porrò effecit, ut non possim videre, quâ ratione ex Attributo aliquo solo considerato, ex. gr. Extensione infinitâ corporum varietas exsurgere possit; vel si existimas hoc quoque non posse concludi ex unico solo considerato; sed omnibus simul sumptis, vellem hoc edoceri abs te, & quâ ratione hoc concipiendum foret. Vale &c.

Parisiis, 23 Jun. 1676.

EPISTOLA LXXIII.

Nobilissimo, atque Doctissimo Viro,

* * * * * * * *

B. D. S.

Responsio ad Præcedentem.

Nobilissime Vir,

QUòd petis, an ex solo Extensionis conceptu rerum varietas à priori possit demonstrari, credo me jam satis clarè ostendisse, id impossibile esse; ideoque materiam à Cartesio malè definiri per Extensionem; sed eam necessariò debere explicari per attributum, quod æternam, & infinitam essentiam exprimat. Sed de his forsan aliquando, si vita suppetit, clariùs tecum agam. Nam huc usque nihil de his ordine disponere mihi licuit.

Quòd autem addis, nos ex definitione cujusque rei, in se consideratæ,

deratæ, unicam tantùm proprietatem deducere valere, locum forſan habet in rebus ſimpliciſſimis, vel entibus rationis, (ad quæ figuras etiam refero) at non in realibus. Nam ex hoc ſolo, quòd Deum definio eſſe Ens ad cujus eſſentiam pertinet exiſtentia, plures ejus proprietates concludo : nempe quòd neceſſariò exiſtit, quòd ſit unicus, immutabilis, infinitus, &c. & ad hunc modum plura alia exempla adferre poſſem, quæ impræſentiarum omitto. Denique rogo, ut inquiras, an Tractatus D. Huet, (nempe contra Tractatum Theologo-Politicum) de quo antea ſcripſiſti, lucem jam viderit, & an mihi exemplar transmittere poteris, deinde an jam noveris, quænam ea ſint, quæ de Refractione noviter inventa ſint. Hiſce vale, Nobiliſſime Vir, & amare perge, &c.

Hagæ Com. 15 Julii. 1676.

EPISTOLA LXXIII.

Doctiſſimo, & Acutiſſimo Viro,

B. D. S.

ALBERTUS BURGH

S. P.

PRomiſi tibi ſcribere ex Patriâ diſcedens, nimirùm ſi quid digni mihi in itinere occurreret : hæc autem occaſio cùm mihi data ſit, maximiſque quidem momenti, debitum meum perſolvo, tibi ſignificans, me per Infinitam Dei Miſericordiam in Eccleſiam Catholicam reductum, ejuſdemque membrum effectum eſſe; quod quomodò acciderit, ex ſcripto, quod Clariſſimo, Expertiſſimoque Viro D. Craeneno, Profeſſori Leidenſi miſi, particulariùs intelligere tibi licebit, jamque hinc, ad tuam quæ ſpectant utilitatem, brevibus ſubjungam.

Quò magis te antea aliquando præ ſubtilitate, & acumine tui ingenii admiratus ſum, eò magis te nunc defleo, & deploro; quo-

quoniam, homo cùm ſis ingenioſiſſimus, & præclaris dotibus mentem à Deo ornatam nactus, veritatisque amans, imò avidus ſis, te tamen à miſero, & ſuperbiſſimo illo Spirituum ſceleſtorum Principe circumduci, & decipi patiaris. Tota enim tua Philoſophia quid eſt, niſi mera illuſio, & Chymæra? & tamen non ſolùm illi tranquillitatem mentis tuæ in hâc vitâ; ſed & ſalutem æternam animæ tuæ committis. Vide quàm miſero omnia tua innitantur fundamento. Te veram Philoſophiam demum inveniſſe præſumis. Quomodò ſcis, tuam Philoſophiam optimam eſſe inter illas omnes, quæ unquam in mundo doctæ fuerunt, etiamnum docentur, aut unquam impoſterum docebuntur? An, ut de excogitatione futurarum taceam, omnes illas Philoſophias tam antiquas, quàm novas, quæ hîc, & in Indiâ, & ubique per totum terrarum orbem docentur, examinâſti? & quamvis illas ritè examinaveris, quomodò ſcis te optimam elegiſſe? Dices, mea Philoſophia rationi rectæ congrua eſt, cæteræ eidem repugnant: ſed omnes reliqui Philoſophi præter tuos diſcipulos à te diſſentiunt, ac eodem jure idem, quod tu de tuâ, ipſi de ſe, ſuâque Philoſophiâ prædicant, teque, ſicut tu illos, falſitatis, erroriſque arguunt. Manifeſtum igitur eſt, à te, ut veritas tuæ Philoſophiæ eluceat, proponendas eſſe rationes, quæ reliquis Philoſophiis non ſunt communes; ſed ſoli tuæ applicari poſſint; aut tuam Philoſophiam æquè incertam, & nugatoriam eſſe, ac alias reliquas, fatendum eſt.

Jam autem me ad librum tuum, cui titulum iſtum impium præfixiſti, reſtringens, confundensque Philoſophiam tuam cum tuâ Theologiâ; quoniam tu ipſe illas reverâ confundis, quamvis aſtutiâ Diabolicâ unam ab alterâ ſeparatam eſſe, & diverſa principia habere, ſtatuere obtendas, ſic ulteriùs pergo.

Dices itaque forſan: alii S. Scripturam toties non legerunt, quàm ego, & ex illâ ipſâ S. Scripturâ, cujus agnitio authoritatis differentiam inter Chriſtianos, & reliquos totius mundi populos conſtituit, probo mea placita. Sed quomodò? applicando textûs claros obſcurioribus S. Scripturam explico, & ex illâ meâ interpretatione Dogmata mea compono, vel jam antea in cerebro meo conflata

conflata confirmo. Sed obsecro, ut reflectas seriò ad hoc, quod dicis: quomodò enim scis te bene dictam istam applicationem facere, & deinde istam applicationem ritè factam interpretationi S. Scripturæ sufficientem esse, sicque te bene ejusdem S. Scripturæ interpretationem instituere? præsertim cùm Catholici dicant, & verissimum sit, Verbum Dei universum non esse scriptis traditum, & sic S. Scripturam per S. Scripturam solam non posse explicari, non dicam ab uno homine; sed ne quidem ab ipsâ Ecclesiâ, quæ sola est S. Scripturæ interpres: Traditiones enim Apostolicæ etiam consulendæ sunt, quòd ex ipsâ S. Scripturâ, & Sanctorum Patrum testimonio probatur, nec non rationi rectæ pariter, ac experientiæ consentaneum est. Atque ità falsissimum cùm sit tuum principium, & in exitium ducens; ubi tota tua doctrina, huic falso fundamento innixa, & superædificata, remanebit?

Sic igitur, si in Christum crucifixum credis, agnosce pessimam tuam hæresin, resipiscas à perversione tuæ naturæ, & cum Ecclesiâ reconciliator.

Quid enim alio modo tua probas, quàm omnes Hæretici, qui unquam ex Ecclesiâ Dei exierunt, etiamnum exeunt, aut unquam imposterum exibunt, fecerunt, faciunt, aut facient? Omnes enim, sicut & tu, eodem principio, scilicet solâ S. Scripturâ ad sua dogmata conflanda, & stabilienda utuntur.

Neque tibi abblandiatur, quòd fortè Calvinistæ, seu Reformati dicti, neque Lutherani, neque Mennonitæ, neque Sociniani, &c. tuam Doctrinam refellere possint: omnes enim isti, ut jam dictum est, æquè miseri sunt, ac tu es, & pariter tecum in umbrâ mortis sedent.

Si verò in Christum non credis, miserior es, quàm effari possum, remedium tamen facilè est: resipisce enim à peccatis tuis, animadvertens arrogantiam exitialem miseri, & insani tui ratiocinii. In Christum non credis: quare? Dices, quia principiis meis Doctrina, & vita Christi, nec non Christianorum de ipso Christo Doctrina meæ Doctrinæ minimè convenit. Sed iterum dico, tunc te majorem cogitare audes omnibus iis, qui unquam in Civitate, vel Ecclesiâ Dei surrexerunt, Patriarchis, Prophetis, Apostolis,

Martyribus, Doctoribus, Confeſſoribus, & Virginibus, Sanctis innumeris, imò per blaſphemiam ipſo Domino Jeſu Chriſto? Tune illis ſolus doctrinâ, vivendi modo, in omnibus denique antecellis? Tune miſer homuncio, vilis terræ vermiculus, imò cinis, vermium eſca, teipſum Incarnatæ Sapientiæ Infinitæ Æterni Patris, blaſphemiâ ineffabili, præferre geſties? Tune ſolus prudentiorem, & majorem te ipſum reputabis omnibus iis, qui unquam ab initio mundi in Eccleſiâ Dei fuerunt, & in Chriſtum venturum, aut jam ventum crediderunt, aut etiamnum credunt? Quo fundamento innititur hæc tua temeraria, inſana, deplorabilis, & execranda arrogantia?

Negas Chriſtum filium Dei vivi, Verbum æternæ ſapientiæ Patris, manifeſtatum in carne, & pro genere humano paſſum, & crucifixum eſſe: Quare? quia principiis tuis illud omne non reſpondet: ſed ultra quod probatum jam ſit, te vera principia non habere; ſed falſa, temeraria, abſurda, nunc plus dico, nimirùm quòd, etiamſi veris principiis innixus fueris, & iiſdem omnia ſuperſtrueres, nihilo magis tamen per eadem, illa omnia, quæ in mundo ſunt, evenerunt, aut eveniunt, explicare poſſes, neque audacter aſſerere tibi liceret, cùm aliquid ipſis principiis videtur repugnare, illud idcircò reverâ impoſſibile eſſe, aut falſum. Quamplurima enim ſunt, imò innumera, quæ, ſi aliquid certi cognoſci datur in rebûs naturalibus, explicare tamen minimè poteris; ſed neque quidem apparentem talium Phænomenorum contradictionem cum reliquorum tuis explicationibus, à te pro certiſſimis habitis, auferre. Nullum penitùs ex tuis principiis explicabis eorum, quæ in faſcinatione, & præcantationibus verborum certorum ſolâ pronunciatione, aut ſimplici illorum, aut characterum in quâcunque materiâ expreſſorum geſtatione efficiuntur, nec non Phænomenorum ſtupendorum à Dæmoniis obſeſſorum, quorum omnium ego ipſe varia exempla vidi, & innumerorum talium certiſſima teſtimonia quamplurium perſonarum fide digniſſimarum, & uno ore loquentium intellexi. Quid poteris judicare de rerum omnium eſſentiis, conceſſo, quòd ideæ aliquæ, quas in mente habes, rerum iſtarum eſſentiis, quarum ideæ ſunt adæquatæ, con-

veniant,

veniant ? cùm ſecurus nunquam eſſe poſſis, an omnium rerum creatarum ideæ in mente humanâ habeantur naturaliter, an verò multæ, ſi non omnes in eâdem produci poſſint, & reverâ producantur ab objectis externis, ac etiam per ſuggeſtionem ſpirituum bonorum, malorumve, Divinamque revelationem evidentem. Quomodò itaque non conſulens aliorum hominum teſtimonia, & rerum experientiam, ne jam dicam de ſubjiciendo tuo judicio omnipotentiæ Divinæ, ex tuis principiis definire præciſè poteris, ſtabilireque pro certo exiſtentiam actualem, aut non exiſtentiam, poſſibilitatem, aut impoſſibilitatem exiſtendi harum ex. gr. ſequentium rerum, (ſcilicet illas vel dari actualiter, vel non dari, aut poſſe dari, vel non poſſe dari in rerum naturâ) uti ſunt, virga probatoria ad detegendum metalla, & aquas ſubterraneas; lapis, quem quærunt Alchymiſtæ; potentia verborum, & characterum; apparitiones ſpirituum variorum tam bonorum, quàm malorum, eorundemque potentia, ſcientia, & occupatio; repræſentatio plantarum, & florum in Phialâ vitreâ poſt illarum combuſtionem; Syrenes; homunculi in mineris ſæpius ſeſe, ut fertur, oſtendentes; Antipathiæ, & Sympathiæ rerum quamplurimarum; Impenetrabilitas corporis humani, &c? Nihil prorſus, mi Philoſophe, etiamſi millies ſubtiliore, & acutiore, quàm polles, ingenio prævaleres, horum dictorum poteris determinare: & ſi ſoli intellectui tuo in hiſce, & ſimilibus dijudicandis confidis, certè eodem modo jam cogitas de illis, quæ tibi incognita, aut incomperta ſunt, ac proinde impoſſibilia habentur; ſed reverâ incerta tantùm, donec teſtimonio quamplurium fide dignorum teſtium convictus fueris, deberent videri; ſicut Julius Cæſar, uti mihi imaginor, judicaturus fuiſſet, aliquo ipſi dicente, pulvis aliquis componi poteſt, & poſterioribus ſæculis communis reddetur, cujus potentia tam erit efficax, ut caſtella, civitates integras, imò montes ipſos in aëra proſilire faciat, & in quovis loco concluſus, ſubitò poſt accenſionem ſuam ſe mirum in modum dilatans, omne, quod actionem ejus impedit, disrumpat: hoc enim Julius Cæſar nullo modo credidiſſet; ſed plenis cachinnis irriſiſſet hunc hominem, utpote volentem ipſi perſuadere rem

judicio ipſius, ac experientiæ, ſummæque ſcientiæ militari contrariam.

Sed in viam redeamus: Si hæc prædicta igitur non cognoſcis, neque dijudicare potes, quid ſuperbiâ Diabolicâ tumidus miſer homo judicabis temerariò de Myſteriis tremendis vitæ, & Paſſionis Chriſti, quæ ipſi Catholici docentes imcomprehenſibilia prædicant? Quid porrò inſanies, nugatoriè, & futiliter garriendo de Miraculis innumeris, & ſignis, quæ poſt Chriſtum Apoſtoli, & Diſcipuli ejus, & deinceps aliquot millia Sanctorum in teſtimonium, & confirmationem veritatis Fidei Catholicæ per omnipotentem Dei virtutem ediderunt, ac per eandem Dei omnipotentem Miſericordiam, & Bonitatem etiamnum diebus noſtris ſine numero per totum terrarum orbem fiunt? Et ſi hiſce contradicere non potes, ut certè minimè poteris, quid plus obſtrepis? Manum da, & reſipiſce ab erroribus, & à peccatis tuis; humilitatem indue, & regenerator.

Verùm præterea ad veritatem facti, ſicut reverâ eſt fundamentum Religionis Chriſtianæ, deſcendere libet. Quomodò audebis negare, ſi rectè attendas, efficaciam conſenſûs tot myriadum hominum, quorum aliquot millia doctrinâ, eruditione, & verâ ſubtili ſoliditate, vitæque perfectione te multis paraſangis antecelluêre, ac antecellunt, qui omnes unanimiter, & uno ore affirmant, Chriſtum Filium Dei vivi incarnatum eſſe paſſum, & crucifixum, mortuumque eſſe pro peccatis generis humani, reſurrexiſſe, transfiguratum eſſe, regnare in cœlis cum Patre æterno in unitate Spiritûs Sancti Deum, & reliqua, quæ huc ſpectant, ab eodem Domino Jeſu, & in nomine ejus poſtea ab Apoſtolis, reliquiſque Sanctis per virtutem Divinam, & Omnipotentem miracula innumera, captum humanum non tantùm excedentia, ſed & ſenſui communi repugnantia in Eccleſiâ Dei facta fuiſſe, (quorumque in hunc diem uſque indicia materialia innumera, & longè lateque per orbem terrarum diffuſa viſibilia ſigna ſuperſunt) ac etiamnum fieri? An non eodem modo liceret mihi negare, Romanos antiquos unquam in mundo fuiſſe, Imperatoremque Julium Cæſarem oppreſſâ Reip. Libertate illorum regimen in Monar-

narchiam mutâſſe? nihil videlicet curanti tot monumenta omnibus obvia, quæ de Romanorum potentiâ nobis tempus reliquit, nec non contra teſtimonium graviſſimorum illorum authorum, qui unquam Hiſtorias Romanæ Reip. & Monarchiæ, particulariter ibi plurima de Julio Cæſare narrantes, conſcripſere, & judicium tot hominum millium, qui aut dicta monumenta ipſi viderunt, aut iis (utpote quæ ab innumeris exiſtere affirmantur) pariter, ac dictis hiſtoriis fidem unquam adhibuerunt, ac etiamnum adhibent; hoc cum fundamento, nimirùm quòd hâc nocte præteritâ ſomniaſſem, monumenta, quæ de Romanis reſtant, non eſſe res actuales, ſed meras illuſiones; ſimiliter & illa, quæ de Romanis dicuntur, paria eſſe cum iis, quæ libri iſti, quos Romanſios vocant, de Amadiis de Galliis, & ſimilibus Heroibus pueriliter narrant; nec non Julium Cæſarem, aut unquam in mundo fuiſſe, aut ſi extitit, hominem fuiſſe Atrabilarium, qui non reverâ Romanorum Libertatem conculcavit, ſeipſum ſuper Majeſtatis Imperatoriæ Thronum erigens; ſed ad credendum ſe hæc magna perfeciſſe ſuâ propriâ ſtultâ imaginatione, vel amicorum ipſi blandientium perſuaſione, inductus fuit? Annon prorſùs eodem modo liceret mihi negare, regnum Chinæ à Tartaris occupatum; Conſtantinopolin ſedem Imperii Turcarum eſſe, & ſimilia innumera? Verùm an ullus me hæc negantem mentis haberet compotem, ac inſaniæ deplorandæ excuſaret? Quoniam omnia hæc communi aliquot millium hominum conſenſu innituntur, ac idcircò eorum certitudo eſt evidentiſſima, quia impoſſibile eſt, ut omnes talia, imò quamplurima alia aſſerentes, ſeipſos fefellerint, aut fallere alios voluerint per tot ſæculorum, imò in quamplurimis à primis mundi annis, uſque in hunc diem ſucceſſionem.

Conſidera ſecundò Eccleſiam Dei ab initio mundi ad hunc uſque diem non interruptâ ſucceſſione propagatam, immotam, ac ſolidam perſiſtere; cùm omnes aliæ Religiones Paganæ, aut Hæreticæ initium ſaltem poſtea, ſi non & jam finem habuerint, idemque de regnorum Monarchiis, & Philoſophorum quorumvis opinionibus dici debeat.

Conſidera deinde tertiò Eccleſiam Dei per adventum Chriſti in

carne à cultu Veteris ad Novi Teſtamenti cultum redactam, & ab ipſo Chriſto Filio Dei vivi fundatam, propagatam deinceps fuiſſe ab Apoſtolis, & eorum Diſcipulis, & ſucceſſoribus, hominibus, ſecundùm mundum, indoctis; qui tamen Philoſophos omnes confuderunt, quamvis Doctrinam Chriſtianam, quæ ſenſui communi repugnat, & omne humanum ratiocinium excedit, & tranſcendit, docuerint: hominibus, ſecundùm mundum, abjectis, vilibus, & ignobilibus, quos non adjuvit potentia Regum, aut Principum terrenorum; ſed qui ècontra ab iiſdem omni tribulatione perſecuti, & reliquas mundi adverſitates perpeſſi ſunt, quorumque opus, quò magis Potentiſſimi Imperatores Romani illud impedire, imò opprimere nitebantur, quot poterant Chriſtianos omnis generis martyrio interficientes, tantò plus incrementi cepit; atque hoc pacto brevi temporis ſpatio per totum terrarum orbem diffuſam eſſe Chriſti Eccleſiam, ac tandem ad fidem Chriſtianam converſis ipſo Romano Imperatore, & Regibus, Principibusque Europæ in illam Potentiæ vaſtitatem excreviſſe Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſicut illam hodie admirari licet; idque omne effectum per charitatem, manſuetudinem, patientiam, fiduciam in Deo, & reliquas Chriſtianas virtutes, (non armorum ſtrepitu, exercituum numeroſorum vi, & devaſtatione Regionum, ſicuti Principes mundani limites ſuos extendunt) nihil adverſùs Eccleſiam prævalentibus Inferi portis, ut ei promiſit Chriſtus. Hîc etiam perpende terribile, & ineffabiliter ſeverum ſupplicium, quo Judæi ad ultimum miſeriæ, & calamitatis gradum depreſſi ſunt, quia Chriſtum crucifigendi auctores fuerunt. Percurre, volve, ac revolve omnium temporum Hiſtorias, & nihil ſimile quid in aliâ quâvis Societate accidiſſe, ne per ſomnium quidem, illîc invenies.

Animadverte quartò in eſſentiâ Catholicæ Eccleſiæ includi, & reverâ ejuſdem Eccleſiæ inſeparabiles eſſe proprietates, nimirùm *Antiquitatem*, quâ ſuccedens in locum Religionis Judaicæ, quæ tunc temporis vera erat, initium ſuum à Chriſto ante ſexdecim, & dimidium ſæcula numerat, & per quam nunquam interruptæ ſucceſſionis ſuorum Paſtorum ſeriem ducit, quâque fit, ut illa

ſola

ſola libros Sacros, Divinosque puros, & incorruptos, unà cum traditione Verbi Dei non ſcripti æquè certâ, ac inimaculatâ, poſſideat; *Immutabilitatem*, quâ Doctrina ejus, & adminiſtratio Sacramentorum, prout ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis ſtatuta eſt, inviolata, atque, uti convenit, in ſuo vigore conſervatur; *Infallibilitatem*, quâ omnia ad fidem pertinentia ſummâ cum authoritate, ſecuritate, & veritate determinat, & decidit ſecundùm poteſtatem ipſi à Chriſto hunc in finem largitam, & Spiritûs Sancti, cujus Eccleſia Sponſa eſt, directionem? *Irreformabilitatem*, quâ corrumpi, & falli, fallereque cùm non poſſit, nunquam egere conſtat; *Unitatem*, quâ omnia ejus membra idem credunt, idem quoad fidem docent, unum, idemque altare, & omnia Sacramenta communia habent, ac tandem in unum, eundemque finem conſpirant, ſibi mutuò obedientia; *Nullius animæ*, ſub quocunque demum prætextu, *ab ipſâ Separabilitatem*, quin ſimul incurrat æternam damnationem, niſi ante mortem eidem iterum per pœnitentiam fuerit unita: quâ patet, omnes hæreſes ex illâ exiiſſe, dum illa ſemper, ſibi eadem conſtans, & ſtabiliter firma, utpote Petræ inædificata, permanet; *Extenſionem Vaſtiſſimam*, quâ per totum mundum ſeſe, idque viſibiliter, diffundit; quod de nullâ aliâ Societate Schismaticâ, aut Hæreticâ, aut Paganâ, neque de ullo Politico Regimine, aut Philoſophicâ Doctrinâ aſſeri poteſt, ſicuti nec ulla ex dictis proprietatibus Eccleſiæ Catholicæ ulli alii Societati convenit, aut convenire poteſt; ac tandem *Perpetüitatem uſque ad finem mundi*, de quâ ſecuram ipſam reddidit ipſa Via, Veritas & Vita, quamque experientia omnium dictarum proprietatum, ſimiliter ipſi ab eodem Chriſto per Spiritum Sanctum promiſſarum, ac datarum, manifeſtè etiam demonſtrat.

Collige quintò, ordinem admirabilem, quo dirigitur, ac gubernatur Eccleſia, tantæ molis corpus, indicare manifeſtè, illam admodùm particulariter à Dei Providentiâ dependere, & à Spiritu Sancto mirabiliter diſponi, protegi, ac dirigi ejus adminiſtrationem; ſicut harmonia, quæ in cunctis rebus hujus univerſi perſpicitur, Omnipotentiam, Sapientiam, & Providentiam Infinitam, quæ omnia creavit, & etiamnum conſervat, indigitat: in nullâ enim

enim aliâ ſocietate talis ordo, tam pulcer, & ſtrictus, & ſine interruptione ſervatur.

Cogita ſextò, Catholicos, ultra quod innumeri utriuſque ſexûs (quorum adhuc hodie multi ſuperſunt, aliquos ipſemet vidi, & novi) admirabiliter, & ſanctiſſimè vixerint, & per virtutem Dei omnipotentem in Nomine adorando Jeſu Chriſti multa miracula fecerint, nec non quotidie adhuc fiant converſiones momentaneæ quamplurimorum à peſſimâ ad meliorem, verè Chriſtianam, & ſanctam vitam, univerſos in genere, quò ſanctiores, & perfectiores eò humiliores eſſe, ſeque magis indignos reputare, & aliis cedere laudem Sanctioris vitæ; peccatores autem vel maximos ſemper nihilominùs reſpectum debitum in Sacra retinere, confiteri ſuam propriam malignitatem, accuſare propria vitia, & imperfectiones, & ab illis velle liberari, & ſic emendari: ità ut poſſit dici, perfectiſſimum Hæreticum, aut Philoſophum, qui unquam fuit, vix inter imperfectiſſimos Catholicos mereri ut conſideretur. Ex quibus etiam liquet, & evidentiſſimè ſequitur, Doctrinam Catholicam ſapientiſſimam, & profunditate admirabilem eſſe, uno verbo, omnes reliquas Doctrinas hujus mundi antecellere; ſiquidem homines meliores cæteris aliûs cujusvis Societatis efficiat, illosque viam ſecuram ad tranquillitatem mentis in hâc vitâ, & ſalutem animæ æternam poſt eandem conſequendam doceat, ac tradat.

Septimò reflecte ſeriò ad multorum Hæreticorum obſtinatione induratorum, & graviſſimorum Philoſophorum confeſſionem publicam, nimirùm quòd, poſt receptam ab ipſis fidem Catholicam, demum viderint, cognoverintque, ſe antea miſeros, cæcos, ignorantes, imò ſtultos, & inſanos fuiſſe, dum præ ſuperbiâ tumidi, & arrogantiæ vento inflati, ſe ſupra cæteros doctrinæ, eruditionis, & vitæ perfectione longè evectos eſſe ſibi falſò perſuadebant; & quorum deinde aliqui vitam ſanctiſſimè traduxerunt, & innumerorum miraculorum memoriam poſt ſe reliquerunt, alii martyrio alacriter, & ſummo cum jubilo obviam ierunt; nonnulli etiam, inter quos Divus Auguſtinus, ſubtiliſſimi, profundiſſimi, ſapientiſſimi, ac proinde utiliſſimi Eccleſiæ Doctores, imò ſicut columnæ effecti ſunt. Et

Et reflecte tandem ultimò ad miſerrimam, & inquietam vitam Atheorum, quamvis præ ſe ferant aliquando magnam mentis hilaritatem, & jucundè, ac cum ſummâ internâ animi pace vitam traducere velint videri; præcipuè verò infeliciſſimam, & horrendam eorundem mortem intuere, quorum aliqua exempla ipſemet vidi, quamplurima, imò innumera ex relatione aliorum, & ex Hiſtoriâ æquè certò ſcio: Et diſce horum exemplo in tempore ſapere.

Atque ſic igitur vides, aut ſaltem te videre ſpero, quàm temerariè te ipſum committas opinionibus tui cerebri; (ſi enim Chriſtus verus Deus eſt, & homo ſimul, ut certiſſimum eſt, vide, quò redactus ſis: perſeverans enim in tuis abominandis erroribus, & graviſſimis peccatis, quid aliud tibi exſpectare licet, quàm damnationem æternam? quod quàm horrendum ſit ipſe recogites) quàm parùm argumenti habeas irridendi totum mundum præter tuos miſeros adoratores; quàm ſtultè ſuperbus, & inflatus evadas cogitatione excellentiæ tui ingenii, & admiratione vaniſſimæ, imò falſiſſimæ, & impiiſſimæ tuæ doctrinæ; quàm turpiter te ipſum miſeriorem facias ipſis beſtiis, tollendo tibi ipſi libertatem voluntatis, quàm tamen, ſi reverâ non experireris, neque agnoſceres, quomodò tibi poſſes illudere, cogitando tua eſſe ſummâ laude, imò & exactiſſimâ imitatione digna.

Si nolis, (quod abſit cogitare) ut Deus tui miſereatur, aut Proximus tuus, tu ipſemet ſaltem miſerere tui ipſius miſeriæ, quâ miſeriorem te ipſum, quàm nunc es, aut minùs miſerum, quàm ſi ità continuaveris, futurus es, ſtudes efficere.

Reſipiſce, homo Philoſophe, agnoſce ſtultitiam tuam ſapientem, & ſapientiam tuam inſanam; ex ſuperbo devenito humilis, & ſanatus eris. Adora Chriſtum in ſanctiſſimâ Trinitate, ut dignetur miſereri tuæ miſeriæ, & excipiet te. Lege Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ, & inſtruent te de iis, quæ tibi facienda ſunt, ut ne pereas; ſed habeas vitam æternam. Conſule Catholicos homines, fidem ſuam profundè edoctos, & bonæ vitæ, & tibi multa dicent, quæ nunquam ſciviſti, & quibus obſtupeſces.

Atque ego quidem hanc Epiſtolam tibi perſcripſi cum intentione

verè Christianâ, primò ut cognoscas amorem, quem erga te, quamvis Gentilem, habeo; ac deinde, ut rogarem te, ne perseveres alios etiam pervertere.

Concludam sic igitur: Deus animam tuam vult ab æternâ damnatione eripere, modò tu velis. Ne dubites Domino obedire, qui te vocavit tam sæpe per alios, jam iterum, & fortè ultimâ vice te vocat per me, qui gratiam hanc ab ineffabili ipsius Dei Misericordiâ consecutus, eandem tibi ex toto animo precor. Ne renuas: si enim jam non auscultes Deum te vocantem, ipsius Domini ira contra te accendetur, & periculum est, ne ab ejus Misericordiâ Infinitâ derelinquaris, & Justitiæ Divinæ omnia in irâ consumentis misera evadas victima: quod Omnipotens Deus avertat ad majorem Nominis sui gloriam, & animæ tuæ Salutem, nec non in multorum infelicissimorum tui Idololatrarum salutiferum, & sequendum exemplum, per Dominum, & Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui cum Æterno Patre vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Florentiæ III. Non. Sept. CIↃ IↃ CLXXV.

EPISTOLA LXXIV.

Nobilissimo Juveni
ALBERTO BURGH
B. D. S.
S. D.
Responsio ad Præcedentem.

QUod, ab aliis mihi relatum, credere vix potueram, ex tuis tandem literis intellexi; nimirùm te non tantùm Romanæ Ecclesiæ membrum effectum, ut ais; sed & ejus acerrimum propugnatorem esse; jamque maledicere, & petulanter in tuos adversarios debacchari didicisse. Ad easdem nihil respondere proposueram,

ram, certus tibi magis opus esse temporis usu, quàm ratione, ut ad te, tuosque restituaris; ut jam taceam alias causas, quas tu olim probâsti, quando de Stenonio (cujus nunc vestigia sequeris) sermo inter nos fuit. Sed amici quidam, qui ex egregiâ tuâ indole magnam spem mecum conceperant, me summopere rogârunt, ne amici officio deessem, & id potiùs cogitarem, quod nuper fueris, quàm quod nunc sis, & alia hujusmodi; quibus tandem adductus sum hæc pauca tibi scribere, enixè rogans, ut eadem æquo animo legere digneris.

Neque hîc Sacerdotum, & Pontificum vitia, ut Ecclesiæ Romanæ adversarii solent, narrabo, quò te ab iisdem avertam. Solent enim hæc sæpe malo ex affectu vulgari, & magis ad irritandum, quàm ad docendum adduci. Imò concedam in Romanâ plures reperiri magnæ eruditionis viros, & probatæ vitæ, quàm in aliâ quâcunque Ecclesiâ Christianâ: plures enim hujus Ecclesiæ membra cùm sint, plures etiam cujuscunque conditionis viri in eâdem reperiuntur. Hoc tamen negare minimè poteris, nisi fortè cum ratione memoriam etiam amisisti, in quâcunque Ecclesiâ plures dari viros honestissimos, qui Deum justitiâ, & charitate colunt; plures enim hujus generis inter Lutheranos, Reformatos, Mennonitas, & Enthusiastas novimus, &, ut alios taceam, parentes tuos nôsti, qui tempore Ducis Albani pari animi constantiâ, ac libertate omnium tormentorum genera propter Religionem passi sunt; ac proinde concedere debes vitæ sanctitatem non esse Romanæ Ecclesiæ propriam; sed omnibus communem. Et quia per hoc novimus (ut cum Apostolo Joh. 1 Epist. cap. 4. vers. 13. loquar) quòd in Deo manemus, & Deus manet in nobis, sequitur, quicquid Romana Ecclesia ab aliis distinguit, superfluum omninò esse, & consequenter ex solâ superstitione institutum. Est enim, ut cum Johanne dixi, justitia, & charitas, unicum & certissimum veræ fidei Catholicæ signum, & veri Spiritûs Sancti fructus, & ubicunque hæc reperiuntur ibi Christus reverâ est, & ubicunque desunt, deest Christus. Solo namque Christi Spiritu duci possumus in amorem justitiæ, & charitatis. Hæc si tecum rectè voluisses perpendere, nec te perdidisses, nec tuos pa-

rentes in acerbum mærorem conjeciſſes, qui tuam fortunam nunc miſerè defient.

Sed ad tuam Epiſtolam revertor, in quâ primò defles, quòd me à ſceleſtorum Spirituum Principe circumduci patiar. Sed quæſo bono animo ſis, atque ad te redi. Cùm mentis compos eras, Deum infinitum, ni fallor, adorabas, cujus virtute omnia abſolutè fiunt, & conſervantur: jam verò Principem Dei hoſtem ſomnias, qui invito Deo homines plerosque (rari quippe boni) circumducit, & decipit, quos propterea Deus huic ſcelerum magiſtro in æternum cruciandos tradit. Patitur ergo divina juſtitia, ut Diabolus homines impunè decipiat; at minimè homines miſerè ab ipſo Diabolo deceptos, & circumductos, manere impunes.

Atque hæc abſurda toleranda adhuc eſſent, ſi Deum adorares infinitum, & æternum, non illum, quem Chaſtillon in oppido Tienen, ſic à Belgis nuncupato, equis comedendum impunè dedit. Et me defles miſer? meamque Philoſophiam, quam nunquam vidiſti, chymæram vocas? O mente deſtitute juvenis, quis te faſcinavit, ut ſummum illud, & æternum te devorare, & in inteſtinis habere credas?

Ratione tamen velle uti videris, meque rogas, *quomodò ſciam meam Philoſophiam optimam eſſe inter illas omnes, quæ unquam in mundo doctæ fuerunt, etiamnum docentur, aut unquam impoſterum docebuntur?* quod profectò longè meliori jure te rogare poſſum. Nam ego non præſumo, me optimam inveniſſe Philoſophiam; ſed veram me intelligere ſcio. Quomodò autem id ſciam, ſi roges, reſpondebo, eodem modo, ac tu ſcis tres Angulos Trianguli æquales eſſe duobus rectis, & hoc ſufficere negabit nemo, cui ſanum eſt cerebrum, nec ſpiritûs immundos ſomniat, qui nobis ideas falſas inſpirant veris ſimiles: eſt enim verum index ſui, & falſi.

At tu, qui demum optimam Religionem, vel potiùs optimos viros inveniſſe præſumis, quibus credulitatem tuam addixiſti, *qui ſcis, eos optimòs eſſe inter omnes, qui alias Religiones docuerunt, etiamnum docent, aut impoſterum docebunt? an omnes illas religiones tam antiquas quàm novas, quæ hîc, & in Indiâ, & ubique per*

totum

totum terrarum orbem docentur, examinâsti? & quamvis illas ritè examinaveris, quomodò scis te optimam elegisse? quandoquidem tuæ fidei rationem nullam dare potes. At dices, te in interno Spiritûs Dei testimonio acquiescere, reliquos autem à sceleſtorum Spirituum Principe circumduci, ac decipi; sed omnes qui extra Ecclesiam Romanam sunt eodem jure id, quod tu de tuâ, ipsi de suâ prædicant.

Quòd autem addis de communi hominum myriadum consensu, deque interruptâ Ecclesiæ successione, &c. ipsissima Pharisæorum cantilena est. Hi namque non minori confidentiâ, quàm Ecclesiæ Romanæ addicti testium myriadas exhibent, qui æquali, ac Romanorum testes, pertinaciâ audita, tanquam ab ipsis experta, referunt. Stirpem deinde suam ad Adamum usque proferunt. Eorum Ecclesiam in hunc usque diem propagatam, immotam, & solidam invito hostili Ethnicorum, & Christianorum odio permanere, pari arrogantiâ jactant. Antiquitate omnium maximè defenduntur. Traditiones ab ipso Deo acceptas, seque solos Verbum Dei scriptum, & non scriptum servare, uno ore clamant. Omnes hæreses ex iis exiisse, ipsos autem constantes aliquot annorum milia absque ullo imperio cogente, sed solo superstitionis efficaciâ mansisse, negare nemo potest. Miracula, quæ narrant, delassare valent mille loquaces. Sed, quo sese maximè efferunt, est, quòd longè plures, quàm ulla natio, martyres numerent, & numerum quotidie augeant eorum, qui pro fide, quam profitentur, singulari animi constantiâ passi sunt, neque hoc mendacio: ipse enim inter alios quendam Judam, quem fidum appellant, novi, qui in mediis flammis, cùm jam mortuus crederetur, hymnum, qui incipit, *Tibi Deus animam meam offero*, canere incepit, & in medio cantu exspiravit.

Ordinem Romanæ Ecclesiæ, quem tantopere laudas, politicum, & plurimis lucrosum esse fateor; nec ad decipiendam plebem, & hominum animos coërcendum commodiorem isto crederem, ni ordo Mahumedanæ Ecclesiæ esset, qui longè eundem antecellit. Nam à quo tempore hæc superstitio incepit, nulla in eorum Ecclesiâ schismata orta sunt.

Si igitur rectè calculum ineas, id ſolum, quod tertio loco notas, pro Chriſtianis eſſe videbis, quòd ſcilicet viri indocti, & viles totum ferè orbem ad Chriſti fidem convertere potuerint. Sed hæc ratio non pro Romanâ Eccleſiâ; ſed pro omnibus, qui Chriſti nomen profitentur, militat.

At pone, omnes, quas adfers, rationes ſolius Romanæ Eccleſiæ eſſe. Putasne te iiſdem ejuſdem Eccleſiæ authoritatem mathematicè demonſtrare? quod cùm longè abſit, cur ergo vis, ut credam meas demonſtrationes à ſceleſtorum Spirituum Principe; tuas autem à Deo inſpirari, præſertim cùm videam, & tuæ literæ clarè indicent, te hujus Eccleſiæ mancipium factum, non tam amore Dei ductum, quàm inferorum metu, qui ſuperſtitionis eſt unica cauſa. Eſt ne hæc tua humilitas, ut nihil tibi, ſed ut aliis, qui à plurimis damnantur, credas? an arrogantiæ, & ſuperbiæ ducis, quòd ratione utar, & in hoc vero Dei Verbo, quod in mente eſt, quodque nunquam depravari, nec corrumpi poteſt, acquieſcam? Apage hanc exitiabilem ſuperſtitionem, &, quam tibi Deus dedit, rationem agnoſce, eamque cole, niſi inter bruta haberi velis. Deſine, inquam, abſurdos errores myſteria appellare, nec turpiter confunde illa, quæ nobis incognita, vel nondum reperta ſunt, cum iis, quæ abſurda eſſe demonſtrantur, uti ſunt hujus Eccleſiæ horribilia ſecreta, quæ, quò magis rectæ rationi repugnant, eò ipſa intellectum tranſcendere credis.

Cæterùm Tractatûs Theologo-Politici fundamentum, quòd ſcilicet Scriptura per ſolam Scripturam debeat exponi, quódque tam protervè abſque ullâ ratione falſum eſſe clamas, non tantùm ſupponitur; ſed ipſum verum, ſeu firmum eſſe apodicticè demonſtratur, præcipuè cap. 7. ubi etiam adverſariorum opiniones confutantur; quibus adde, quæ in fine cap. 15. demonſtrantur. Ad hæc ſi attendere velis, & inſuper Eccleſiæ Hiſtorias (quarum te ignariſſimum video) examinare, ut videas, quàm falſò Pontificii plurima tradunt, & quo fato, quibuſque artibus ipſe Romanus Pontifex poſt ſexcentos demum annos à Chriſto nato Eccleſiæ principatum adeptus eſt, non dubito, quin tandem reſipiſcas; Quod ut fiat tibi ex animo opto. Vale, &c.

FINIS.

INDEX RERUM.

Numerus paginam indicat.

A.

Abjectio quid sit. 154. 208.
Ea opponitur Superbiæ. 154. 228.
Est rarissima. 155.
Facilè corrigitur. 207.
Ei falsa inest Pietas. 207.
Abjecti ad Invidiam sunt proni. 208.
Superbis sunt proximi. *ibid.*
Abstractè concipere quid inferat. 381.
Academiæ & *Scholæ*, sumptibus Reip. fundatæ, noxiæ sunt. 340.
Accidens quid sit. 403.
Reale non datur. 425.
Accidentia clarè, cognitis essentiis, intelliguntur. 365.
Acquiescentia in se ipsâ est lætitia. 119. 135. 138. 152.
Quæ oritur ex ratione, est summa. 204. 205.
Laudibus roboratur. *ibid.*
Actiones humanæ à Voluntate non pendent. 73.
Quid sint. 222.
Nostram potentiam indicant. *ibid.*
In se consideratæ, nec bonæ, nec malæ. 211.
Mentis ex ideis adæquatis oriuntur. 100. seq.
Ad eas ratione determinari possumus. 210.
Quomodò contrariæ esse desinant. 237.
Adamus an potuerit labi. 272.
Fuit affectibus obnoxius. *ibid.*
Ejus consilium examinatur. 479.
An cum Lege Dei pugnârit. *ibid.*
Quatenus fuerit malum. *ibid.*
Cur ei Deus ex arbore edere prohibuerit. 480. 481.
In quo hoc edictum consisteret. *ibid.*
Adæquata idea quæ sit. 41. 72. 95.
In mente quæ talis sit. 75.
Ea veritatis, inadæquata falsitatis est causâ. 79.
Circuli in quo. 588.
Inter hanc, & inadæquatam differentia. 589.
Adæquatè communia toti & parti concipimus. 74. 238.
Dei essentiam noscimus. 84.
Æmulatio quid, & unde. 116.
Jungitur Invidiæ. 156.
Differt ab Imitatione. *ibid.*
Æqualitas inter Cives servanda quomodò tollatur. 351.
Ærarii Tribuni in Aristocratiâ ex plebe eligendi. 339.
Æternitas quid sit. 2. 255. 466.
Ad naturam Substantiæ pertinet. 20.
Non habet *quando*, *ante* & *post*. 31.
Dei omnibus nota est. 84.
Est Infinita, & differt à Duratione. 466.
Æternum quid sit. 21. 25.
Non habet partes. 521.
Aër omnis generis particulis constat. 428.
Ubique se insinuat: meliùs, quàm aqua, calcem Nitri solvit. *ibid.*
Ejus impulsio lateralis, & perpendicularis quâ machinâ inquirenda. 415.
Admiratio quid, & unde. 136. 147.
Non est Affectus. 148.
Quando dicatur Consternatio: Veneratio: Horror: Devotio. 136.
Ei Contemptus opponitur, & quare. 137.
Adulatio Concordiam gignit: eâ Superbi capiuntur. 228.
In Amicitiis pernicioßissima. 428.
Affectiones Substantiæ tantùm in Deo sunt. 27.
Corporis sunt modi. 69.
Affectus quid significent. 95. 170. 175.

Eorum

Eorum natura quomodò sit scrutanda. 94
Ut res naturales sunt considerandi. 93.
Omnia ex affectu moderamur. 99
Sunt inconstantes. 110
Contrarii ex unâ causâ. *ibid.*
Eorum natura quomodò sit explicanda. 140
Primarii sunt tantùm tres. 105. 148. 159.
Tot sunt, quot objectorum species. 140. 136. seq.
Eorum innumeræ variationes sunt. 145.
Animalium quomodò ab hominum affectibus differant. 143.
Ab invicem ut differant affectus. 142
Affectus erga alium unde oriatur. 116.
Erga rem existentem, & possibilem intensior, erga contingentem, quàm præteritam remissior est. 171. 172. 174. 175.
Eorum Definitio generalis. 159
Sunt ideæ confusæ. 169.
Affectus erga rem citò affuturam, & necessariam intensior est. 173.
Affectu fortiore, & contrario coërcetur. 170. 351.
Nihil positivum habet. 167. 175.
Ejus species quot, ejus essentia unde debeat definiri. 187.
Erga rem futuram remissior est. 176.
Ut plurimùm excessus habent, sunt sæpè pertinaces. 199.
Malos Generositas declinat. 201.
Affectus, quæ passio est, quo pacto desinat, & sit magis in nostrâ potestate. 238.
Ejus remedium præstantissimum. 239. 250.
Erga simplicem rem quis sit maximus. 240.
Ejus clarum possumus formare conceptum. 238.
Eum coërcendi qualis in nobis sit potestas. 239.
Ex ratione orti qui sint potentiores. 241.
Quò referendi. *ibid.*
Affectus malos quo pacto vitemus. 243.
Quid proficiat is, qui eos ex amore libertatis moderatur. 245.
Affectus quis sit major, minùs noxius, & quatenus malus. 242.
Magni qui dicantur. 249.
Quinam iis minùs conflictentur. 261.
Contrarii. 165.
Ut proprietates sunt considerandi. 268.
Iis homines necessariò sunt obnoxii. 269.
Sunt contentionum causa. *ibid.*
Affectûs humanos qui Deo affingant. 5.
Agere quando dicamur. 95.
Ea cònamur, quæ homines lætitiâ afficiunt. 118 seq.
Agri & *Domus* in Imperio Monarchico sint juris publici. 294. 309.
Album quid dicatur. 463.
Alcali sapor. 412.
Amare sine causâ rem possumus. 108.
Et odisse. 109.
Amata præ aliis imaginamur. 121.
Lætitiâ afficimus. 122.
Quando odio habeamus. *ibid.*
Amatores sunt inconstantes. 192.
Ambitio quid sit. 118. 120. 239.
Seditionis est causa. 229.
Vix superatur. 158.
Non multùm à Superbiâ differt. 239.
Ambitiosus quis dicatur. 121.
Gloriam maximè cupit. 126.
Est intemperans. 159.
Quibus cogitationibus se maximè affligat. 244.
Ratione non utitur. 239.
Amor non est sine ideâ rei amatæ. 42.
Ejus Vulgaris definitio essentiam non explicat. 48.
Qualis sit lætitia. 107. 119. 125. 132. 140. 198.
Erga alium unde. 113. 116.
Constantior unde. 120.
Etiam alios ad amorem incitat. *ibid.*
Reciprocus. 121. 122. 128.

Erga fœminas qualis. 123.
Planè aboleri poteſt. 125.
Aliis benefacit. *ibid.*
Odio & amore conflictamur. 127. 129.
Relatus ad externa Gloriam ſignificat. 119.
Odium delet. 129. ſeq.
Ex prævio odio major evadit. 130.
Erga Nationem unde. 131.
Quomodò deſtruatur. 132. 237. 239.
Erga rem liberam, quàm erga neceſſariam major eſt. 133.
Quando ſe homines majore proſequantur. *ibid.*
Exceſſum habere poteſt. 198.
Quos felices reddat. 201.
Ei conciliando quæ inſerviant. 226.
Meretricius facilè in odium tranſit. 227.
In pereuntia quid ſecum trahat. 359.
Erga veritatis amantes ſummas habet utilitates. 477.
Amor Dei Mentem maximè occupat. 246.
Eſt Summum bonum: nihil ei contrariatur: quomodò foveatur: Dei in homines, & viciſſim idem eſt: mentis in Deum eſt pars infiniti amoris Dei. 248.
Eſt conſtantiſſimus. 249.
Semper creſcit. 250.
Amor Dei intellectualis oritur ex tertio. Cognitionis genere: eſt tantummodò æternus. 256. 257.
Eo ſe ipſum Deus amat. 258.
Tolli nequit. 259.
Animæ (vox) facit, ut eam corpoream imaginemur. 374.
Animam Stoici, ut ſubtile corpus imaginabantur. 380.
Eſt quaſi automa ſpirituale. 384.
Animalia ſentiunt. 143.
Animi impotentis eſt ſe ipſum occidere. 178. 180.
Ægritudo ex nimio amore erga rem variationibus obnoxiam oritur. 250.
Amore vincuntur. 225.
Animoſitas qualis ſit Cupiditas. 144. 218.
Ad eam Temperantia, Sobrietas, &c. referuntur. *ibid.*
Animoſus fortiter pericula ſubit. 218.
Antipathia quid Auctori, quid aliis denotet. 108. ſeq.
Per eam quædam ſine cauſâ cognitâ amamus, aut odimus. *ibid.*
Appetitus quid. 103.
Inter eum, & Cupiditatem differentia, & convenientia. 104. 146.
Quatenus hominis ſit eſſentia. 146.
Eum homines moderari nequeunt. 99. 585.
Quo modo fomentetur. 122.
Et coërceatur. 123.
Ex *Applicatis curvarum*, quàm ex Tangentibus proprietates meliùs elicimus. 590.
Aqua quatenus generatur, quatenus non. 16.
Quaquaverſum movetur. 414.
Conſtat partibus magis homogeneis, quàm aër. 428.
Cur in Phialâ, exhauſto aëre, ſuſpendatur. 431.
Ejus preſſio, & ſubſultus. 536.
Quantus. 538.
Arbitrium liberum nullum eſt. 272.
Vide Libertas & Liber.
Ariſtocratia quid. 276. 317.
Ejus fundamenta. 320.
A Monarchiâ differentia. 319. ſeq.
In eâ Patriciorum ſervanda eſt æqualitas. 321.
Lex prima de Numero Patriciorum. 324.
Ejus tribunal differt à tribunali Monarchiæ. 334.
Plurium, & unius Urbis differentia, & præſtantia. 340. ſeq.
Cur melior plurium Urbium. 345. ſeq.
Quo pacto diſſolvatur. 347.
Et emendetur, & quando hoc faciendum. 347. ſeq.
In eâ quod ſit Patriciorum Vitium. 353.
Arragones Regem petunt. 315.

Jus Concilii Regi appositum. *ibid.*
Rex Don Pedro jus Regem eligendi à Concilio rescidit. 316.
Quâ tamen conditione. *ibid.*
Hos Philippus II. Hisp. Rex oppressit. 317.
Tantùm libertatis nomen jam retinuerunt. 317.
Athei honores & divitias quærunt. 553.
Attributum quid sit. 1. 7. 20. 397. 404.
Per se concipitur. 7.
Unum ab alio produci nequit. 8.
Esse substantiæ exprimit. 8.
Substantiam non dividit. 11.
Dei est Extensio & Cogitatio. 12. 13. 42. 592.
Quomodò concipiatur, quidque involvat. 45.
Attributa infinita Deo competunt. 7. 8. 16.
Ejusque essentiam exprimunt. 16. 20.
Sunt æterna. 20.
Diversa non constituunt diversas Substantias. 8. 460.
Plura Dei existentiam ponunt. 463.
Eorum existentia ab essentiâ non differt. 464.
Humana Deo non competunt. 513. 570.
Duo Cogitatio, & Extensio. 590.
Avaritia quid. 158.
Quare in Civibus augenda. 350.
Avarus quis. 126. 230.
Aliena petit. 159.
Aversio quid. 149.
Audacia quid. 157.
Eâ quinam prædíti dicantur. 135.
Aulici Regii ab omni officio secludendi. 300.
Aurum Hagæ Com. factum. 533.
Axiomata ad infinita se extendunt. 386.

B.

Baconis de Verulamio errores Philosophici notantur. 398. seq.
Beatitudo in quo sita sit. 223. 257.
Nempe in æterno Dei amore. 259. 499.
Est ipsa virtus. 263.
Absque Sapientiâ non acquiritur. 450.
In Dei cognitione sita est. 457. 499.
Bellum pacis causâ faciendum. 300.
Bella, seditiones &c. Imperio malo imputanda. 289.
Beneficia ignarorum homo liber declinat. 219.
Quomodò se in iis accipiendis gerit liber. *ibid.*
Ingratis data tristitiam operantur. 129.
In quos conferre conemur. 125. 126. 156.
Benevolentia, appetitus benefaciendi unde oriatur. 117. 156.
Bonitatis fons, & origo. 104. 126.
Bonum quid. 37. 126. 164. 165. 171. 185.
Boni, & mali cognitio affectûs non coërcet. 175.
Summum virtutis sectatoribus est commune. 191.
Est modus cogitandi. 164.
Majus petimus. 215.
Quando id constantiùs amamus. 192.
Majus futurum petimus. 216.
Quid id sit, quivis judicat. 219.
Nobis quid. 186.
Verum, & summum quid. 357. 360.
Bonum, & malum sunt respectiva. *ibid.*
Summum est Dei cognitio. 184. 190.
Summum vulgò tria sunt. 357.
Vulgi bona sunt sæpe causa interitûs eorum. 359.
Bruta sentiunt, eorum affectus à nostris affectibus differunt. 193.

C.

Calculi in electione alicujus Ministri usurpandi. 328.
Iis suffragia ferenda. 329.
Iis in parvis Conciliis suffragia non sunt ferenda. 345.
Cartesii de Affectibus opinio rejicitur. 94. 235.

Stoicis

Stoicis favet. 233.
De Glandulâ pineali ſententia recenſetur, & improbatur. 234.
Regula motûs ſexta falſa eſt. 441.
Ignoravit tria: Mentis veram naturam, primam cauſam, & rerum originem, denique errorum cauſam veram. 398.
Axioma corrigitur. 534.
Præcipitantia de Saturni Planetis. 436.
De Libero arbitrio ſententia. 582. 585. 554.
De radiis oculum intrantibus opinio. 531.
Principia inutilia, & abſurda. 596.
Definitio Materiæ per Extenſionem rejicitur. 598.
Caſtitas non eſt paſſio, opponitur Libidini. 141.
Mentis potentiam indicat. *ibid.* & 159.
Cauſa ſui quid. 1.
Libera eſt Deus, per ſe, & prima. 17. 32.
Immanens rerum Deus eſt. 19. 20.
Efficiens omnium eſt Deus. 16. 24. 33. 46.
Etiam ideæ. 46.
Etiam modorum. 26.
Et quidem proxima. 26.
Singularium. *ibid.*
Perfectionis, & imperfectionis an Dei ſit Voluntas. 32.
Remota rerum Deus non eſt. 26.
Unde determinetur. 25.
Finalis eſt figmentum. 36.
Eam maximè homines inquirunt. 34. ſeq.
Finalis quatenus ſit humanus appetitus. 163.
Adæquata, & inadæquata quid. 95.
Quatenus mens ſit, adæquata alicujus effectûs. 96.
Externa res ſolùm deſtruit. 101.
Efficiens eſt duplex. 589.
Cauſarum ignorantia confuſionem parit. 5.
Earum ordo idem cum rerum ordine. 48.
Certitudo eſt quid poſitivum. 87.
Hauſta ex auditu à ſcientiis ſecludenda. 364.
Eſt tantùm eſſentia objectiva, ejus ſignum. 367.
Summa quid ſit. *ibid.*
Revelationis nititur Doctrinæ Sapientiâ. 449.
Charitas erga proximum nullius imperio ſubjici poteſt; ſummum ejus exercitium quod ſit. 282.
Chaſtillon Deum Pontificiorum equis edendum impunè dedit. 612.
Chriſti diſcipuli in quo gloriati ſint. 450.
Quibus Chriſtus apparuerit. 453.
An in cœlum, & quomodò adſcenderit; à mortuis reſurrexerit; quatenus Diſcipulos à mortuis ſuſcitârit. 454.
Fuit Dei templum, & quomodò. 455.
Ejus mors, paſſio, & ſepultura literaliter ſumenda, ſed reſurrectio allegoricè. 458.
Secundùm ſpiritum tantùm noſcendus. 450. 458.
Ubi Juſtitia & Charitas eſt, ibi Chriſtus eſt. 611.
Chriſtiani unde dignoſcantur. 450.
Circuli exiſtentia unde ſequatur. 9.
Circulus quadratus cur non exiſtat. *ibid.*
Circulus, ejuſque idea idem. 46.
In eo infinita rectangula æquantur. 47. 589.
Definitio. 387. ſeq.
Idea adæquata in quo. 588.
Optima Definitio quæ ſit. 589.
Figura in teleſcopiis formandis eſt optima. 531. 535.
Civis quis ſit. 194. 278.
Ei Civitatis jura interpretari non licet; quis ſibi optimè conſulat. 279.
Non licet ei ex ingenio vivere. *ibid.*
Civitatis mandata exſequi tenetur. 280.
In Imperio Monarchico nulla bona poſſideat. 305.
Cives quomodò ſint gubernandi. 92.

Sint in Monarchiâ milites, & qui. 293. 305.
Dividantur in familias, notatis eorum nominibus. 294. 309.
Regem non adeant. 296.
Sunt augendi. 299.
Regis mandatis obtemperent. 301.
Potentiores qui sint. 308.
Eorum Æqualitas servanda. 310. 341.
Cur in Aristocratiâ plurium Urbium minùs timendi. 346.
Civilis Status quis. 278.
Ejus, & Naturalis differentia. 279.
An rationi repugnet; cur instituatur. 280.
Quis à naturali minùs differat. 289.
Civitas quid sit. 194.
Earum gubernationem experientia docuit. 268.
Ut ea destruatur. 279.
Potens quænam. 281.
Ad ejus jura quæ non pertineant. 281. seq.
Quando sit minùs sui juris. 282.
Quatenus sui, aut alterius sit juris. 283.
Quæ plus potest, plus juris habet. *ibid.*
Cui jus belli competat; confœderatæ quænam. 284
Quæcunque fœdus solvere potest. *ibid.*
Quando peccet. 286. seq.
Quando sit maximè sui juris. 287.
Quando dissolvatur. 288.
Potentissima quæ. 289
Virtutes, & Vitia quomodò ei imputentur. *ibid.*
Solitudo jure quænam sit dicenda. 290.
Civitas discordiis non dissolvitur. 291.
Magis à civibus periclitatur. 293.
Ejus in Monarchiâ utilitates. 309
Cur Urbes vicinæ in Aristocratiâ jure civitatis donandæ. 337.
Clementia est Generositatis species. 145.
Crudelitati opponitur, & animi potentia est. 157.
Coactum quid sit, & quis dicatur. 585.
Cogitatio est Dei attributum. 12. 22. 42. 64.
Dei est infinita. 21.
Immutabilis. 22. 42.
Singularis Dei Naturam quî exprimat. 42.
Vera à falsâ intrinsecè distinguitur. 378.
Veræ forma. *ibid.*
Unde debeat pendêre, & deduci. 379.
Quomodò eas Mens formet; sunt eæ necessariò veræ. *ibid.*
In iis ordinandis quid semper attendendum. 244.
Cogitandi potentiam quod volumus non semper habemus. 586.
Cognitio corporis nostri est confusa. 53.
Adæquata corporum quatenus in Deo. 69.
Essentiæ Dei adæquata est. 83. seq.
In tres species dividitur. 78.
Boni, & mali quid. 171. 179.
Boni, & mali nullum affectum coërcet 175.
Sed excitat. 177.
Dei est summum bonum. 184.
Dei adæquata pertinet ad mentis essentiam. 191.
Mali est inadæquata. 215.
Boni, & mali est universalis. 213.
Ejus tertium genus quid in affectûs queat. 250.
Et quomodò id procedat. 252.
Unde hoc oriatur. 253.
Et pendeat. 255.
Et delectat. 256.
Singularium est meliòr universalium cognitione. 259.
Cognitio essentiæ rei adæquata in verâ Methodo requiritur. 365.
Effectûs quid 386.
Cohærentia partium quid. 439.
Vera Naturæ ignoratur. *ibid.*
Colloquia cum hominibus quomodò habenda. 229.
Colluforum fors & exspectatio quomodò subducenda. 529. seq.
Commiseratio quid. 116. 151.
Circa quæ versetur. 113.

Cona-

Conatum alium liberandi includit; in odium non mutatur. 117. 121.
Mala est fugienda. 203.
Conatus est rei actualis essentia. 102.
Quando dicatur Voluntas, quando Appetitus rei indefinitum tempus involvit. 103.
Mentis præcipuus quis. 104.
Noster Tristitiâ minuitur. 124.
Sese conservandi est primum Virtutis fundamentum. 181.
Concatenatio in memoriâ quomodò fiat. 63.
Conceptûs Vox Mentis Actionem denotat. 41.
Concilium Regis ex quibus, quando, quomodò & in quantum tempus eligendum, ejus officium. 295. 297.
Legatos, epistolas, &c. accipit, filios curat; hujus Candidati; quando aliquid concludet. 296.
Quoties annuatim convocatur. 297.
Ejus emolumenta. 299.
Studebit paci. 304. seq.
Nunquam muneribus corrumpetur. 305.
Numerus non minuetur. *ibid.*
Subordinatum in Monarchiâ. 299.
Concilii supremi in Aristocratiâ fundamenta. 322. seq.
Officium; principem non creet. 325.
Plurium urbium quomodò instituendum. 341.
Et quando convocandum. 342. 344.
Quæ ad id deferenda. 329
Ordo. 344.
Concilia sunt æterna. 319.
Concionatores ex plebe lecti Senatoribus subordinandi. 339
Conclusio optima unde promenda. 386. 388.
Concordia ex metu infida est. 226.
Eam Justitia, &c. gignunt. *ibid.* & 191. seq
Confusioni ordo præfertur ab hominibus. 38.
Ea nulla est in Naturæ Origine. 381.
Ejus notabilis causa. 385.
Origo, & quo pacto evanescat. 376.
Connexio rerum & causarum est eadem. 48.
Consanguinei à Conciliis arcendi sunt. 335.
Conscientiæ morsus quid. 111. 151.
Consilia quædam, & an semper sint celanda. 314.
Consiliarii Regii sunt necessarii. 302.
Quales, & cujus ætatis esse debeant. 303.
Cur callidi debeant esse. 308.
Ad vitam non eligendi. 307.
Sint Duces belli. 309.
Consternatio quid. 127. 136.
Oritur ex duplici timore. 157.
Consules in Aristocratiâ qui dicantur, eorum numerus, & officium. 333.
Urbium à Patriciis eligendi, eorum numerus. 344.
Contemptus quid. 148.
Causa. 136. seq.
Tristitiam auget. *ibid.*
Contingens nullum est. 26.
Quid. 30. 165.
Quo respectu dicatur. 30.
Existentiam præsentem secludit. 174.
Contingentia. 43.
Quomodo ea contemplemur. 81.
Contractus quando violandus. 288.
Controversiarum origo. 85.
Etiam inter Philosophos. 77.
Corpus non est Deus. 13.
Quid sit. 40.
Quid indicet. 13.
Existens est Mentis objectum. 51. 65.
Nostrum confusè cognoscimus. 53.
Motum, aut quiescens quamdiu in eo statu perseveret. 54.
Modi ejus unde. 55.
Durum, molle, fluidum quid. 56.
Humanum unde componatur; pluribus modis afficitur. 58.
Humanum externa corpora plurimis modis afficit. 59.
Continuò regeneratur. 58. 64.
Suum existere, quomodò Mens cognoscat. 63. 64.

Corpus, & Mens unum, & idem ſunt. 65. 97.
Ejus partes quatenus ad eſſentiam corporis pertinent. 66.
Partes ejus motûs aliis communicare poſſunt. 67.
Partes ſunt compoſitæ, & individua. *ibid.*
Corpus externum quatenus Deus noſcat. 67.
Suum quando Mens noſcat. 70.
Durationem ejus Deus inadæquatè ſcit. 71.
Multùm mutatur. 95.
Mentem ad Cogitandum non determinat. 97.
Ab alio corpore determinatur. *ibid.*
An ex nutu Mentis agat. 98.
Ejus vires nemo determinavit. 98. ſeq.
Ejus potentia quando minuatur. 106.
Ex diverſis componitur, & diverſimodè afficitur. 110.
Puerorum quaſi in æquilibrio eſt. 121.
Mente affectâ ſimul afficitur. 171.
Forma ejus in quo. 195.
Quando moriatur. 196.
Alimentis diverſis indiget. 230. 200.
Ad plurima aptum nobis utile eſt. 261.
Noſtrum quî ſit ſub alterius poteſtate. 274.
Corpus humanum eſt pars Naturæ. 441.
Modificatum, ut pars, conſideratur. *ibid.*
Corpora infinities variant. 58. 441.
Ratione Subſtantiæ ab invicem non diſtinguuntur. 53. 56.
In quibus conveniant. 54.
Unita quæ ſint. 56.
Unde ad motum, vel quietem determinentur. 54. ſeq.
Sunt res ſingulares. 40. 54.
Ratione in infinitum dividimus. 413.
Eorum exiſtentia ex Extenſione demonſtrari nequit. 596.
Creare & conſervare an ſint idem. 475.
Creata exiſtentiam non involvunt. 23.
Crudelitas quid. 229. 157.
Cupiditas definitur. 104. ſeq. 146. 181.
Ea ad Naturam naturatam pertinet. 27.
Quæ, & quatenus major ſit. 124. 199.
Appetitûs, & cupiditatis differentia. 104.
Ea eſt cujuſque affectûs eſſentia. 142. 141.
Quomodò à ſe ipſâ differat. 142.
Oritur ex boni, & mali cognitione. 176.
Erga futurum cupiditate præſentis ſuavis coërcetur. 176. 214.
Ex lætitiâ eſt fortior. 177.
Contingentium præſentibus coërcetur. *ibid.*
Quæ exceſſum habere. 198.
Quæ non habere poſſit. 212.
Ex paſſione orta cur cæca dicatur. 211.
Eſt hominis eſſentia. 212.
Quæ bona, aut mala. 210.
Ex ratione orta bonum directè quærit. 214.
Quatenus ſit virtus. 239.
Cupiditates majores quæ ſint; earum vis ut determinanda. 176.
Ex noſtrâ Naturâ quomodò ſequantur. 222.
Ex adæquatis ideis ad Mentem referuntur. *ibid.*
Quænam exceſſum habere nequeant. 139.
Ex inadæquatis ideis ortæ tantùm Paſſiones ſunt. *ibid.*

D.

Davidem Achitophel maximè terruit, Sauli partibus favens. 307.
Deceptio maxima circa fictionem fit. 380.
Decretum mentis quid. 99. ſeq.
An ex libero ejus decreto loquamur. *ibid.*
Definitio trianguli quid exprimat. 6.
Vera quid involvat. 6. 519.
Ex eâ proprietates plures educuntur. 16. 599.

Per-

Perfectæ conditiones. 386.
Debet esse affirmativa. 387.
Rei creatæ, & increatæ requisita; circuli optima. *ibid.*
Definitiones duûm generum sunt. 459. 460. seq.
Vera rem, ut est extra intellectum, explicat. 462.
Earum, & axiomatum convenientia, & differentia. 462.
Vera multitudinem excludit. 519.
Dei quid includat. 520.
Substantiæ. 463.
Ejus cum aliâ conjunctio novas producit proprietates. 597.
De Deo traditur. 554. 589.
Delectatio rei petitur cum omnibus suis circumstantiis. 123.
Deliciis in quantum fruendum. 361.
Delirium quid. 376.
Ejus causa. 472.
Ejus species. 199.
Quando homines dicatur cepisse. *ibid.*
Democratia quid. 276.
Ejus mala. 292.
Ab eâ Peregrini excludendi, ut & Servi, & Mulieres. 353.
Ab Aristocratiâ differt. 352.
In eâ omnes jus suffragii habent. *ibid.*
Democritus laudatur; ejus Fortuna. 580.
Demonstratio verosimilis qualis esse debeat. 579.
Ad impossibile deducens, quando usurpanda. 592.
Desiderium quid. 124.
Lætitiæ opponitur. 155. seq.
Narrandi res, ut eas volunt homines, ex historiis de spectris patet. 566.
Despectus quid. 116. 151. seq.
Desperatio quid. 111.
Unde. 150.
Determinatio quid sit. 100.
Determinatum quid. 524.
Extensio determinata concipi nequit. *ibid.*
Devotio quid. 136. seq. 149.
In amorem degenerat. *ibid.*

Deus definitur. 1. 8. 184. 397. 404. 589. 599.
Est absolutè infinitus. 2.
Necessariò existit. 8. seq.
Omnia comprehendit. 12.
Est unicus. 12. 29. 404.
Impropriè unus dicitur. 520. 557. seq.
Est incorporeus. 13.
Infinita habet attributa. 16.
Ex legibus suæ Naturæ agit. 17.
Non cogitur ab alio. 17.
Est causa per se, & prima. 17.
Ex perfectione suâ incitatur ad agendum. 17.
Solus est causa libera. 17. 27. 32.
Et solus res determinat. 24. seq.
Est æternus. 20. 11.
Causa immanens omnium rerum. 19. 31. 46. 49. 449. 512.
Immutabilis. 21.
Est causa efficiens essentiæ, & existentiæ rerum. 16. 23. 24. 593.
Est causa rerum singularium productarum absolutè proxima. 26.
Et quomodò. 24.
Non est res contingens. 26.
Quatenus causa Modorum, quænam immediatè producat. *ibid.*
Est Natura Naturans. 27. 449.
Quo ordine, & modo res producat. 29.
Non est ante sua decreta. 31.
Nec ea mutat. 31.
Omnia prædeterminavit, & quomodò. 33.
Cur iratus ab hominibus fingatur. 35.
Non agit ex libertate voluntatis. 29. 33.
Ad certum finem, & hominum usum an omnia dirigat. 34. 35.
Et operetur. 36.
Omnia perfectissimè creat. 30. 32.
A quibus Fato subjiciatur falsò. 32. 453. 554.
Est causa sui & rerum: Harmoniâ non delectatur. 38.
Est res extensa. 42.
Cogitat. 42.

Et

Et cauſa cogitandi eſt. 97.
Neceſſariò agit. 43.
Ideas, & unde formet. 43. 44.
Eſt cauſa ideæ. 46.
Uniuscujuſque rei ideam habet. 51.
Deus, Dei intellectus, & res intellecta ſunt idem. 46.
Quatenus humanum, & ejus partes, & quatenus corpora externa cognoſcat. 64. 69.
Corpus externum quatenus adæquatè cognoſcat. 67.
Adæquatè rerum conſtitutionem, & corporis noſtri durationem novit. 71.
Aliarum Mentes in ſe continet; mentis eſſentiam conſtituit. 66. 96.
Eâdem, quâ exiſtit neceſſitate, agit; Non finis cauſâ operatur. 163.
Nullum amat. 247.
Nullum odit. *ibid.*
An triſtitiæ ſit cauſa. 248.
Quâ ratione exiſtat, ac operetur. 273.
Seipſum amore intellectuali intelligit. 258.
Secundùm eſſentiam ubique eſt. 454.
Quomodò dicatur in peccatores iraſci. 458.
An ullâ re delectetur. 514.
Abſtractè res non novit. 480.
Liberè exiſtit. 584.
Totus omnino non cognoſcitur. 580.
Non habet diverſas libertates. 578.
Dei exiſtentia eſt certiſſima. 10.
Eſſentia abſolutam perfectionem involvit. *ibid.*
Attributa ſunt Extenſio, & Cogitatio. 12. 13. 592.
Poteſtas. 17.
Ommipotentia quomodò concipienda. 18.
Intellectus, voluntas, & potentia idem ſunt. 18. 19.
Intellectus à noſtro differt, & eſt cauſa rerum. 19.
Exiſtentia non differt ab eſſentia. 20.
Cogitatio eſt infinita. 21.
Modi attributorum ſunt Natura Naturata. 27.
Intellectus, & Voluntas ut ſe habeant. 29.
Eſſentia Voluntatem renuit. 31.
Voluntas an ſit cauſa perfectionis, & imperfectionis rerum; eſſentia eſt immutabilis. 32.
Potentia, & eſſentia idem. *ibid.*
Judicia an humanum captum ſuperent. 35.
Diverſus cultus unde. 35.
Voluntas ignorantiæ aſylum. 37.
Potentia eſt actuoſa eſſentia. 43.
Cognitio figmentis non juvatur. 50.
Cognitio cur hominibus obſcura. 84.
Eſſentiam infinitam adæquatè cognoſcimus. 83. 84.
Ex ſolo ejus nutu agimus. 91.
Major cognitio majus bonum aliis cupit. 191.
Cognitio eſt ſummum bonum. 184.
Ex ejus Naturâ omnia ſequuntur. 453.
Amor eſt amor mentis intellectualis. 258.
Ejus, & rerum potentia eadem. 270.
Inſtituta nemo violare poteſt. 276.
Talem cognitionem habere debemus, ut de eo nequeamus dubitare. 382.
Deo affectûs humanos qui affingant. 5.
Sine eo nihil eſt, nec concipitur. 17.
Qualis Intellectus, & Voluntas tribui debeat. 18. 19.
In Deo omnia ſunt, & ab eo pendent. 26. 27.
Intellectus potentiâ non competit. 31.
Imaginatio à vulgo tribuitur. 38.
Qualis competat cognitio. 48.
Ei obſequi quid. 277.
De Deo nil poſſumus fingere. *ibid.*
Deum quis amet. 246.
Nemo poteſt odiſſe. 247.
Quando magis intelligamus. 252.
Magis eum amare eſt liberum magis eſſe. 277.
Diabolum quis ſeduxerit. 272.
An homines impunè decipiat. 612.
Dictator in Ariſtocratiâ an creandus. 347.

Cur apud Romanos creatus : ejus Potestas periculosa est. 348.
Discordiæ formam Civitatum mutant. 291.
Distantiam temporis ad certum limitem imaginamur. 166.
Distinctionis realis nota. 15.
Diversitas substantiarum unde liqueat. 8.
Divina Natura ante omnia contemplanda. 49.
Quando de eâ participemus. 200.
Divitiis Philosophus abstineat. 357.
Eæ lætitiam adferunt. 358.
Mentem distrahunt. *ibid.*
Cur eæ quærantur. 358.
Earum mala, & unde. 359.
Quatenus prosint. 360.
Quantæ sint comparandæ. 361.
Dominus in statu Naturali nullus est. 194. 105.
Dolor quid indicet.
Ejus Vis quomodò definiatur : habet infinitos gradûs. 198.
Quatenus bonus. *ibid.*
Dubitatio differt à Fluctuatione. 109.
Ejus in animâ origo. 381.
Per rem ipsam in animâ non datur. *ibid.*
Quomodò tollatur. 382.
De Deo quando accidat. *ibid.*
Ejus Definitio. 382.
Dux belli in quantum tempus eligendus : in Monarchiâ ex Consiliariis. 294. 309.
In Aristocratiâ ad annum ex Patriciis legendus. 321.
Subinde Remp. opprimit. 322.
Dulcia quæ. 38.
Dura quæ. 38. 56.
Duratio quid. 41. 466.
Cur indefinita. 41.
Eam singularium inadæquatè scimus. 213.
Corporis unde pendeat. 70. 71.
Rerum ab essentiâ non determinatur. 165.
Quomodò eam determinamus. 466.
Ex momentis non componitur. 468.

E.

Ebrietas quid. 158.
Ebullitio in Nitro unde. 411.
Ecclesia. Vide Romana Ecclesia.
Effectus unde sequatur. 2.
Ejus cognitio. 386.
Perfectissimus. 36.
Ellipsis variè formatur. 391.
Ens infinitum quomodò definiendum. 8.
Quid exprimat. *ibid.*
Quodnam sit. 42.
Cogitans quando plus habeat realitatis. 42.
Infinitum concipimus. *ibid.*
Necessariò existens est indivisibile. 522. 524.
Unicum. *ibid.*
Meram exprimit perfectionem. *ibid.*
Ejus proprietates. 521.
Entia imaginationis. 39.
Entia rationis pro lubitu definiuntur. 387.
Error quid. 62. 73. 376.
Circa solis distantiam in quo. 73.
Quatenus non sit in imaginatione. 90.
Quomodò contingat. 91.
Plerorumque origo. 84.
Orti ab imaginatione qui sint. 385.
Juxta Cartesium quid sint. 399.
Eorum causæ. 588.
Essentia, potentia, & existentia idem sunt. 10. 20. 32. seq.
Creaturarum excludit existentiam. 23.
Essentiæ Dei non competit voluntas. 31.
Ad essentiam rei quid pertineat. 40. 49. 50.
Hominis. 48. 49.
Dei est actuosa. 43.
Quatenus partes essentiam corporis constituant. 66.
Imaginum in quo. 88.
Essentiæ Dei cognitio est adæquata. 83. 84.
Mentis in quo. 101.
Rei quædam profert. 102.

Durationem non determinat. 165.
Mentis consistit in cognitione. 191.
Rei ex aliâ inadæquatè concluditur. 362. seq.
Ex auditu non percipitur. 364.
Rei adæquata cognitio est necessaria. 365.
Intima unde petenda. 389.
Existentiæ, & non existentiæ causa danda est. 7. 8.
Existentia circuli unde sequatur. 9.
Necessaria cui competat. 9.
Dei à priori, & posteriori probatur. 8. 9. 10.
Rei unde. 10.
Perfectionem involvit. 10.
In creatis ab essentiâ differt. 23.
Rei definitæ unde sequatur. 30. 403.
Singularibus cur tribuatur. 83.
Eam ponit res necessaria. 173.
Rei ex pluribus attributis sequitur. 463.
Generaliùs concepta confusior est. 372.
Existere est potentia. 9. 10.
Existimatio quid. 116. 151.
Semper mala est. 202.
Hominem superbum reddit. *ibid.*
Experientiâ homines gubernare docuit. 268.
Vaga quid. 362.
Vagæ fructûs. *ibid.*
Ab Intellectu determinanda est. 362.
Docet tantùm accidentia. 365.
Cui inserviat, & quid doceat. 464.
Extensio Dei attributum est. 12. 13. 42. 526.
Non terminatur Cogitatione. 403.
Parte materiæ annihilata evanescet. 404.
Ex eâ corporum existentia demonstrari nequit. 596.

F.

Facultates sic dictæ in Mente nullæ sunt. 85. 86.
Sunt Notiones universales. 86.
Facultas judicandi quatenus sub alterius sit potestate. 274.
Volendi, & sentiendi quodammodò infinita. 89.
Falsitas idearum. 72.
In quâ cognitionis privatione sita. 72. seq.
Ejus causa. 78. seq.
Ejus forma non est quid positivum. 91.
In quo. 87. 167. 379.
Idearum se ipsam detegit. 389.
Falsum à vero quomodò distinguatur. 79.
An ex falsis verum sequatur. 459.
Fastidium quid. 145.
Fatum inflexibile est. 456.
Qui Deum fato subjiciant. 32.
Fatalis necessitas quomodò sit intelligenda. 451. seq.
Favor quid. 151. 204.
Cum ratione convenit. 204.
Circa quæ versetur. 113.
Fœminæ quâ ratione sint sub Viri potestate. 353.
A Regimine excludendæ. 354.
Cum Viris jus æquale non habent. 354.
Felicitas in quo. 178. 223. 360.
Nostra est in Dei cognitione. 91.
Quibus adscribatur. 261.
Ferdinandi, Catholici dicti, ad Concilium responsio. 316.
Fictio circa quæ versetur. 371.
De Deo fieri nequit: nec de æternis veritatibus. 372.
Circa Quæstiones: circa essentias quid faciat. 373.
Circa impossibile nulla est: apud vulgum: eam rei necessitas excludit. 373.
An fictio fictionem terminet? 375.
In re benè perceptà nulla est. 376.
Non est simplex: non multum à somno differt. 376.
Cum veris ideis non confundenda. 377.
Ejus potentia quando major, aut minor sit. 374.
Ejus præcipitantia quando evanescit. 376.
Fides quamdiu maneat constans. 274. 306.

An.

An eam ſervare oporteat. 285.
Figura eſt negatio: in determinatis tantùm locum habet. 558.
Sunt entia rationis. 599.
Figmenta ad Dei cognitionem nihil juvant. 50.
Finis eſt duplex: de eo doctrina naturam evertit, & Dei perfectionem tollit. 36.
De eo Doctrina homines ad ignorantiam deducit. 37.
Quid ſit. 166.
In ſcientiis eſt unicus. 361.
Finitum eſſe quid ſit. 5. 25.
Rei finitæ determinatio unde. 25.
Finita Voluntas unde determinetur. 28.
Flamma quomodò excitetur. 425.
Fluctuatio quid. 109. 110.
A dubitatione differt. 109.
Quando ea in nobis fiat. 120.
Fluida corpora. 56. 413.
Eorum Natura. 415.
Formæ Subſtantiales, qualitates &c. rejiciuntur. 419. 432. 424.
Formale idearum. 44.
Eſſe rerum quomodò ex divinâ Naturâ ſequatur. 45.
Fortis quis dicatur. 221.
Ejus Virtutes, & proprietates. *ibid.*
Fortitudo quid. 144.
Fortuitum & Neceſſarium ſunt contraria: 570. 578.

G.

Gaudium quid. 111. 151.
A gaudio differt. 145.
Generoſitas quid. 144.
Affectûs malos declinat. 201.
Injurias propulſat. 244.
Genuenſes ex Peregrinis judices malè legunt. 335.
Glandula pinealis an ſedes animæ. 234.
An in medio cerebro. 236.
Ejus motûs gradus. *ibid.*
Gloria quid. 122. 155.
Unde. 202.
Nimia quomodò ſedanda. 244
A Ratione quæ oriatur: vana quæ. 209.
Ejus qui ſint maximè cupidi. 244.
In Sacris literis quid ſignificet. 259.
Glorioſus facilè ſuperbit. 120.
Gratitudo quid. 128. 156.
Gratiſſimi qui ſint. 219.

H.

Hæreticus quis habeatur. 37.
Hæres Regni ſanguine proximus. 300.
Hilaritas quid. 105.
Exceſſum nequit habere. 197.
Hollandorum Reſp. ex provincia Nomen habet. 318.
Interitus. 338. 346.
Qualis fuerit. 346.
Homo propter finem agit, & cauſas finales inquirit. 34.
Cauſarum ignarus naſcitur. 54.
Deum iratum fingit. 35.
An ejus cauſâ omnia fiant. 37. ſeq.
Ità eſt creatus, ut ratione gubernetur. 39.
Mente, & corpore conſtat. 51.
Ab uno objecto diverſimodè afficitur. 134.
Sæpe lætitiæ, & triſtitiæ ſuæ eſt cauſa. 135.
Quatenus ſe cognoſcat. 137.
Quid conetur, & cupiat. 139.
A cauſis externis multimodis agitatur. 145.
An minùs juſto de ſe ſentire poſſit. 154.
Neceſſariò, & maximas patitur mutationes. 168. 169. 196.
Paſſionibus neceſſariò eſt obnoxius. 169. 269.
Quid appetat, fugiatque. 179. 189.
Quis agat ex virtute. 181. 189.
Quis patiatur. 182.
Nequit conari, ut non exiſtat. 180. 181.
Impotens ſe interficit. 180.
Quatenus intelligit, agit. 182.

Suum esse conservare conatur. 182.
Homo homini utilissimus. 179. 189. 190. 218. 224.
Cur varius, & inconstans. 187.
Quid jure agat, & judicet. 193.
Ei quid utile, & noxium. 195.
Liber semper cum fide agit. 220.
Liber quis sit. 216. 273. 274.
Liber vitam meditatur. 217.
Liber nullum boni, aut mali format conceptum. 217.
Liber ignarorum beneficia declinat. 219.
Liber potiùs in Civitate vivit. 221.
Primus quî libertatem amiserit. 218.
Homini quid interfit. 216.
An perfidiâ se à morte liberare debeat. 220.
Ut educandus. 225.
Se conservare studet. 272. seq.
Semper juxta Regulas Naturæ agit. 271.
An contra Dei decretum, & quatenus peccet. 278.
Homo Politicus tractatus est pessimùs. 539.
Hominis essentia à quibus constituatur. 49. 50.
Liberi finis ultimus. 225.
Vis existendi est limitata. 168.
Potentia unde determinetur. 184. seq.
Ut juvetur. 224.
In ejus potestate non est ratione semper uti. 273.
Definitio, quod sit animal rationale, quatenus conceditur. 275.
Homines cur invicem sint contrarii & molesti. 188. 193. 139. 225.
Quomodò concorditer vivant. 194.
In bruta jus habent. 193.
Variare possunt. 135.
Fidi, justi, honesti quinàm. 179.
Cur opinione magis moveantur. 177.
Quatenus conveniunt. 188. seq.
Quatenus agunt. 189.
Naturâ passionibus obnoxii non conveniunt. 186.
Largitate vincuntur. 227.
Mentis æternitatis sunt conscii. 257.
Extra Societatem vivere nequeunt. 268. 291.
Qui sint magis timendi. 275.
Naturâ hostes sunt. *ibid.*
Non nisi generantur. 404.
Cur sint coram Deo inexcusabiles. 453. 457. 456.
Honestum quid dicatur. 192.
ab Honore Philosophus abstinere debet. 357.
Honor Lætitiæ est causâ. 358.
Eum qui ambit, vulgum captare debet: eo Mens maximè distrahitur. 358.
Ejus Mala, & eorum origo. 359.
Quatenus prosit. 360.
Horror quid. 136.
Hostes imperii qui sint. 282.
Qui maneant. 284.
Humanitas quid. 118. 158.
Humilitas quid. 152. 154. 155.
Non est Virtus. 205.
Hypothesis quî fiat, quid de iis sentiendum. 374.

I.

Idea vera cum ideato convenit. 27.
Est Mentis conceptus. 40.
Adæquata veræ ideæ proprietates habet. 41.
In Deo datur omnium, quæ ex ejus essentiâ sequuntur. 43.
Dei est unica. 44.
Circuli, & circulus idem sunt. 46.
Rectanguli in circulo cum eo existit. 47.
Rei singularis Deum pro causâ habet. 48.
Rei singularis est modus cogitandi. *ibid.*
Rei existentis esse humanæ Mentis constituit. 50.
Cujuscunque rei est in Deo. 51.
Mentis humanæ ex plurimis ideis componitur. 59.
Mentis humanæ datur in Deo. 64.

Corporis, & Corpus idem sunt. 65.
Mentis Menti, ut Mens Corpori, unita est. 65.
Mentis, & Mens idem. *ibid.*
Ideæ quid. 65. 80.
Mentis, & Corporis eodem modo ad Deum refertur. 66.
Affectionis Corporis humani externi adæquatam cognitionem non involvit. 67.
Ideæ affectionis Corporis humani Mentis adæquatam cognitionem non involvit. 69.
Adæquata est vera. 72.
Adæquata quando in Mente sit. 75.
Vera dubitationem excludit. 79. 80.
Adæquata veritatis; inadæquata falsitatis causa est. 79.
Veram habere est rem optimè scire. 80.
Veræ, & falsæ differentia. *ibid.*
Rei singularis essentiam infinitam involvit. 83.
Falsa certitudinem excludit. 87.
Quatenus idea affirmationem, aut negationem includit. 88.
Cogitationem involvit. *ibid.*
Una aliâ est perfectior. 89.
Adæquata necessariò effectum producit. 96.
Corporis existentiam excludens in Mente dari nequit. 104.
Ideæ quâ ratione sit contraria. 105.
Idea vera differt ab ideato: quoad essentiam formalem potest esse objectum alterius essentiæ objectivæ. 366.
Vera à cæteris perceptionibus est distinguenda. 370. 371.
Simplicissima est clara, & distincta. 376.
Ficta est confusa. *ibid.*
Falsa quomodò à fictâ differat. 377.
Falsa refertur ad existentiam rei, cujus essentia nota est. *ibid.*
Vera quando cum confusâ miscetur. 380.
Vera est simplex, aut ex veris composita. 384.
Falsa, ficta, &c. ab imaginatione oritur. *ibid.*
Dubia in dubium nos pertrahit. 381.
Specialior est clarior. 388.
Dei Auctori est clara. 580.
Ex quâ omnes circuli proprietates educuntur, à causâ efficiente petenda. 589.
Ideæ Deum, quatenus cogitat, pro causâ habent. 44.
Quò plus realitatis habent, præstantiores sunt. 53. 160. 191.
De corporibus externis nostri Corporis constitutionem magis indicant. 60. 160.
Idearum, & causarum ordo, connexioque est eadem. 64. 45.
Affectionum Corporis à Mente percipiuntur. 65.
Affectionum corporis corporis Naturam involvunt. 66.
Affectionum corporis quatenus confusæ. 69.
Omnes quatenus veræ: falsitatem mutilatæ involvunt. 72.
Adæquatæ ex adæquatis sequuntur. 79. 528.
Sunt cogitationis conceptûs. 86.
Ab imaginatione distinguuntur. 87.
A verbis, & imaginibus distinguendæ. 87. 88.
Sunt adæquatæ, & inadæquatæ. 96.
Adæquatè certitudinem includunt. 184.
Invicem commercium habentes aliæ ex aliis deducuntur. 368.
Claræ, & distinctæ nunquam queunt esse falsæ. 378.
In iis reale quid est, per quod veræ à falsis distinguuntur. *ibid.*
Inadæquatæ unde in nobis oriantur. 380.
Ad Normam veræ ideæ cogitationes examinandæ. 380.
Veræ in dubium vocari nequeunt. 382.
Claræ, & distinctæ quomodò acquirantur. *ibid.*
A rebus Physicis sunt deducendæ. 388.

Ex aliis formatas Mens multis modis determinat. 391.
Positivas priùs format. *ibid.*
Determinatæ. *ibid.*
Absolutæ infinitatem exprimunt. *ibid.*
Falsæ, ac fictæ nihil positivi habent. 392.
Veræ, & adæquatæ differentia. 589.
Ignarus acquiescentiâ verâ caret. 264.
An ordinem Naturæ perturbet. 271.
Ignorantiæ asylum vulgò est Dei voluntas. 37.
Imaginatio Deo indigna est: eam infinita superant. 38.
Adæquatam corporis externi cognitionem excludit. 68.
Fit dum Mens corpora contemplatur. *ibid.*
Est cognitionis primum genus. 78.
Per eam res, ut contingentes, contemplamur. 81. seq.
Ut fluctuetur. 82. 87.
Errorem non involvit. 90.
Intensior quæ sit. 172.
Quid sit. 167. 172.
Perit. 262.
Per eam patimur. *ibid.*
Veri præsentiâ non evanescit. 168.
Corporearum, & singularium est. 383.
Ab intellectu diversa est. 384.
Ab eâ omnia patitur: quædam sub imaginationem non cadunt. *ibid.*
Verba sunt pars imaginationis. 385.
Ejus Vires. 471.
Ex sanguine tenaci qualis: ab animæ constitutione determinatur: ejus Effectus omnia esse possunt. 472.
Imagines rerum sunt corporis humani affectiones. 62.
Quando, & cur confunduntur. 76. seq.
Earum essentia à solis motibus corporeis constituitur. 88.
Rei præsentis, ac præteritæ hominem eodem modo afficit. 110.
Debilior quando reddatur. 172.
Ad plures res relata mentem magis occupat. 245.
Quibus imaginibus faciliùs jungantur. 245. seq.
Ad Dei ideam Mens referre potest. 246.
Imagines, triumphi &c. servitutis potiùs sunt signa. 350.
Imperfectio in rebus nulla est. 479.
Quid inferat. 525.
Est tantùm denominatio. 571.
Imperfectum vulgò quid dicatur. 161. seq.
Est tantùm modus cogitandi. 163.
Imperium ut stabilitur. 269.
Ejus Virtus est securitas. *ibid.*
Fundamenta unde petenda. *ibid.*
Quis teneat. 276.
Hostes ejus qui sint. 282.
Id affectare non licet. 286.
Tenens Legum est interpres. 288.
Optimum quodnam. 289. seq.
Quomodò sit instituendum: Democratici mala. 292.
Monarchicum praxi est Aristocraticum. *ibid.*
Monarchicum quî stabiliendum. 293.
Monarchici fundamenta. 293.
Regium sit indivisibile. 312.
Imperii potentia ex civibus æstimanda. 309.
Monarchici optima forma. 315.
Aristocraticum. 317.
Aristocraticum absolutum ferè est. 318. 319.
Ut in aliud mutatur. 323.
Aristocraticum vitiosum quomodò emendetur. 347.
Aristocratici ruina unde. 349.
An imperium possit esse æternum. 351.
Romanorum cur interierit. *ibid.*
Impius vulgò quis habeatur. 37.
Impossibile quid dicatur. 30.
De eo quid, & quomodò Fictio fiat. 373. 374.
Impotens quis dicatur. 180.
Improbi probis deteriores. 481.
Qui sint, & à probis differant. 513.
Indifferentia est mera ignorantia. 578.
Indignatio est odii species. 113. 151.
Est necessariò mala. 204.

Malè æquitatem præ se fert. 228.
Individuum, forma. 56.
Naturam quomodò retineat. 57.
Compositum. 58.
Unum est tota Natura. *ibid.*
Infinitum est absoluta affirmatio existentiæ Naturæ. 5. 22. 25.
Illa vox variè sumitur. 465.
Quale in nullas partes dividatur: quale alio infinito majus sit. 466.
Actu cur quidam negârint. 468. 470.
Inter finitum, & infinitum non est proportio. 572.
In infinitum, quatenus procedere liceat. 534.
Infinita ex Dei Naturâ sequuntur. 16. 21. 29. 44.
Quædam sunt suâ Naturâ, quædam vi causæ. 465. 469.
Infinitus intellectus Dei attributa comprehendit. 44.
Infinitas ex partium multitudine non concluditur. 596.
Ingratitudo, non est affectus: est turpis, & cur. 220.
Inhumanus quis. 203.
Injuriæ æquo animo ferendæ. 226.
Injustum in statu Naturali nihil est. 194.
Est notio extrinseca. 195.
Quis injustus dicatur. 278.
Instrumenta innata intellectualia. 366. 390.
Quomodò crescant. 369.
In Jove Eclypsis observata. 436.
Intellectus Dei, Voluntas & Potentia idem sunt: à nostro differt: Dei est rerum causa. 19. 87. 88. 89.
Actu finitus, aut infinitus Dei attributa tantùm comprehendere debet: ad Naturam naturatam pertinet. 27. 44. 463.
Potentialis non datur. 28. 31.
Est certus cogitandi modus. *ibid.*
Ad Dei Naturam se habet, ut quies, & motus. 29.
Dei est invariabilis, & ab essentiâ non differt. 31.
An latior Voluntate. 88.
Est purgandus. 361.
Instrumenta sibi fabricat. 366. 368.
Ei non competit memoria. 383.
Memoriam corroborat. *ibid.*
Proprietates habet octo: ejus definitio ut innotescit. 390.
Eo solo multa intelligimus. 468.
Casibus non est obnoxius: differt ab imaginatione. 528.
Invidiæ definitio. 114. 139. 152.
In eos, quibus benè est, fertur. 121. 126.
Jungitur Æmulatio. 156.
A Naturâ hominibus inest. 139.
Iræ definitio. 128. 156.
Oritur ex injuriis. 244.
Quomodò superetur. *ibid.*
Irrisio definitur. 149.
Ex eâ orta lætitia solida non est. *ibid.*
Ex conceptu rei exosæ oritur. 137.
Judicium suspendere quid significet, & illud suspendere nequimus. 88. 90.
Ejus inconstantia unde. 135.
Judicum in Monarchiâ numerus. 298.
In Aristocratiâ numerus, & officium. 310. 335.
Unde ii legendi, tormentis crimina non extorqueant. 336.
Quomodò in Aristocratiâ plurium Urbium eligendi. 343.
Jus in bruta homines habent. 193.
Cujusque potentiâ definitur. 270.
Quousque se extendat: cur ratione non definiatur. 271.
Naturæ nihil prohibet. 273.
Quomodò cujusque minuatur. 275. 279.
Et augeatur. 275.
Quamdiu nullum sit. *ibid.*
Imperii est Naturæ jus. 278.
Naturæ in Statu Civili non cessat. 279.
Civitatis multitudinis potentiâ definitur. 282.
Summarum Potestatum. 285. seq.
Regis. 304.
Civile est Regis voluntas. 312.
Summæ Potestatis in Aristocratiâ. 321.
Juris alterius quamdiu simus. 274.
Quamdiu nostri. 275.

Plures plus simul habent. 275.
Jura belli uniuscujusque Civitatis sunt. 284.
Ad jura Civitatis quæ non pertineant. 281. seq.
Tam firmanda, ut vel Rex ea solvere nequeat. 301.
Juramentum in Aristocratia quale esse debeat. 340.
Justus quis dicatur. 278. 514.
Justitia & injustitia in Statu Naturali locum non habent. 198.
Quomodò in Monarchiâ administranda. 298.
Justitia & Charitas est signum veræ fidei. 611.

L.

LAc in sanguine humano repertum. 443. seq.
Laus quid. 119.
Lætitiam fovet. 137.
Lætitia Mentem perfectiorem reddit. 105. 112. 142.
Eâ affici quid. 108. 112. 137.
Res quævis ejus per accidens potest esse causa. 107. seq.
Ex rei amatæ conservatione oritur. 111.
Ex rei exosæ destructione. 112. 113. 132.
Rei lætæ existentiam ponit. 114.
Minùs solida quæ sit. 114.
Imaginaria quæ sit. 119.
Quis se cum lætitiâ contempletur. 119.
Agendi potentiam auget. 124.
Ejus augmentum. 122.
Amoris lætitiam homo retinere conatur. 125.
Per accidens. 123.
Renovatio ejus unde. 132.
Mentis ex contemplatione potentiæ agendi. 137.
Ex irrisione non est solida. 149.
Ex pravis actionibus unde. 153.
Directè est bona. 197. 210.
Habet excessum. 231.
Ex honoribus, & opibus augetur. 358.
Legati in Monarchiâ ex Nobilibus legendi. 300.
Eos in Aristocratiâ Concilium supremum legat. 329. 342.
Lentes circulares laudantur. 561.
Lex de non esu carnium vana est. 192. seq.
Civitas eas interpretatur, fert, abrogat. 287. seq.
Aristocratiæ lex primaria. 324.
Leges in Aristocratiâ non mutentur. 342.
Frustrà leges Sumptuariæ concluntur. 349.
Juxta Naturæ leges omnia fiunt. 375.
Leges media salutis Prophetis dicuntur. 480.
Legis Divinæ summa est Dei amor. 555.
Supra legem sunt Virtuosi. 481.
Libertas nulla est in Mente. 85.
Summa est Virtus. 92.
In libertate Mentis non est recordari rerum. 100.
Quomodò eam Adam amiserit. 218.
Agendi potestatem ponit. 274.
In Rep. quare pereat. 346.
Animæ an competat. 375.
Juxta Cartesium quæ sit. 582.
Ejus essentia in liberâ necessitate sita. 584.
Vulgò quæ sit. 585.
Liber homo ex rationis dictamine vivit. 217. 274. 277.
Adæquatas tantùm habet ideas: vitam, non mortem meditatur. *ibid.*
Est gratissimus: amicitias jungit. 219.
Liber homo non est. 73. 273. seq.
Quando fiat. 501.
Vulgò quis dicatur. 263.
Cur se homo putet. 85. 99.
Libera res per se est concipienda. 133.
Multitudo majori spe ducitur. 290.
Liberum decretum est figmentum. 85. 148.
Liberi jure Civili Parentum hæredes sunt. 312.

Liberè quæ se agere homines credant. 99.
Libido quid. 158.
Contrarium non habet. *ibid.*
Est mala. 359.
Mentem turbat, & habetat : eamque sequitur tristitia. 358.
Linea ex punctis non componitur. 15. 467.
Lumen intellectûs Deus incorruptè servat. 498.
Luxuria quid. 158.
Contrarium non habet affectum. *ibid.*

M.

Machiavellus notatur, & laudatur. 290. 291.
Majestatis reus in Aristocratiâ quis sit habendus. 328.
Mahumed fuit Impostor. 556.
Mahumedanæ Ecclesiæ ordo constantissimus est. 613.
Malum vulgus nominat, quod ad valetudinem & cultum Dei non conducit. 37. 38.
In se consideratum est tantùm modus cogitandi. 164.
Philosopho quid sit. 165.
Est tristitiæ tantùm affectus. 126. 171.
Cum nostrâ naturâ commune quid debet habere. 184.
Quatenus tale, est nobis contrarium. 185.
Malum inferendi conatus est ira. 128.
Quid dicatur. 195. 223.
Ejus cognitio est inadæquata. 215. 273.
Ex rationis ductu minùs sequimur. *ibid.*
Id à nobis arcemus. 224.
In Adami actu erat tantùm privationis Status. 479.
Absolutum nullum est. 484.
Essentiam rei cujusdam non exprimit. 512.
Materiæ partes tantùm modaliter distinguuntur. 15.
A materiâ subtilissimâ an oriatur calor. 427.
Indefinita nullam habet figuram. 558.
Matheſis finem non spectat, sed versatur circa figurarum essentias, & proprietates. 35.
Matrimonium cum ratione convenit. 227.
Regi cum extraneâ inire ob periculum non licet. 312.
Mechanica tractanda. 361.
Medicina excolenda est. 361.
Melancholia partes omnes affectas indicat. 105.
Est semper mala. 197.
Memoria qualium idearum sit concatenatio. 63. 383.
Ope intellectûs corroboratur : differt ab intellectu : est corporea, & singularis : nulla datur, quæ sit puræ mentis. 383.
Quomodò coërceatur. 132.
Mens humana constituitur ex ideâ rei singularis existentis. 50.
Est pars intellectûs Dei. 81. 441.
Quomodò percipiat. 50. 51.
Est corpori unita. 363.
Cur unionem nemo adæquatè percipiat. 51. 65.
Ejus objectum est corpus existens. 51.
Inadæquatè quando percipiat. *ibid.*
Una aliâ præstantior est. 53. 75.
Ad plurima percipiendum quæ aptior sit. 53. 59. 201.
Percipit, quæ in corpore fiunt. 59.
Aliorum, & sui corporis Naturam percipit. 60.
Quæ corpora externa, ut præsentia, contèmpletur. 61.
Quando imaginatur non errat. 62. 167.
Quando errat. *ibid.*
Quando recordatur. 62.
Per ideas affectionum corporis ipsum existere novit. 63. seq.
Propter concatenationem ex unâ in aliam incidit cogitationem. 63. 147.
Ejus in Deo datur idea. 64.
Ejus idea, & mens unum sunt. 65.
Corporis affectiones, harumque ideas percipit. 65.
Quatenus se ipsam non cognoscat. 66.

Partes corporis sui Inadæquatè cognoscit. 66.
Per ideas affectionum sui corporis externum corpus existens percipit. 68. 81.
Imaginari quando dicatur. *ibid.*
Quando inadæquatè, & adæquatè res percipit. 70.
Tot corpora, quot in suo corpore imagines dantur, distinctè imaginatur. 77.
Imaginibus confusis confusè omnia imaginatur. *ibid.*
Quando res adæquatè concipit. 75.
Adæquatè Dei essentiam novit. 84.
In Mente non est libera Voluntas. 85.
Est determinatus cogitandi modus. 262. *ibid.*
Ejus volitio quid involvat. 86.
Quatenus adæquatas habet ideas, agit, quatenus non habet, patitur. 96. 144.
Mens, & Corpus idem sunt. 97.
Corpus ad motum determinare nequit. 97.
Mens aptiore corpore ad meditandum aptior est. 98. 230.
Ejus decreta quæ dicantur. 99.
In mentis libertate non est recordari. 100.
Actiones ejus ex adæquatis ideis tantùm oriuntur. 100. 101.
Essentia in quo. 101. 103. 104. seq.
Quatenus in suo esse perseverare conetur. 103.
Mentis cogitandi potentiam quid augeat, vel minuat: magnas patitur mutationes. 104.
Ejus existentia unde pendeat. 105.
Potentia unde pendeat: ejus existentia quomodò tollatur. 105.
Quæ corporis potentiam augent imaginari conatur. 106. 111. 138. 160.
Quæ econtra aversatur. 107.
Conatum ejus quæ juvent, vel coërceant. 112. 114.
Læta imaginari conatur. 115.
Ejus lætitiæ causa. 137. 143.
Ex impotentiâ suâ tristatur. 138.
Ejus potentia quomodò determinetur. 142.
Quando ad majorem, aut minorem perfectionem transit. 160.
Ejus cogitandi potentiam augeri, vel minui quid indicet. *ibid.*
Eâ affectâ corpus simul afficitur. 170.
Quod ad intelligendum conducit, utile sibi judicat. 183.
Dei cognitio summa ejus est Virtus: Quatenus ideas adæquatas habet certitudinem habet. 184.
Ejus essentia est in cognitione. 191. 257. 259. 592.
Quicquid duce ratione concipit, sub necessitatis specie concipit. 213.
Adæquatas tantùm ideas si habet, nullam mali format ideam. 215.
Mens acquiescere quando debeat. 232.
Intelligit, res omnes esse necessarias: & ideò minùs patitur. 240.
Ejus potentia intelligentiâ definitur. 236. 249.
Eam Dei Amor maximè occupat. 246.
Ejus in affectûs potentia in quinque rebus consistit. 249.
Durante corpore imaginatur. 250.
Nequit absolutè, utpote æterna, destrui. 251. seq. 255.
Ejus summa virtus est res adæquatè nôsse. 252. seq.
Ejus acquiescentia ex tertio cognitionis genere oritur. 253. 259.
Beatior quænam. 256.
Durante corpore affectibus est obnoxia. 257.
Maximam partem æterna est. 260. 261.
Quando mortem minùs timet. 260.
Ejus imaginatio perit. 262.
Quò magis beatitudine gaudet, eò plus intelligit, & libidines coërcet. 264.
Mens ratione utens sui juris est. 282.
Honore, & Divitiis à Philosophiâ distrahitur. 358.

Intel-

Intelligendo plura acquirit instrumenta. 368.
Facilè fictionis falsitatem detegit. 375. seq.
Quâ potentiâ ideas simplices formet. 379.
Est pars Naturæ. 441.
Ad cogitandum de eodem subjecto non semper est apta. 586.
Tantùm novit Cogitationem, & Extensionem. 592.
Mensura est modus cogitandi. 467.
Nequit esse infinita. 468.
in *Methodo verâ* non datur progressus in infinitum. 365. 367.
Debet agere de Ratiocinatione. 367. 369.
Est cognitio reflexiva. 367. 370.
Bona quæ sit, & perfectissima quæ. 368. 390.
Definitiones format. 386.
Ejus pars præcipua est vires intellectûs intelligere. 390. 528.
Metûs definitio. 111.
Ex eo oritur Desperatio. *ibid.*
Causa res quævis potest esse per accidens. 133.
Non est sine Spe. 134.
Est Superstitionis origo. *ibid.*
Eo ratione utens non ducitur. 214.
Ex animi impotentiâ oritur. 226.
Animositate deponitur. 244.
Solitudinis omnibus inest. 291.
Defectûs cognitionis arguit. 202.
Quatenus malus sit. 202.
Militia in Monarchiâ ex civibus formanda. 293. 308.
Quomodò dividenda. 294.
In Aristocratiâ ex subditis formanda. 321.
Cur in Monarchiâ sine stipendio servire debeat. 322.
In Aristocratiâ sit stipendiaria. *ibid.*
Extranea in Aristocratiâ non debet esse. 321.
Stipendiaria cives temnit. 314.
Miracula, & ignorantia idem sunt. 449. 451. 453. 456.
Per causas Naturales sunt explicanda. 454.
Sanctorum rejiciuntur. 580.
Pharisæorum eadem cum miraculis Pontificiorum. 613.
Iis Religio propagatur. 283.
Misericordia. 152.
Ei opponitur Invidia. *ibid.* 121.
Pauci eâ tanguntur. 225.
Modestia est species Generositatis. 145.
Est species Ambitionis. 158.
Ex ratione ad Pietatem refertur. 229.
Modus definitur. 1. 6.
Est in substantiâ. 12. 22.
Infinitus ex aliquo Dei attributo sequitur. 23.
Modus, & substantia tantùm dantur. 25.
Est Dei attributorum affectio. *ibid.*
Ex Divinâ Naturâ necessariò sequitur. 26.
Attributorum Dei est Natura Naturata. 27.
Extensionis, ejusque idea idem sunt. 46.
Non involvit existentiam. 466.
Modi se ipsos non indeterminant. 26.
Imaginandi varii sunt. 37. 38.
Corporis unde. 55. 60.
Substantiæ quando intelligi nequeant. 468.
Monarcha nullibi absolutè eligitur. 301.
Monarchia. 276.
Quomodò stabiliatur. 302.
Mortem mens tertio cognitionis genere prædita minùs timet. 260. 261.
Moses in historiâ de primo homine quid innuat. 217.
ex *Motu* infinita sequuntur. 29.
An Motûs cælestes harmoniam componant. 38.
Ejus idea quantitatem involvit. 391. 397. 398.
Regula motûs Cartesii sexta est falsa. 437. 441.
Mundus fortuitò non est creatus. 570. 578.
An plures dentur. 592.

N.

Natura tantùm Subſtantias, earumque affectiones continet. 4.
Eſt Naturans, vel Naturata. 27. 463.
Quid ad utramque referendum. 27.
Ejus ordo eſt invariabilis. 29. ſeq.
An fruſtrà quid agat. 35. 94. 162. ſeq.
Sibi non præfigit finem. 36. 162.
Divina ante omnia eſt ſpectanda. 49.
Tota eſt unum indiviſibile, quod infinitis modis variat. 58.
Ejus ordinem an homines perturbent. 93.
Quomodò explicanda. 94.
Ex eâ infinita ſequuntur. 99.
Homines paſſionibus obnoxii naturâ diſſentiunt. 186. ſeq.
Infinitis legibus continetur. 273.
Omnibus ejus origo quomodò concipienda. 381.
Ejus pars quomodò cum toto conveniat. 436.
Nec eſt pulcra, nec deformis &c. 439.
Univerſi eſt infinita. 441.
Neceſſitas Divinæ Naturæ omnia determinat. 26.
Rerum Leges, & Jura non tollit. 453. 555.
Inevitabili neceſſitate omnia fiunt. 554.
Neceſſaria res exiſtentiam ponit. 173.
Duabus de cauſis talis dicitur. 30.
Eſt Deus. 33.
Neceſſarium & liberum non ſunt contraria. 578.
Negatio quid inferat. 500.
Negotia in Monarchiâ qui debeant tractare. 298.
Quomodò celeriter abſolvenda. 328.
Nitrum an ſit heterogeneum. 406. 428.
Differt à ſuo Spiritu. 406. 428.
Ejus Redintegratio. 407. 424. 426. 432.
Ejus ſal fixum quos poros habeat. 407. 424.
Cur ſit frigidum. 408.
Ejus partes in fumum abeuntes ſunt nitrum. *ibid.*
A ſuo Spiritu ſapore differt: cur inflammabile: Spiritus cur non inflammabilis. 408. 410.
Ejus fœces ſunt partes fixæ: defœcatum volatilius eſt. 409.
Ejus ſpiritûs partes cur celeriùs moveantur: ejus ebullitio. 411.
Spiritus ingrediens in chartam eam reddit friabilem; ſed corium contrahit. 414.
Spiritus non eſt purus. 428.
Nobiles in Monarchiâ. 294. 310.
Matrimonio cur arcendi. 310.
An vulgo meliores. 313.
Notiones communes. 75.
Earum cauſæ. 76.
Secundæ, tranſcendentales. *ibid.*
Univerſales. 77.
Variè formantur. *ibid.* & 78.
Sunt fundamenta rationis. 82.
Quas vulgus facit, Naturam non explicant. 412. 468.
Numerus eſt modus cogitandi. 467.
Multa ſunt, quæ nullo numero explicari poſſunt, nec adæquari. 468. ſeq.

O.

Objectum idem poteſt eſſe cauſa contrariorum affectuum. 110.
Unum homines diverſimodè afficit. 134.
Quodnam diu, vel non diu contemplemur. 135. ſeq.
Quot objectorum, tot affectuum ſunt ſpecies. 104. ſeq.
Quomodò totum intueamur. 535.
Odium qualis ſit triſtitia. 107.
Ad objecta externa refertur. 119. 132. 149.
Rei exiſtentiam conatur ſecludere. 112.
Erga alium unde. 113. 116.
Etiam alios ad odium incitat. 120.
Cur eſt, quando erga rem amatam odio afficiamur. 122. 123.

Alteri malum inferre conatur. 125.
Odio, & amore conflictamur. 127.
Odii, & amoris conflictus. 129.
Ex odio oritur, & crescit. 125. 130. 129. 131. 201.
Odium erga rem similem unde. 131.
Illud sibi nemo optat. 130.
In amorem potest transire. *ibid.*
In Nationem. 131.
Quando destruatur. 132.
Erga rem liberam majus est, quam erga necessariam. 133.
Ad illud naturâ sumus proclives. 139.
Semper est malum. 199. 201.
Quomodò facilè superetur. 244. 237. 239. 201.
Quos miseros, quos lætos reddat. 201.
Odisse possumus sine causâ. 108.
Quid sit. 109. 126. 130.
Et Amare possumus. 109.
Odiosus quis dicatur. 192.
Odorifera quæ dicantur. 38.
Omnia bona & mala quæ dicantur. 133. 134. 472.
Omnipotentia Dei ab æternò actu fuit. 18.
Quinam eam negare videantur. *ibid.*
Ordo Naturæ mutari, & res alio modo produci nequit. 29. 31. 32.
Causarum nos latet. 30.
In rebus nullus est. 38.
Quare confusioni præferatur. *ibid.*
Ordo, & connexio idearum, & rerum idem est. 45. 48. 97.

P.

Partium cohærentia vera ignoratur. 439.
Indicat leges unius partis se ad alias accommodare. *ibid.*
Passionibus pluribus mens, inadæquatas habens ideas, obnoxia est. 97. 222.
Quatenus eæ ad Mentem referantur. 101.
Earum Vis, & incrementum quo pacto definiatur. 170. 222.
Eæ impotentiam nostram indicant. 222.
Deus omnium passionum expers est. 247.
Pati quando dicamur. 95. 140.
Eatenus patimur, quatenus Naturæ sumus pars. 168.
Pater quatenus pars filii. 472.
Ejus anima idealiter de iis, quæ essentiam filii sequuntur participat. 473.
Patriarchæ per Spiritum Christi libertatem recuperârunt. 218.
Patricii in Aristocratiâ, qui dicantur. 317.
Plures esse debent, & quot. 318. 322.
Inter eos æqualitas sit. 325. 321.
Debent nôsse artem militarem. *ibid.*
Aliquando à belli Ducibus opprimuntur. 322.
Non eligendi ex certis familiis. 324.
Non sint hæreditarii: statutis temporibus debent convenire. *ibid.*
Legibus adstringendi. 325.
Syndicis novitii summam annumerent magnam. 326.
Ii spe Senatoriâ fovendi. 330.
Sint Religionis vindices: Veste singulari incedant. 339.
Honore, si bona dilapidârint, indigni habeantur. 340. 350.
Patriciorum plurium arbitrium jus, & auctoritas. 342.
In Aristocratiâ vitium commune. 353.
Pax quid. 290. 292.
In Monarchiâ quo pacto servetur. 305
Ejus jura contrahentium sunt. 284.
Vitia pacis indirectè prohibenda. 350.
Peccatum an sit causa hominis impotentiæ. 272.
Est actio, quæ jure fieri nequit. 276. 194.
Non nisi in Imperio concipi potest. 276.
In statu Naturali non datur. *ibid.* & 194.
Ejus vox diversimodè considerata: an sit actio contra rationem. 277. seq.

Impropriè id in Deum committimus. 478.
Eſt negativum. 478. 483.
Perceptio (vox) paſſionem innuit. 40.
Ejus modi quatuor recenſentur. 362.
Ex his modis quartus eligendus, & cur. 365.
Ea vel eſt rei, vel eſſentiæ. 371.
Ejus defectum ideæ mutilatæ monſtrant. 380.
Clara alterius claræ eſt cauſa. 528.
Pecuniæ uſus laudatur. 230.
Peregrini quâ ratione in Monarchiâ tractandi. 299.
A Democratiâ excludendi. 353.
Pererius (Ant.) laudatur. 308.
Periculum quid innuat. 218.
Perfectio rei exiſtentiam ponit. 10. 524.
Rei perfectio cauſæ externæ debetur. *ibid.*
Rerum ex ſolâ earum Naturâ æſtimanda. 36. 39.
Perfectio, & realitas idem ſunt. 41. 163. 165.
Eſt modus cogitandi. 163. 571.
Omnia eam includunt. 478.
Se eò uſque extendit, quò rei ſe extendit eſſentia. *ibid.*
Perfecta idea eſt vera. 72.
Perfectum vulgo quid dicatur, & cur. 161.
Perfectius quid vocetur. 163.
Perfectum, & imperfectum reſpectiva ſunt. 360.
Perfectiſſimus effectus à Deo immediatè producitur. 36.
Phariſæi Eccleſiæ Romanæ prædeceſſores. 613.
Philautia quid, eſt cauſa invidiæ. 139.
Lætitiam unde producat. *ibid.*
Philoſophi Vulgares affectus ut vitia concipiunt. 267.
Loco Ethices Satyram quare ſcripſerint. *ibid.*
Pii Vide Probi.
Pietas definitur. 192. 239.
Ex ratione orta ad Religionem refertur. 192.
Ignoratâ licet mentis æternitate, tamen eſſet colenda. 262.
Non eſt onus. 263.
Plebejis ad Syndicos appellare liceat in Ariſtocratiâ. 337.
A jure Suffragiorum, & à Conſiliis arcendi. 338.
Poëta Hiſpanus morbo memoriam omnem perdidit. 196.
Politici à vulgo ut æſtimentur. 267.
De Politiâ meliùs, quàm Philoſophi, ſcripſerunt. 268.
Politicæ Auctoris, & Hobbeſii diſcrimen. 557.
Pœnitentia quid, eſt triſtitia. 119. 153.
Non eſt Virtus. 206.
Cur ſit minùs damnoſa, à Prophetis commendata eſt. 206.
Pontifex Romanus Vicarium Chriſti apud Arragones quomodò ſe geſſerit. 315.
Poſſibile quæ res dicatur. 30.
Inter eam, & contingentem differentia. 165.
Potentia, Voluntas & Intellectus Dei unum & idem ſunt. 19.
Et eſſentia Dei idem ſunt. 32. 33.
Dei eſt cauſa rerum. 33.
Eſt Dei actuoſa Eſſentia. 43.
Dei vulgò quid: Dei cum Regum potentiâ malè comparatur. 43. 44.
Dei cogitandi æquatur actuali potentiæ agendi. 45.
Hominis cogitandi quid augeat, minuatve. 104.
Hominis eſt pars infinitæ Dei potentiæ. 169.
Alterius rei ſingularis potentiâ determinatur. 184.
Limitata à potentiâ cauſarum externarum infinitè ſuperatur. 232.
In affectûs in quinque rebus conſiſtit. 249.
Mentis cognitione definitur. *ibid.* 274.
Rerum, & Dei eadem eſt. 270.
in *Poteſtate* Dei eſſe quid innuat. 17.
In hominis poteſtate quatenus ſit, ut ab affectibus minùs patiatur. 239.

Sub alterius potestate quis esse dicatur. 274.
Pacis interest, ut omnis potestas in unum non differatur. 292.
Præjudicia multa recensentur, & eorum ortus ostenduntur. 34. 35. 37.
Naturæ inquisitionem impediunt. 369.
Præses Syndicorum ad sex menses eligatur, ejus jus, ac munus. 329.
Preces sunt utiles, & quamobrem. 502.
Privatio non est quid positivum, & quare respectu nostri ità vocetur. 480. 500.
Sita est in rerum Comparatione. 500.
Probi, quia Deum cognoscunt, servi Dei sunt: cum improbis nullatenus comparandi. 481.
Deum colendo perfectiores fiunt. 499.
Claram Dei habent ideam. 513.
Proconsules in Provincias mittendi ex Senatu in Aristocratiâ legendi. 337.
hoc axioma *Progressus causarum in Infinitum*, explicatur. 470.
Prophetæ quid commendârint populo? 206.
Deum, ut Regem, descripserunt. 480.
Deum affectibus obnoxium expresserunt. 481.
Proprietates ex re, plus realitatis habente, plures fluunt. 16.
Rei ex Definitione eliciendæ. 387. seq.
Ignotis essentiis ignorantur. *ibid.*
Entis necessariò existentis sex enumerantur. 521.
Pudor est tristitia. 119.
Rarus est. 127.
Ejus, & Verecundiæ differentia. 155.
Licet non sit Virtus, bonus tamen aliquo modo est. 209.
Ad rationem non spectat.
Pusillanimitas Audaciæ opponitur. 157.
Pulcra quæ vulgo dicantur. 38.
Naturâ non sunt res. 439. 571.
Pulchritudo est potiùs in eo, qui objecta spectat, effectus. 571.

Q.

Quantitas infinita ex partibus non conflatur: est indivisibilis. 14.
In imaginatione est divisibilis, finita, ex partibus conflata; in intellectu infinita, &c. 15.
Ejus partes modaliter distinguuntur. *ibid.*
Vel ut Substantia, vel abstractè concipitur. 467. 15.
Ejus ideam mens format absolutè. 391.
ex *Quiete*, ut ex motu, infinita sequuntur. 29.

R.

Ratio res non, ut contingentes, sed ut necessarias contemplatur. 81.
Et æternas. 82.
Ejus fundamenta sunt notiones sub specie æternitatis concipiendæ. *ibid.*
Sui ipsius amorem, suum utile, & sui conservationem docet, &c. 178. seq.
Ex eâ conamur intelligere. 183.
Ex ratione agere quid sit. 210.
Qui metu agit, ratione non ducitur. 214.
Ex ratione orta Cupiditas bonum directè sequitur. *ibid.*
Majus bonum sequitur, minus vitat. 215.
In ejus perfectione summa beatitudo consistit. 223.
Rationis ope corpora dividimus. 413.
An eâ liberrimè uti queamus. 583.
Ratio in mente est verum Dei verbum. 614.
Realis distinctionis signum. 15.
Realitas & perfectio idem sunt. 41. 163. 165.
Vide Perfectio.
Rectangula infinita in circulo æquantur. 47. 589.

Non nisi cum circulo existunt ; nec eorum idea, nisi cum circuli ideâ. 47.
Regulam proportionis varii variè sciunt. 78. 364.
Regulæ Vitæ quædam utiles recensentur. 361.
Rehabeam ob Solomonis, matrimonium subactus omnino est. 312.
Religio non omnibus eadem est. 153.
Ad eam nostræ actiones, quatenus Dei habemus ideam, referuntur. 192.
Ea, ignotâ licet Mentis æternitate, esset colenda. 262.
Non est onus. 263.
Docet proximi amorem. 269.
In Affectûs parum potest. *ibid.*
An Status Civilis Religionem non tollat? 282.
Ad eam propagandam miracula necessaria sunt. 283.
Ea summis Potestatibus committenda est. *ibid.*
Ejus jus nemo in alium transferre potest. 313.
Patriciorum in Aristocratiâ una esse debet. 339.
Templa Religioni dicata qualia esse debeant. *ibid.*
Auctor veram Religionem stabilire allaborat. 445.
Tantùm abest, ut eam penitùs exuerit. 554.
Differt à Superstitione, quia hæc Ignorantiâ, illa verò Sapientiâ fundatur. 449. seq.
Res, quæ aliâ ejusdem naturæ determinatur, finita est. 1. 25.
Necessaria, & libera quæ sit. 2.
Quomodò ab aliâ distinguatur. 3.
Rei existentia ex perfectione causæ externæ oritur. 10.
Particularis est Dei attributorum modus. 24.
Eam Deus determinat. *ibid.* 29.
Finita ab aliâ re finitâ ad existendum, & operandum determinatur. 25.
Rem Deus immediatè producit, non remotè. 26.
Contingens non datur. 26. 30.
Res Deus alio ordine, & modo producere nequivit. 29. 31.
Necessaria duabus de causis est. 30.
A Deo summâ cum perfectione producta est. 30. 32.
Quævis aliquid producit. 33.
Ordinata, & confusa, quæ dicatur. 38.
Ejus perfectio ex solâ ejus Naturâ æstimanda. 39.
Singularis quæ dicatur. 41.
Ideata unde sequatur. 45.
Infinita necessariò existit: singularis sine Deo nec esse, nec concipi potest. 50.
Singularis est contingens, & corruptibilis. 71.
Singularis durationem inadæquatè novimus. *ibid.*
Quòd res, ut contingens, spectetur, pendet ab imaginatione. 81.
Tantùm à causâ externâ destruitur. 101.
Quatenus una aliam destruit, est contraria. 101. 102.
Quævis in suo esse perseverare conatur. 102. 272.
Cur rem amemus, vel odio habeamus. 108.
Quatenus res præterita aut futura dicatur. 110.
Singularis contingens, & possibilis cur dicatur. 165.
Quatenus ea sit bona, aut mala. 171. 184. 185. 223. 231. 327.
Mala est nobis contraria. 185.
Necessaria existentiam ponit. 173.
Res nobis utilis quæ sit. 186. 230.
Rei duratio adæquatè cognoscitur. 213.
Rem liberam imaginari quid sit. 240.
Rem absentem quî contemplemur. 241.
Actualis res duobus modis concipitur. 254.

Majoris perfectionis magis agit. 262.
Naturalis tantum juris habet, quantum potest. 270.
Rei, & Dei potentia est eadem. *ibid.*
Impossibilis, necessaria, possibilis quæ dicatur. 371. 372.
Verè ficta absurditatem suam facilè ostendit. 376.
De re clarè perceptâ fingere nil possumus. 377.
Simplicissima singi nequit. *ibid.*
Singularis faciliùs retinetur. 383.
Abstracta pro lubitu definitur. 386. seq.
Rem sub specie æternitatis concipimus. 391.
Rei id tantùm, quod ex datâ causâ sequitur, competit. 457.
Res duobus modis quomodò possit considerari. 460.
Res, ejusque affectio est veritas æterna. 464.
Res quatenus à Deo pendet est perfecta. 502.
Res tantùm essentiæ respectu una dicitur. 557.
In se spectata nec pulcra, nec deformis est. 571.
Res libera, & coäcta quæ sit: creata ab extra ad operandum determinatur. 584.
Respublica quid. 278.
Ab eo, qui summum imperium tenet, pendet. 286.
Resp. quæ sint æternæ. 319. 351. seq.
Honorum, ac Divitiarum nimiâ cupiditate intereunt. 540.
Resurrectio Christi allegoricè est intelligenda. 458.
Revelationis certitudo Sapientiâ nititur. 449.
Rex Consiliariis eget. 292. 302. 304.
Ab eo secundi, plerumque regnant. 293.
Sæpe pro libidine omnia moderatur. *ibid.*
Quis minùs. 293.
Quis magis sui sit juris. 306.
Et quando maximè securus sit. 307.
Filios sæpe timet; filios quomodò jubeat educare. 293.
Consanguinei ejus in tertio, aut quarto gradu matrimonio arcendi. 294.
Regii Concilii primarium munus. 295.
Rex Consiliarios ex civibus legat. 295.
Ejus Aulici omni officio sunt secludendi. 300.
Uxor regis extranea esse non debet. 300. 311.
Regis mandatis an semper parendum. 301.
Quare eligatur. 304.
Dominandi cupidus quid sæpe agat. 306. 307.
Ejus emolumenta non sint bonorum publicatio. 310.
Propinqui Regis ab eo procul absint. 311.
Ejus voluntas est jus Civile. 312.
Sit unus, nec alteri Regnum tradat. *ibid.*
Risus per se est bonus; differt ab irrisione. 200.
Romanæ Ecclesiæ an Sanctitas Vitæ sit propria? 611.
Successio, Consensus, Secreta, Ordo &c. vana sunt. 612. 614.

S.

Sal cinerum clavellatorum cum spiritu Nitri Nitrum constituit. 419. 425.
Salia habent fœces. 426.
Sanguinis partes quatenus ut totum quid considerentur: variationes unde: motus invicem communicatur. 440.
In sanguine humano lac deprehensum. 443.
Tenax est causa imaginationis de rixis, molestiis, &c. 472.
Sapiens omnibus se delectat. 200.
Quantò melior sit ignaro. 264.
Nunquam esse definit: verâ acquiescientiâ potitur: vix animo movetur. 264.

Saporis Nitri, ejusque Spiritûs differentia. 419. 425.
Scientia intuitiva quid, & unde fluat. 78. 84.
Ea ad unum scopum redigenda. 361.
Vera procedit à causâ ad effectum. 384.
Schismatum origo. 563.
Sceptici ut tractandi. 370.
Scepticismi origo. 38.
Scripturæ S. scopus. 458. 504.
Ea humano more loquitur. 480. 504.
Lumini intellectûs non est contraria. 498.
Secretarii in Aristocratiâ ex plebe eligendi. 338.
Securitas fit ex Spe. 111. 150.
Senatorum in Aristocratiâ, numerus, & emolumenta. 330.
Ii à vectigalibus solvendis liberi sint, nec militiæ munere fungantur. 331.
In annum eligendi, & in ordines sex dividendi. 332.
In Aristocratiâ plurium urbium quomodò, & unde legendi. 343.
Senatûs in Aristocratiâ officium. 329.
Statuto tempore debet convenire. 332.
In eo quidam Syndici debent sedere. *ibid.*
Sensuum fallacia. 382.
Sententia in Monarchiâ quî pronunciandа. 299.
Minor centum suffragiis repudianda. 304.
Series rerum æternarum non mutabilium cur quærenda, & quomodò usurpanda. 388.
Servitus humana quid. 161.
Quis servus dicatur. 216.
Simplex quid innuat. 524.
Sobrietas non est Passio. 141.
Opponitur Ebrietati. *ibid.*
Est species Animositatis. 144.
Mentis potentiam indicat. 159.
Societas quomodò firmetur. 194.
Ei, quæ Concordiam gignunt, prosunt. 197.
Sol quantum à nobis distat. 73.
Cur propinquum imaginemur. *ibid.*
Est major, quàm apparet. 363.
Et major terrâ. 382.
in *Somno* quandoque judicium suspendimus. 90.
Spectra an dentur. 565. 567.
Et cur. 567.
Quales historici de iis tractârint. 566.
Cur non dentur. 569. 572.
An sint masculini generis *ibid.* & 573.
De eorum historiis dubitatur. 572.
Unde componantur. 580.
Quinam ea excogitârint. 580.
Spes. 111.
Non est absque metu. 134. 150.
Per accidens. 133.
Quatenus bona, aut mala. 202.
Defectum cognitionis arguit: ex eâ minùs quando pendeamus. 202.
Sperata facilè credimus. 134.
Spiritualia amicis sunt communia. 397.
in *Statu Naturali* nemo est Dominus: nec, quid bonum, aut malum sit, judicatur: in Statu Civili est bonum, & malum. 194.
Status Civilis rationi non repugnat. 280.
In quem finem instituatur. *ibid.* & 282.
In Naturali qui ratione utitur est maximè potens. 281.
Civilis non tollit Religionem. 282.
Stipendium quibus, & quando in Monarchiâ solvendum. 299. 310.
Stoici nos Imperium absolutum in Affectûs habere putârunt. 233.
Putârunt Mentem esse corpora subtilissima. 380.
Stupor, sublatâ ignorantiâ, tollitur. 37.
Substantia est in se, & per se concipitur. 1. 403. 463.
Una aliam non producit. 4. 10.
Ad ejus Naturam pertinet existere. 5. 6. 8. 9. 48. 466.
Est infinita. 5. 11. 49. 466. 398. 441.
Ejus veritas, nisi in se, extra intellectum non est. 6.

Est una. 4. 5. 12. 6. 7. 11. 12. 13. 49. 398. 466.
Distinguenda à Modificatione. 5. 6.
Ejus existentia, & essentia est æterna veritas. 6.
Ea non creatur. 13. 6.
Plura habet attributa. 8. 462.
Quia existentiam involvit, existit. 9.
Ejus perfectio unde. 10.
Est indivisibilis. 11. 15. 398.
Et corporea indivisibilis. 11.
Pars ejus. 12.
Præter Deum nulla est. 12. 20.
Extensa est unum ex infinitis Dei attributis. 13.
Substantia corporea an Deo competat? 13.
An corporea Deo sit indigna. 14. 16.
An ex partibus componatur Substantia corporea. 13. 14. 467.
Substantiæ partes non realiter, sed modaliter distinguuntur. 15.
Præter Substantias, & modos nil datur. 25. 404.
Substantia Cogitans, & Extensa est una Substantia. 46.
Ea formam hominis non constituit. 48. 49.
Ea prior est Accidentibus. 404.
Substantia ab existentiâ modorum est diversa. 466.
Quatenus divisibilis, finita, &c. quatenus non. 15. 467.
Superbia est species Delirii: definitur. 115. 153. 207. 208.
Differt ab Existimatione, & est Philautiæ effectus. *ibid.*
Ei opponitur Abjectio, & Humilitas. 154. 208.
Est sui ignorantia, & animi Impotentiam indicat. 206.
Difficulter corrigitur. 207.
Est duplex. 208.
Ea Dominantibus est propria. 313.
Superbus quid faciat. 154.
Amat Parasitos. 207.
Quin omnibus Affectibus est obnoxius: Invidus est, & Abjecto proximus: Amore, & Misericordiâ non afficitur: duplici sensu dicitur. 208.
Superstitionis Origo. 35. 134.
Eâ capti alios æquè, ac se ipsos, reddunt miseros. 214.
Illa, quod malum est, bonum esse judicat. 231.
Merâ ignorantiâ nititur. 449.
Rationi est infesta. 572.
Unica ejus causa est metus Inferni. 614.
Sympathiâ aliquem odimus, aut amamus. 108.
Syndici in Aristocratiâ ad vitam eligendi; Eorum numerus; iis danda pars Militiæ, & Stipendia decernenda. 325.
Habeant jus supremum Concilium convocandi. 328.
Aristocratiæ emendandæ præsint. 348.
Utque ea integra conservetur. 349.

T.

Temperantia non est passio. 141.
Est animositatis species. 144.
Mentis potentiam indicat. 159.
Templa quanta, & qualia in Aristocratia concedenda. 339.
Tempus unde, & quomodò imaginemur. 81.
Et determinemus. 213.
Est cogitandi modus. 467.
Nequit esse Infinitum. 468.
Thales Milesius quo argumento Divitias spreverit. 540.
Theologi quam optent Politiam. 268.
An difficultatem de Libero Arbitrio tollant. 272.
Timidus quis dicatur. 135.
Opponitur audaci. *ibid.*
Quod non vult, facit. 159.
Timor definitur. 126. 147. 157.
Quando dicatur Verecundia, quando Consternatio. 126. seq.
Duplici de causâ evanescit. 168.
Titillatio quid, quidque innuat. 105.

Exceſſum habere poteſt. 198.
Et mala eſſe poteſt: ea eſt amor exceſſum habens. *ibid.*
Totum abſque partibus non eſt. 11.
Tranſcendentium terminorum origo, & ſignificatio. 76. 77.
Trianguli definitio Naturam ejus non numerum exprimit. 6.
Tribuni militiæ in Ariſtocratiâ ex Patriciis eligendi. 343.
Romæ perpetui erant. 349.
Triſtitia definitur. 105. 147.
Eſt ipſa Cupiditas. 142.
Non eſt ipſa perfectio. 147.
Oritur ex rei amatæ deſtructione. 111.
Major rem deſtruit. 112.
Ex alterius rei amatæ triſtitiâ, eadem in nobis oritur. 112.
Triſtitia ex odio alterius unde. 113.
Orta ex alterius damno dicitur Commiſeratio. 113. 116. 130.
Eam etiam triſtes conamur amovere. 117. 124. 139.
Conatum minuit. *ibid.* & 144.
Ex ingratitudine quando accidit. 129.
Rei exiſtentiam ſecludit. 129.
Pro diverſis objectis differt. 141.
Eſt directè mala. 188. 197. 210.
Oritur ex actionibus pravis. 153.
Quâ viâ leniatur. 241.
Sequitur Libidinem. 358.
Ex fruſtratione honorum, ac opum ſumma oritur triſtitia. 358.
Triumphi, imagines &c. ſervitutis potiùs ſunt ſigna. 350.
Turcarum Imperium notatur. 292.
Tyrannis. 311.
Ex iis qui ſalvi dici poſſint. 556.
Turpe amicitiæ conciliandæ adverſum eſt. 192. 200.
Tyrannus è medio non eſt tollendus. 291.

V.

Vacuum non datur. 15.
Id cur dari impoſſibile ſit. 425.
Varietas rerum ex Extenſione non demonſtratur. 598.
Variationes corporum ſecundùm Leges Mechanicæ fiunt. 426.
Infinitas cur corpora patiantur. 441.
Veneratio eſt admiratio de alicujus prudentiâ, & induſtriâ ei homini ſingulari. 136. 140.
Veneti laudantur. 328.
Verborum eſſentia in motibus corporeis conſiſtit. 88.
Ea ſunt pars imaginationis. 385.
Sunt errorum ſæpe cauſæ. *ibid.*
Sunt ſigna rerum prout ſunt in imaginatione: verba poſitiva quibus competant. 385.
Verecundia eſt pudoris timor. 126. 155.
Impudentiæ opponitur. *ibid.*
Veritas homines cur in æternum lateret. 35.
Veritatis unica cauſa eſt cognitio ſecundi, & tertii generis. 78. ſeq.
Ea ſigno non indiget. 367.
Se ipſam patefacit. 369. 372.
Veritate ad veritatem indagandum tantùm indigemus. 369.
Æterna quæ dicatur. 372. 388.
In Speculationibus ſemper ſequenda eſt. 579.
Veritates æternæ ſunt res, rerumque affectiones. 464.
Et quare. *ibid.*
Ad eas Axiomata ſe extendunt. 462.
Verum à falſo diſtinguere docet cognitio ſecundi, & tertii generis. 79.
Veriſimile in communi Vitâ ſequimur. 579.
Veſica aquâ plena digito cur non cedat. 414.
Vindicta quid; ad eam homines ſunt paratiores. 128. 157.
Virentia in multos colores mutantur. 421.
Viri plus juris, quàm fœminæ cur habeant. 354.
Cum fœminis ſimul non regnant. *ibid.*
Virtus eſt ſumma libertas. 92. 578.
Æquali tantùm invidetur. 139.
Propter ſe eſt petenda. 178.

Virtus est ex legibus suæ Naturæ agere. 178. 166. 180. 182. 207.
Majore præditus suum utile quærit. 180.
Conatus se conservandi est prima Virtus. 181.
Ejus fundamentum est sui conservatio. 178. 181. 183. 207.
Summa est Deum cognoscere. 184.
Virtutis veræ,& falsæ differentia. 192.
Liberi hominis in periculis æquè magna est. 218.
Quæ cum ratione conveniunt Virtuti maximè utilia sunt. 448.
Ejus præmium est ipsa Virtus. 554.
Vis existendi nostra est limitata. 168.
Passionis externæ causâ potentiæ definitur. 170.
Passionis hominis potentiam superare potest. *ibid.*
Nativa quæ dicatur. 366.
Vita socialis quomodò sit instituenda. 91. seq.
Ad vitam Consiliarius non est eligendus. 307.
Vitra convexo-concava an sint meliora Convexo-planis. 526.
Cur vitra parcè aperienda. 560.
Volitio nil nisi idea est. 86. 87.
Ea debet ab aliâ determinari. 28. 399.
Voluntas Naturæ Dei qualis competat. 19. 30. 31.
Voluntas, cupiditas &c. ad Naturam naturatam pertinet. 27.
Ea est causa necessaria. 28. 29.
Et tantùm modus cogitandi. *ibid.*
Infinita quatenus determinetur. *ibid.*
Ex eâ Deus non operatur, quomodò se habeat ad Dei Naturam, ex eâ infinita sequuntur. 29.
Ex Dei voluntate omnia pendent. 31.
Dei voluntas, intellectus, & essentia idem sunt. 31.
Voluntas Dei an sit causa perfectionis, &c. 32.
Dei est asylum ignorantiæ. 37.
Quid ea sit, & quomodò corpus moveat, homines ignorant. 73.
Libera in mente non datur. 89.
Quomodò se ad ideas habeat. 85.
Eadem est cum intellectu. 87. 88.
Ea tantùm singularis Volitio. 87.
An se latiùs, quàm intellectus extendat. 88. 89.
An sit infinita? 89.
Est Ens universale. *ibid.*
Voluntas quis sit conatus. 103.
Ejus ad motum nulla datur ratio. 236.
Est Ens rationis. 399.
Non est libera. 399.
Contra Dei Voluntatem nil fit. 478. seq.
Vulgus pro cerebri dispositione judicat; Res potiùs imaginatur, quàm intelligit. 39.
An ei soli insint vitia. 313.
Cur de multis malè judicet. 314.
Quomodò tractandus. 361.
Ultio est sui pœna. 226.
Unio Mentis & Corporis secundùm Cartesium. 235.
Unitas Dei inde, quòd ejus Natura necessariam involvit existentiam, demonstratur. 519.
Deo unitas non nisi impropriè competit. 557. seq.
Universalium notionum origo. 77.
Urbes in Monarchiâ muniendæ. 293. 321.
Captæ ut tractandæ. 300. 345.
Civitatis jure gaudentes quomodò muniendæ. 340.
Tantum juris, quantum potentiæ habent 341.
Inæquales quomodò copulentur. 342.
Quæ sui juris non sunt, quomodò tractandæ. 345.
Utilitatem ex omnibus rebus capere licet. 229.
Præcipua est corporis conservatio. 230.

Z.

Zelotypia quid: Invidiæ jungitur. 123.
Ex aliis affectibus componitur. 159.
Zelotypiam columbarum admiramur. 479.

FINIS.

1.

COMPENDIUM
GRAMMATICES
LINGUÆ HEBRÆÆ.

ADMONITIO

Ad

LECTOREM.

GRammatices Linguæ Hebrææ Compendium, quod hîc tibi, Benevole Lector, offertur, Auctor rogatu Amicorum quorundam ſuorum, Linguæ Sanctæ perſtudioſorum, conſcribendum ſuſcepit, utpote quem, ab ineunte ætate eâ imbutum, poſtea per multos annos ei ſedulò operam dediſſe, ejuſque genium penitùs perſpectum habere, in eâque verſatiſſimum eſſe, probè noverant; & noſcent omnes, qui, ejus gnari, hoc qualecumque ſcriptum, quod imtempeſtivâ Auctoris morte, ut plura ejus alia, imperfectum remanſit, pervolvere non dedignabuntur. Quale quale ſit, ejus te, Benevole Lector, participem facimus, tibiſque & Auctoris laborem, & noſtrum de te benè merendi ſtudium pergratum fore, nulli dubitamus.

COM-

COMPENDIUM GRAMMATICES LINGUÆ HEBRÆÆ.

Cap. I.

De Literis, & Vocalibus in genere.

QUoniam linguæ cujuſque fundamenta literæ, & vocales ſunt, dicendum ante omnia nobis eſt, quid apud Hebræos litera, quidque vocalis ſit. Litera eſt ſignum motus oris eo loco facti, unde ſonus ore editus audiri incipit. Ex. gr. א ſignificat principium ſoni in gutture audiri ex ipſius aperturâ; ב autem principium ſoni in labiis ex eorum aperturâ audiri; ג verò in fine linguæ, & palati, &c. Vocalis eſt ſignum indicans certum, & determinatum ſonum. Unde intelligimus, vocales apud Hebræos non eſſe literas; & ideò apud Hebræos vocales *literarum animæ* appellantur, & literæ ſine vocalibus *corpora ſine animâ*. Verùm, ut differentia literarum, & vocalium clariùs intelligatur, explicari ea commodiùs poteſt exemplo fiſtulæ digitis ad canendum pulſatæ. Sonus namque fiſtulæ vocales illius muſicæ ſunt, foramina verò digitis pulſata ejus literæ. Sed de his ſatis.

CAP. II.

De literarum figura, poteſtate, nominibus, claſſibus, & proprietatibus.

HEbræi literas viginti duas habent, quarum figura, & ordo apud antiquiſſimos ſcriptores receptus hic eſt, אבגדהו זחטי &c.

א Nullâ alterius linguæ Europææ literâ poteſt explicari. Significat, uti diximus, apertionem gutturis. Ejus nomen eſt Alef.

ב *b* nomine Bet.

ג *g* Gimel, ſi ſine puncto ſit, lenis eſt.

ד *d* Dalet, ſine puncto lenis.

ה Appellatur He. Significat principium ſoni eſſe in profundiore parte gutturis.

ו *v* Vau & etiam U. Et credo ab antiquis nunquam aliter pronunciatum fuiſſe; nec tamen vocalis eſt, ſed litera indicans ſoni principium in labiis audiri.

ז *z* Zain.

ח *gh* Ghet.

ט *t* Tet.

י Jot. Significat principium ſoni audiri in medio linguæ, & palati, & ſicut ו *u*, ita י *i* abſque ſono valet.

כ *k* Kaf, ſi punctum in medio habet, aliàs vim habet *ch*, ſive Græcorum χ.

ל *l* Lamed.

מ *m* Mem.

נ *n* Nun.

ס *s* Samech.

ע *hg* Hgain.

פ *p* Pe, ſi punctum in medio habeat, aliàs vim habet, ut *ph*.

צ *ts* Tſade.

ק *kh* Khof.

ר *r* Reſch, lene in medio, aſperum in initio dictionis.

ש *ſch* Schin, ſi punctum ſit ſupra crus dextrum; ſi ſupra ſiniſtrum ſit, idem eſt, ac Samech.

ת *th* Lene, cum puncto autem vim habet, ut *t*.

Ex

Ex his quinque notandæ ſunt literæ, quæ aliter in principio, vel medio, aliter in fine dictionis exarantur, nempe כמנפצ. Kaf enim, ſi in fine dictionis occurrat, ejus crus inferius ſic producitur ך. Mem autem inferiùs clauditur, ut ם; reliquæ tres, ut כ ſic producuntur ן ף ץ. Denique ſolent etiam Hebræi brevitatis cauſâ א & ל ſic componere ﬡ: atque hic ille character eſt Syriacus, quem Hgezras præ antiquis Hebræis literis elegit, & quem Phariſæi ſuperſtitioſè in ſuis ſacris imitantur. Verùm auctores alio charactere frequentiùs utuntur, vide Buxtorf. Theſaur.

Porrò literæ à Grammaticis non ſine magno uſu in quinque claſſes dividuntur, nempe in Gutturales, Labiales, Dentales, & in literas Linguæ,& Palati. אהחע *ahachahg* Gutturales vocantur, בומף *bumaph* Labiales, גיכק *gicaqh* palati ſunt literæ, דטלנת *datlenath* linguæ, זסצרש *zaſtſeraſch* dentium.

Unaquæque litera in medio dictionis vocalem vel longam, vel brevem, vel breviſſimam habere debet, exceptis his quatuor אהוי *ehevi*, quæ propterea *mutæ*, vel *quieſcentes* appellantur.

Hinc fit, ut,quando conſonans inter duas vocales debet duplicari, non expreſſè duplicetur; ſed duplicanda puncto tantùm, quod דגש *dageſch* appellatur, notetur, ut פִּקֵּד loco פִּקְקֵד *pikked*.

Gutturales inter duas vocales duplicari nequeunt, quia certam aperturam gutturis, & modum ſpirandi indicant; adeóque, ut apud Latinos litera H, ita apud Hebræos gutturales duplicari inter duas vocales non poſſunt. Litera autem ר *r*, quia in medio dictionis ſemper lenis eſt, non ſolet etiam inter duas vocales duplicari, & propterea hæ quinque literæ אהחער punctum dageſch in medio nunquam habent. Deinde notandum, quòd tametſi omnis litera inter duas vocales duplicanda puncto dageſch notari debeat, non tamen vice verſâ omne dageſch indicat literam duplicandam eſſe. Puncta enim etiam inſerviunt ad literas בגדכפת *begadkephat* ex lenibus in aſperas mutandum, ut ſuis locis notavimus. Inſcribitur denique punctum aliquando literæ ה in fine

dictionis occurrenti ob rationem ſuo loco dicendam, at tum non dageſch, ſed מפיק *mappikh* appellatur.

Literæ בגדכפת initio dictionis aſperæ ſunt, hoc eſt, dageſchantur; niſi ultima præcedentis dictionis ſit una ex quieſcentibus. Nam tum plerumque lenes ſunt, niſi quieſcens ſit ה cum mappik, vel præcedens dictio, in quieſcentem deſinens, magnum habeat accentum. Denique litera ejuſdem organi ſæpe in ſcripturâ una pro aliâ uſurpatur, & א pro ע, ם pro ו, ב pro פ, ט pro ת &c. Quod puto inde eveniſſe, quòd ſcriptura ab hominibus diverſæ dialecti fuit ſcripta, & quòd jam dialecti non dignoſcantur, cujus ſcilicet tribûs hæc, vel illa dialectus fuerit. Quòd autem hæc lingua hoc commune cum reliquis habuerit, conſtat ex ipſâ ſcripturâ. Nam Ephraitæ ס *Samech* pro ש ubique uſurpabant, quæ ſanè literæ ejuſdem organi ſunt. Quare quamvis in Sacris Literis literam alicujus pro aliâ ejuſdem organi ſæpe ſumi conſtet, non tamen id imitari jam licet. Nam quid hoc aliud eſſet, quàm dialectos confundere.

CAP. III.

De Vocalibus, de earum ſcilicet figurâ, nomine, poteſtatibus, & proprietatibus.

VOcales, uti diximus, apud Hebræos literæ non ſunt; ſed veluti literarum animæ. Eæ igitur vel ſubintelliguntur, vel punctis literis adjectis exprimuntur hoc modo.

בֵּ Si linea ſub literâ ducatur, id ſignificat poſt literam ſonum *a* audiri, qui vocatur פתח *pathagh*. Si autem linea cum puncto, ſignificat ſonum compoſitum ex *a* & *o*, & vocatur קמץ *kamets*. Si tria ſint puncta, ſonus *e*, vel qui magis accedit ad Græcorum η ſignificatur, qui vocatur סגול *ſegol*. Si tantùm duo juxta invicem poſita, ſignificatur ſonus ex *a* & *i* compoſitus, qui vocatur צרי *tſere*. Si autem ſupra invicem, ſonus ſignificatur brevior *e*, & vocatur שוא *ſcheva*. Deinde, ſi unicum tantùm punctum literæ

ſub-

ſubſcribatur, ſignificatur ſonum exaudiri ut *i* poſt literam, qui vocatur חִירִק *ghirekh*. At, ſi ſupra ſuperiorem literæ apicem ſuperſcribatur, ſonus ſignificatur ut *o*. Si tria fuerint ſub literâ puncta, tanquam in lineâ ad angulos obliquos cum literâ ductâ, & versùs dextram inclinante, ſonum ſignificant ut upſilon *v*, & vocatur קִבּוּץ *kibbuts*. Denique, ſi literæ addatur vau punctum habens in medio, ſignificatur ſonus ex *o* & *u* compoſitus, ſive ϐ Græcorum, & vocatur שׁוּרֶק *ſchurekh*.

בִ בֵ בוּ

Diphthongus *ai* notatur per patagh, & poſt ipſum י *jot*, ut דְּבָרַי *debarai*, niſi accentus magnus fuerit, de quo in ſequenti Capite. Diphthongus *au* notatur ־ kamets, quem jot & vau ſequitur, ut דְּבָרָיו *debarau*, & etiam cum patagh, ut קָו *khau* linea. Judæi tamen Luſitani pronunciare ſolent *debarav*; *eu* denique exprimitur cum vau poſt tſere, ut שֶׁלֵּו *ſchaleu*. Num præter has alias habuerint, non poſſum certò dicere, quia modum pronunciandi antiquorum magnâ ex parte ignoramus.

Omnis vocalis, ſive ſonus ſemper poſt literam auditur, niſi in fine dictionis una ex tribus gutturalibus החע occurrat poſt tſere, ghirek, vel gholem, vel ſchurekh. Nam tunc punctantur ־ patagh, quod ante literam auditur, quodque propterea à Grammaticis *furtivum* appellari ſolet, ut שֶׁמֵּעַ *ſchomeahg*, גְּבוֹהַּ *gaboah*, פְּתוּחַּ *pathuagh*, &c.

Exigit ſæpe uſus, ut litera aliqua inter duas vocales ob certas cauſas duplicari debeat; atque hoc diximus notari inſcribendo literæ duplicandæ punctum dageſch, & ſæpe fit, ut litera, quam uſus linguæ exigit, ut duplicetur, ſit una ex gutturalibus, quæ duplicari nequeunt, ut Capite II. monuimus. Quando ergo hoc contingit, tum vocalis antecedens mutatur hoc modo. Nempe ſi vocalis literæ gutturali duplicandæ antecedens ſit ־ patagh, tum punctum dageſch, quod literæ gutturali inſcribi deberet, ſub ־ patagh ponitur, & fit ־ kamets, ut הָעֹבֵר *hahgober* lo-

co הַעֹגֵר *hahgober*: in nominibus autem ante ח & ע mutantur etiam - pathagh in ֲ ut הֶעְגָּן *hehganan* loco הַעְגָּן *hahganan*. Si ghirek fuerit, additur ei punctum, & fit ֵ tsere, ut מֶהֶם *mehem* loco מִהֶם *mihhem*. Si denique kibbuts ֻ vocalis literæ gutturali duplicandæ anteceſſerit, vel in וֹ gholem, vel in וּ ſchurek mutatur. Sed hoc non tam univerſaliter, quin etiam aliquando immutata reperiatur; imò literam ר poſt kibbuts duplicari patiatur. Atque ex his patet, cur vocales ָ kamets, ֵ tsere, ֶ ſegol, וֹ gholem & וּ ſchurekh nunquam occurrant ante literam inter duas vocales duplicandam, hoc eſt, ante punctum dageſch, quod literæ duplicandæ inſervit.

Syllabæ commodè dividuntur in longas, & breves; nempe ַ patagh eſt *a* breve, ָ kamets autem ſyllaba eſt longa, & brevis. Poteſtatem enim habet, vel ut *a* longum, vel ut *o* micron, ut פָּקֵדָה *pakedah*, ubi utrumque *a* longum eſt, ut גָּרְנִי *gorni*, ubi ָ kamets ſub gimel, ut *o* micron, pronunciatur. Eſt ֶ ſegol brevis, ֵ tsere autem longa, & ְ ſcheva breviſſima ſyllaba; at. ghirek, ſi jot quieſcens poſt ſe habet, *i* longum eſt, aliàs breve; וֹ gholem *o* longum eſt, & plerumque poſt ſe habet ו *vau* quieſcens, & aliquando ה, vel א. Eſt ֻ kibbuts brevis, & וּ ſchurek denique longa. Scio hanc diviſionem cuidam R. Abrahamo de Balmes diſplicere; verùm abſque ullâ ratione; eandem autem uſum magnum habere ex ſequentibus conſtabit; & primum, quod hîc notandum venit, eſt, quòd litera, quæ puncto דגש compenſari ſolet, ſuppleri etiam poſſit, mutando ſyllabam præcedentem ex brevi in longam; tametſi litera duplicanda alia ſit, quàm gutturalis, ut חֵתֶל *hethel* pro הִתֶּל *hitthel* vel הִתְתֵּל *hithththel*.

Syllaba: ſcheva, quia breviſſima eſt, aliquando corripitur, præcedentiſque ſyllabæ adhæret, & aliquando pronuntiatur, & ideò à Grammaticis Hebræis illud נַ nagh *quieſcens*, & hoc נַ֫ nahg *mobile* appellatur.

Pronunciatur: ſcheva, quando in initio dictionis, vel in medio

dio poſt ſyllabam longam occurrit, ut בְּרֵאשִׁית *bereſchith*, ubi ſub ב pronunciatur, quia in initio dictionis occurrit, ut etiam hæc ſequentia, quia poſt ſyllabas longas in medio dictionis occurrunt, nempe פְּקֻדָּה *pakedah*, בֵּרְכוּ *berechu*, יִרְאוּ *jireu*, פּוֹקְדִים *pokedim*, הוּבְאוּ *hubeu*. Si deinde duo ſchevata in medio dictionis ſe invicem ſequantur, ſecundum pronunciatur, ut תִּפְקְדוּ *tiphkedu*, ubi primum ſcheva corripitur, & ſecundum pronunciatur. Atque hinc fit, ut ſcheva ſub literâ puncto dageſch notatâ etiam pronuncietur, ut פִּקְּדוּ *pikkedu*. Nam punctum in ק denotat ק duplicandum, & primum corripiendum eſſe. Et hâc etiam de cauſâ pronunciatur ſcheva, quando una litera in medio dictionis, ſed non inter duas vocales duplicatur, ut הִנְנִי *hineni*, ubi ſcheva ſub primo נ pronunciandum eſt. Nam ſi corripiendum eſſet, deberet etiam & נ corripi, & antecedenti ſyllabæ ghirek adhærere, & loco הִנְנִי *hineni* ſcribendum eſſet הִנִּי *hinni*.

Cæterùm reliqua ſchevata ſemper corripiuntur, & apprimè notandum, nos expreſsè monuiſſe omne ſcheva pronunciandum, vel initio, vel in medio dictionis occurrere. Nam in fine nunquam pronunciatur. Quod ut meliùs intelligatur, notandum hîc eſt, quòd ſcheva omne eſt abſoluta ſyllaba, quæ ſola audiri poſſit, ſed ſemper vel antecedenti, vel ſequenti adhærere debet; atque hinc fit, ut nullum monoſyllabum ſchevate punctetur. Unde apparet ſcheva correptum nihil eſſe, quàm *e* breviſſimum præcedenti ſyllabæ adhærens; pronunciandum autem nihil aliud eſt, quàm *e* breviſſimum ſequenti ſyllabæ adhærens; quod quia ante ſyllabam ſentitur, ideò ipſius pronunciatio expreſſior eſt. Unde ſequitur, in initio dictionis impoſſibile eſſe, ut præcedenti ſyllabæ adhæreat; in fine autem contrà impoſſibile eſſe, ut ſequenti adhæreat, adeóque in fine dictionis, ſive poſt ſyllabam longam, ſive poſt brevem, ſive ſub literâ dageſchatâ, ſive leni, ſive denique unum, ſive duo occurrant, ſemper tamen corripitur. Cùm autem in medio dictionis poſt longam occur-

occurrit, modus pronunciandi poſtulat, ut ſequenti adhæreat, & ſi duo occurrant, ut primum antecedenti, ſecundum ſequenti adhæreat. Porrò hinc etiam patet, cur in initio dictionis nunquam duo ſchevata, ut nec etiam in medio dictionis poſt ſyllabam longam occurrant. Nam duo ſchevata ſequenti ſyllabæ adhærere nequeunt.

Gutturales : ſcheva pronunciandum habere nequeunt, & rarò ſcheva corripiendum habent; ſed ejus loco tres ſyllabas habent medias inter brevem, & breviſſimam, quæ ſic notantur ־: ־: ־: & vocantur חֲטָפִים *ghatephim*. Prima denotat ſyllabam breviorem, quàm ־ *patagh*; ſecunda ſyllabam breviorem, quàm ־ kamets breve, ſive *o* micron; tertia denique mediam inter : ſcheva *e* breve, &: ſcheva *e* breviſſimum; atque hoc à ſchevate diſtinctum habent, quòd ante ſcheva ſimplex nunquam occurrant, & quòd non tantùm in initio, ſed nec etiam in medio, nec in fine dictionis duo unquam invicem ſequantur; in reliquis autem cum ſchevate omnino conveniunt, ut etiam in hoc, quòd ſolæ non occurrant, nec accentum ſub ſe habeant.

Atque hæ ſunt regulæ circa vocales apprimè obſervandæ, & præſertim, quæ modò de ſchevate diximus, quòd ſcilicet nunquam duo ſchevata in initio dictionis occurrant, & quòd gutturales nunquam : ſcheva pronunciandum, & rarò corripiendum ſub ſe habeant. Nam harum uſus inſignis eſt.

CAP. IV.

De Accentibus.

QUæ de accentibus ſolent tradi Regulæ, linguæ Hebrææ ſtudioſos plus laſſant, quàm docent; atque ipſæ tolerabiles eſſent, ſi ad linguæ cognitionem, vel eloquentiam viam facerent; ſed ſi ejus peritiſſimos conſulas, omnes uno ore fatebuntur, ſe tam magni accentuum numeri cauſam ignorare. Equidem credo hoc non ſine aliquâ causâ factum fuiſſe, imò aliquando

do animo volvebam, num eorum inventor eosdem introduxerit, non tantùm ad tollendam, vel deprimendam syllabam, & ad orationes distinguendas; sed etiam ad animi affectûs exprimendum, quos inter loquendum vel voce, vel vultu indicare solemus. Nam alium sonum edimus cum ironicè, alium cum simpliciter loquimur; alium deinde sonum, quando aliquem laudamus, alium quando admiramur, alium quando vituperamus, alium denique quando contemnimus, & sic pro ratione cujusque affectûs vocem, & vultum mutamus, quod quia literarum inventores signis indicare neglexerunt, inde factum est, ut mentem nostram multò meliùs vivâ voce, quàm scripto exprimere possimus. Suspicatus igitur sum, num Hebræorum accentuum inventor huic communi defectui subvenire voluerit: sed postea eosdem examinando nihil minùs invenire potui; sed contrà eosdem non tantùm hos animi affectûs, sed ipsas orationes confundere. Iisdem enim tonis utitur, quando Scriptura ironicè, quàm quando simpliciter loquitur; deinde idem accentus proprietatem puncti, & etiam epicoli, & duorum punctorum habet, ità ut accentuum penuria inter tantam abundantiam laborare videatur. Quare credo introductos eos fuisse, postquam Biblia in publicâ concione singulis Sabbathis legere consueverunt Pharisæi, ne nimium festinanter (ut fieri solet in sæpe repetitis devotionibus) legerentur. Et hâc de causâ eorum minutias Pharisæis, & otiosis Masorethis relinquo, & id tantùm, quod usum aliquem habere videtur, notabo.

Accentus ad distinguendam, vel jungendam orationem, & simul ad syllabam attollendam, vel deprimendam inservit. Versum, sive periodum clausam esse nullo accentu significatur; solent tamen hoc duobus punctis indicare, ut הָאָרֶץ, quod quidem signum סִילוּק *Silukh* appellatur, & plerumque non semper, ut jam monuimus, orationem absolutam esse ostendit. At unius versus, seu periodi partes accentibus distinguuntur; atque hîc per partes versûs, non tantùm verba intelligo; sed etiam

nominum casûs; nempe accentus, qui passim proprietatem habet commatis, usurpatur etiam ad distinguendum nominativum, & verbum à suo accusativo, & à reliquis casibus: intelli-ge quando accusativus nominativum sequitur; quòd si verbo, & nominativo interponatur, tum verbum, accusativus, & nominativus unam versûs tantùm partem constituunt, ut & duo verba, quæ conjunctione & copulantur, & nullum habent nomen alio præter nominativum casu interpositum. Si itaque versus non nisi unam habeat partem distinguendam, eadem distinguitur accentu, qui vocatur מֵרְחָא, *targha*, quique infra dictionem sic notatur בְּ. Quòd si duas partes distinguendas habeat, tum prima notatur מֵרְחָא *targha*, secunda verò accentu, qui vocatur אַתְנָח *athnagh*, quique infra dictionem sic notatur הָ, ut אֱלֹהִים, *elohim* atque hic accentus omnium, qui ad partes versûs distinguendum inserviunt, præcipuus est, ut ex modò dicendis patebit. Unus versus non nisi unum habet athnagh, exceptis tantùm pauciss̃imis, qui duos habent. Quòd si tamen versus tres partes distinguendas habeat, tum prima notatur טרחא *targha*, secunda אתנח *athnagh*, & tertia iterum טרחא *targha*. Si autem quatuor habeat, prima plerumque notatur supra dictionem duobus punctis, ut דֶּשֵׁא, *déssche* qui accentus זְקֵף קָטוֹן *zakheph khaton* appellari solet, secunda טרחא, tertia אתנח & quarta iterum טרחא. Si porrò in medio versu quinque partes distinguendæ sunt, tum prima plerumque puncto supra dictionem, quod רְבִיַע *rabiahg* appellatur, notari solet, ut אֱלֹהִים, secunda autem זקף קטון, tertia denique טרחא, quarta אתנח, & quinta denique טרחא; vel etiam prima זקף קטון, secunda טרחא, tertia אתנח, quarta iterum זקף קטון, & quinta denique טרחא. Si denique sex fuerint, tum prima רביע, secunda זקף קטון, tertia טרחא, quarta אתנח, quinta iterum זקף קטון, sexta denique טרחא; & ad hunc modum, quando plures adhuc partes distinguendæ occurrunt, plures alii adferri

solent

ſolent figurâ quidem diſtincti; ſed proprietate זקף קטון & רביע planè ſimiles, & qui propterea ſæpe etiam pro his uſurpantur; ſed eiſdem ſuperſedeo, ut & iis, qui tantùm inſerviunt ad indicandum accentum, qui partem periodi, in quâ ſunt, à ſequenti diſtinguent, quique hâc de cauſâ à Grammaticis *ſerviles* nuncupantur; ſed notandum, quòd טרחא non tam ad diſtinguendas partes orationis, quàm ad indicandum סִילוּק, & אַתְנַח inſervit. Nam poſt טַרְחָא nullus accentus diſtinguens ſequi poteſt, quàm אתנח, vel סילוק, & contrà nullus אתנח, nec סילוק cui non præcedat טרחא, cujus rei cauſam mox dicemus. Dictio, quæ neque infrà, neque ſuprà ullum habet accentum, jungi ſolet cum ſequenti ducendo lineolam, quam Grammatici appellant מקף *makhaf*, ut כִּי־טוֹב *Ki-thob*.

Inſerviunt deinde accentûs, ut diximus, ad attollendam, vel deprimendam ſyllabam. Nam ipſi, ut ipſis exemplis jam oſtendimus, vel ſupra, vel infra dictionis literam, cujus ſyllaba vel attollenda, vel deprimenda eſt, poni debent. Nam in צקף קטון דֶּשֶׁא ſupra ד eſt, quia pronunciari debet *déſche*, non verò *deſché*. Contrà רביע אֱלֹהִים ſupra ה habet, quia pronuntiatur *elohím*, non autem *elóhim*; atque omnis dictio, cujus accentus infra, vel ſupra ultimam ejus ſyllabam eſt, vocatur מִלְרַע *millerahg*, quod ſignificat *de infra*, ſi autem ſupra, vel infra penultimam ſit, vocatur *millehgel* מִלְּעֵיל, quod ſignificat *deſuper*. At quoniam ſilukh nec infra, nec ſupra; ſed poſt dictionem notatur, ut etiam makhaf, ideò dictiones ante ſilukh & makhaph lineolâ infrà notantur, non infra ſyllabam, in quâ debet fieri accentus, ut הָאָרֶץ *haaretz* ubi ante *ſilukh* infra אָ lineola eſt, indicans accentum debere eſſe ſub ejus vocali kamets. Sic etiam עָשָׂה־פְרִי *hgoſeh peri* lineolam ante מקף ſub ע habet, indicantem gholem debere attolli, atque hæc linea vocari ſolet, גַּעְיָא *gahgja*; ne-

gligitur tamen, si dictio ante makhaf unam tantùm vocalem habeat, ut כִּי־טוֹב.

Solent dein polysyllaba duos habere accentûs, unum scilicet in ultimâ, vel penultimâ, quo, ut modò ostendimus, indicatur, num dictio sit *millehgel*, an *millerahg*; alterum in antepenultimâ, vel ejus antecedenti, qui indicat, syllabam attollendam esse, ut חַגּוֹעֲדִים בְּמוֹעֲדֵיכֶם. Atque hic accentus plerumque est gahgja, imò ferè semper ante scheva compositum. Observabis præterea, non rarò polysyllaba tres habere accentûs, ut וַיְבָרְכֵהוּ.

Ut autem noscatur, quænam syllabæ attolli, vel produci debeant, sive quænam dictiones duplici, vel triplici accentu notandæ sint, hæ Regulæ sunt apprimè observandæ, nempè; Omnis vocalis ante scheva pronunciandum, de quo cap. præc. egimus, notatur גַּעְיָא *gahgja*, hoc est, aliquantulum producitur, ut melius noscatur sequens scheva sequenti syllabæ adhærere. Unde sequitur, omnem vocalem ante scheva compositum, sive ea brevis sit, sive longa, hoc accentu debere notari, ut נַעֲשֶׂה. Nam scheva compositum nunquam corripitur, hoc est, nunquam præcedenti; sed sequenti syllabæ adhæret. Sequitur deinde vocalem longam ante scheva simplex debere attolli, sive eodem hoc accentu notari, ut clariùs percipiatur scheva ab eâdem non corripi, sed sequenti syllabæ etiam adhærere; hinc הָבוּאוּ שְׁמֵרִים בְּרֻכוּ פְּקֻדָה accentu גַּעְיָא notantur, ut & חֲנֵנִי, tametsi brevis est, tamen propter sequens scheva pronunciandum etiam producitur. At quamvis scheva sub literâ dageschatâ pronunciari etiam debeat, ejus tamen vocalis antecedens non notatur gahgja, nisi litera duplicanda fuerit una ex iis, quæ punctum dagesch non admittunt, sive quæ duplicari non patiuntur, de quibus vide cap. 2. & hoc puto ideò fieri, quia dagesch indicat literam subintelligendam præcedenti vocali adhærere, ejus-

que

que ſcheva ab eâdem corripi; atque adeò vocalis ante ſcheva propter dageſch pronunciandum conſiderari debet, ut vocalis, quam duo ſchevata ſequuntur, quorum primum, ut ſuprà diximus, corripitur, & ſecundum pronuntiatur, ſive quorum primum præcedenti, & ſecundum ſequenti ſyllabæ adhæret.

Deinde ſi vocalis poſt quodcunque ſcheva produci debeat, tum vocalis ante idem ſcheva producenda etiam erit; atque hæc Regula univerſalis eſt, ſive ſcheva expreſſum, ſive ſubintelligendum ſit; ex. gr. הַפְנֵעֲנִי quoniam pathagh poſt ſcheva ſimplex produci, propter ſequens compoſitum, debet, ideò patagh etiam ante idem ſcheva ſimplex producendum eſt, ſic etiam תִּתְנַחֲלוּ וְיִשְׁתַּחֲווּ &c. propter hanc eandem cauſam duplex habent gahgja. Atque idem dico fore, quando ſcheva ſubintelligendum eſt, ut מִמְּחֹרֶת ubi ſub utroque מ eſt gahgja, quia legi debet מִמָּחֳרֶת; kamets igitur ſcheva reverâ ante ſe habet, quod per punctum דָּגֵשׁ compenſatur, & quia propter ſequens compoſitum produci debet, producitur etiam vocalis ante hoc ſcheva per punctum דגש compenſatum. Sic בְּמַחֲנֵה קְמַעְשְׂרֵךְ וִיבָרֶכְךָ הַנַּעֲרָה & alia perplurima hujuſmodi duplici gahgja notantur.

Duæ vocales longæ ſine accentu, vel gahgja in eâdem dictione non dantur. Si igitur ſyllabæ penultima, & antepenultima longæ fuerint, vel accentus debebit eſſe in antepenultimâ, vel ſi in ultimâ fuerit, antepenultima habebit gahgja, ut אָנֹכִי, cujus kamets producitur, quando accentus eſt in ultimâ, aliàs quando ſcilicet in penultimâ eſt, omittitur, ut דָּן אָנֹכִי; ſic נְשֵׁיאֵיהֶם נְחֻקֹּתַי הַכְּתֻבִים &c. gahgja in antepenultimâ habent; quod ſi dictio plures longas habuerit, id ſemper erit obſervandum, quòd nunquam duæ longæ ſine accentu, vel gahgja occurrant, ut בְּשִׁבְעוֹתֵיכֶם.

Atque hîc notandum khibuts aliquando locoſchurekh uſurpari, tumque ut longam conſiderari, ut מִשְׁבַּעְתִּי, ubi, quia ſchurekh nominis שִׁבּוּעָה in khibuts mutatur, producitur khibuts, ut longa, aliàs ſemper brevis eſt.

Deinde notandum, brevem, cui ſcheva adhæret, pro longâ haberi, ut מְוֻלַדְתִּי מְנֻקָּדָה &c. ubi longa ante brevem, cui ſcheva adhæret, producitur, ut longa ante longam, quæ non habet accentum; ſic etiam duæ priores in וְהִתְיַצְּבוּ longæ ſunt, quia utrique ſcheva adhæret, priori ſcilicet expreſſum, poſteriori autem per dageſch in צ compenſatum. Excipiuntur breves, quæ loco ſcheva ſimplicis ſæpe uſurpantur, ne duo ſchevata initio dictionis occurrant, ut jam cap. 3. monuimus, ex. gr. prima in תִּפְקְדוּ brevis eſt, quia loco ſcheva uſurpatur. Contingit dein, ut brevis ante brevem producatur, quod ſecunda brevis loco ſcheva compoſiti, cui ſemper, ut jam diximus, antecedit gahgja, uſurpatur, ut וַיְחִרְדוּ, quod ſcribitur loco וַיֶּחֶרְדוּ.

Denique ו *vau* ante י *jod* cum ־ pathagh promiſcuè cum, & ſine gahgja notatur, ut וַיְדַבֵּר & וַיִּדַּבֵּר.

Atque hæ præcipuæ Regulæ hujus accentûs ſunt, quantum ex ſolis vocalibus cognoſci poteſt; ſupereſt adhuc alia ex Præpoſitionibus dignoſcenda, quam ſuo loco explicabimus.

Cæterùm quòd Judæi propter accentum muſicum ֽ, quem *zarkha* vocant, nunc gahgja in antecedentem ejus ſyllabam traducunt, nihil moror, quia non eſt imitandum iis, qui Hebraicè loqui, non verò cantillare deſiderant.

Hoc tamen notandum, pro gahgja alium ſæpe uſurpari accentum; imò dictiones aliquot duos habere accentûs, unamque earum ſyllabam produci, quæ aliàs ex præcedentibus regulis non eſſet producenda.

Atque hoc, inquam, propterea fit, quia duo accentûs diſtinguentes, quibus accentûs ſerviles ſolent præcedere, invicem non niſi rarò immediatè ſequuntur, ex. gr. poſt athnagh non ſequi-

ſequitur immediatè ſilukh, neque֮ קָטֹן֒ & vice verſâ poſt ſilukh non niſi rariſſimè ſequitur immediatè ſakheph khaton, neque athnagh; quòd ſi tamen dictio, quæ unum ex hiſce accentibus ſequitur, unum etiam ex hiſce habere debeat, tum illa duplici accentu notari, unaque ejus ſyllaba produci ſolet, tametſi aliàs non fuiſſet producenda, ut Eſ. c. 7. v. 18. יְאֹרֵי מִצְרָיִם ubi וְלִבּוֹרָה propter ſakheph khaton alium ſupra ל habet accentum, ejus etiam ſyllaba contra communem regulam producitur, propter præcedentem athnagh. Sic etiam Num. 28. v. 20. & 28. וּמִנְחָתָם, quia ſequitur immediatè poſt ſilukh, duos habet accentûs, & ſyllaba infra מ contra communem Regulam producitur, ut etiam Deut. cap. 12. v. 1. לִרְשְׁתָהּ כָּל־הַיָּמִים & hâc de cauſâ etiam Deut. 13. v. 11. וְכָל־יִשְׂרָאֵל contra communem Regulam lineolæ makhaf ſupra כָּל reperitur accentus, & ad hunc modum plura reperiuntur exempla, & multò plura eorum, quorum gahgja in accentum ob hanc, eandemque cauſam mutatur.

Denique notandum inter accentûs diſtinguentes unum eſſe, qui vocatur קַדְמָא *Khadma*, quique ſemper poſt dictionem deſuper hoc modo notatur הָעוֹלִים, & per hoc tantùm diſtinguitur ab alio ſervili, qui vocatur אַזְלָא *azla*, quique ſemper ſupra ſyllabam, in quâ accentus debet fieri, notatur. Si igitur dictio accentu hoc קַדְמָא notanda fuerit *millehgel*, eadem alio indiget accentu, quo indicatur accentum debere fieri in penultimâ, ut יַלְדִים ſi hoc accentu notari debeat, etiam debebit ſupra dalet accentus אַזְלָא notari, ut noſcatur dictionem eſſe מִלְּעֵיל.

Præter has aliam adhuc cauſam reperio, cur dictio duplici notetur accentu; nempe quando dictio millerahg ob cauſas

mox

mox dicendas redditur millehgel, manentibus ut ante ſyllabis, accentus ultimæ manet, & penultima, ubi tunc accentus fieri debet, alio notatur. Sed hæc regula planè inutilis, quandoquidem ſecundus accentus nullius tum uſûs eſt.

Atque jam tempus eſſet, ut oſtenderem, quænam dictiones accentum in ultimâ, & quænam in antepenultimâ habere, hoc eſt, quænam מִלְּעֵיל, & quænam מִלְּרֵע eſſe deberent; ſed quoniam hoc ex ſolis vocalibus, & literis dignoſci non poteſt, rem differo, donec de verbis egero. Hoc hîc tantùm addam, nempe quòd athnagh, & ſilukh ſæpe dictiones, quæ ſunt millerahg, reddant millehgel. Videlicet quando ejus ſyllabæ, ultima & antepenultima, longæ ſunt, ut ſi אָנֹכִי, accentu athnagh, vel ſilukh ſit notandum, reddi debet מִלְּעֵיל ut דָּן אָנֹכִי; quòd ſi penultima fuerit ſcheva; quæ, ut jam diximus, accentum nunquam habet, tum verba mutant: in khamets, & nomina in ־, ut ſi פָּקְרוּ notandum ſit accentu athnagh, ſcheva ſub ק mutatur in kamets · & fit פָּקָדוּ ſic loco שִׁמְךָ, ſi accentum habeat athnagh, fit שָׁמֶךָ. In Participiis autem fœminini generis tam in ־ ſegol, quam in ֗ khamets mutatur: atque hæc locum etiam habent, quando accentus debet eſſe זָקֵף קָטֹן. Deinde notandum, accentûs athnagh, & ſilukh præcedentis accentûs diſtinguentis proprietates tollere, & eundem quaſi rapere. Unde fit, ut accentus diſtinguens, qui horum utrumvis præcedit, ſemper ſit targha, qui propterea ſemper indicat athnagh, vel ſilukh ſecuturum, & qui etiam propterea diſtinguentis proprietates non habet: nam dictiones non reddit מִלְּעֵיל, & poteſt ſæpe immediatè ſequi zakheph khaton, vel alium accentum diſtinguentem, & poſt ipſum poteſt immediatè ſequi athnagh, vel ſilukh. Quare, cùm ſuprà diximus duos accentus diſtinguentes ſe immediatè non ſequi, de omnibus præter טְרֻחָא eſt intelligendum, qui uti diximus propterea athnagh, & ſilukh diſtinguentis proprietates amittit.

CAP.

CAP. V.

De Nomine.

DIviditur apud Latinos oratio in octo partes, ſed an apud Hebræos in tot partes ſit dividenda, ambigi poteſt. Nam omnes Hebrææ voces, exceptis tantùm Interjectionibus, & Conjunctionibus, & unâ, aut alterâ particulâ, vim & proprietates Nominis habent; quod quia Grammatici non animadverterunt, multa crediderunt eſſe irregularia, quæ ex uſu linguæ maximè regularia ſunt, & plura ad linguæ cognitionem, ejuſque eloquentiam neceſſaria ignoraverunt. Sive igitur Hebræi tot, quot Latini, ſive pauciores orationis partes eſſe ſtatuerint, nos tamen omnes, exceptis tantùm Interjectionibus, uti diximus, & Conjunctionibus & unâ, aut alterâ particulâ, ad Nomen referemus, cujus rei cauſa, & quanta hinc in hâc linguâ facilitas oriatur, ex ſequentibus conſtabit. Quid autem per Nomen intelligam, jam explicabo. Per nomen intelligo vocem, quâ aliquid, quod ſub intellectum cadit, ſignificamus, vel indicamus. Cùm autem quæ ſub intellectum cadunt, ſint vel res, rerumque attributa, modi, & relationes, vel actiones, actionumque modi, & relationes, hinc Nominum genera facilè colligimus. Nam אִישׁ ex. gr. Nomen *viri* eſt, חָכָם *doctus*, גָּדוֹל *magnus* &c. attributa ſunt viri, הֹלֵךְ *ambulans*, יוֹדֵעַ *ſciens* modi ſunt, בֵּין *inter*, תַּחַת *ſub*, עַל *ſuper*, &c. Nomina ſunt, quæ oſtendunt, quam relationem vir ad alias res habeat. Sic הָלוֹךְ *ambulare* Nomen eſt actionis, quæ nullam ad tempus relationem habet. Nam hoc apprimè notandum, quòd Modus, quem Infinitivum Latini vocant, apud Hebræos purum putum Nomen ſit, qui propterea Infinitivus nec præſens, nec præteritum, nec abſolutè ullum tempus agnoſcit. Deinde מְהֵרָה *citò*, modus ambulandi eſt, הַיּוֹם *hodie*, מָחָר

מָחָר *cras*, &c. relationes ſunt temporis, quæ etiam aliis modis exprimuntur, de quibus alio capite.

Nominis igitur genera ſunt ſex. I. Nomen ſubſtantivum, quod in proprium, & appellativum dividitur, ut notum. II. Adjectivum. III. Relativum ſive Præpoſitivum. IV. Participium. V. Infinitivum. VI. Adverbium: quibus accedit Pronomen, quod vicem Nominis ſubſtantivi gerit, ut אֲנִי *ego*, אַתָּה *tu*, הוּא *ille*, &c. ſed de hoc alio Cap. agam: de reliquis autem hîc notandum venit, quòd Nomine proprio ſubſtantivo nunquam niſi unum ſingulare individuum ſignificare poſſumus. Nam unumquodque individuum ſuum ſibi tantùm habet Nomen proprium, ut & unaquæque actio, atque hinc fit, ut Nomen ſubſtantivum proprium, ut & Infinitivus, & Adverbium, quia quaſi adjectiva actionum ſunt, quibuscum debeant Numero convenire, non niſi ſingulari Numero exprimantur; reliqua autem & ſingulari & plurali. Dico reliqua: nam Præpoſitiones etiam pluralem numerum habent, de quibus vid. Cap. 10. Solent deinde homines, & præcipuè Hebræi rebus omnibus humana attributa dare, ut *terra audivit*, *auſcultata eſt*, &c. Et fortè hâc, aut aliâ de cauſâ omnia nomina rerum in maſculina, & fœminina diviſerunt; unde autem noſcantur, & quâ ratione Nomina ex numero ſingulari in pluralem flectantur, in ſeqq. dicemus.

CAP. VI.

De Flexione Nominis ex ſingulari in pluralem.

NOmina ex ſingulari in pluralem numerum flectuntur addendo maſculinis ghirek longum, & ם, & fœmininis o longum, & ת. Ex. gr. גַּן *hortus* habet in plurali, quia maſculini generis eſt, גַּנִּים. Sic ex עֵץ *arbor*, אָח *frater* fit עֵצִים, אַחִים; at אוֹת *ſignum*, quia fœminini generis eſt, habet in plurali אוֹתוֹת, ut

&

& נֵר *candela* נֵרוֹת, & עוֹר *cutis* עוֹרוֹת, &c. Excipiuntur quædam, quæ, quamvis maſculina, tamen in plurali ut fœminina, & contrà fœminina, quæ ut maſculina, & quædam, quæ utroque modo flectuntur, ut אָבוֹת *patres* ex ſingulari אָב *pater*, quod maſculini eſt generis. Contrà נָשִׁים *fœminæ*, Nomen eſt fœmininum, quod ſingulari caret, & terminatur ut maſculinum; at הֵיכָל *templum* utroque modo terminatur, nempe הֵיכָלִים, & הֵיכָלוֹת. Notandum præterea de Nominibus neutris, quæ ut fœminina declinantur, ut גְּדוֹלוֹת.

Secundò ratio, cur vocales mutentur, eſt ſcilicet, quia tres longæ, ſi dictio non ſit מלעיל, duplici accentu indigent, & quia ante ghirek, & gholem penultima non poteſt patach habere, niſi etiam dictio ſit millehgel, &c. Horum autem omnium catalogus in fine libri habetur, nec operæ pretium judicavi ea hîc ponere, quia faciliùs uſu, quàm præceptis ediſcuntur.

Nomina deinde, quæ in ה deſinunt, ſive maſculina, ſive fœminina ſint, ה vel ת cum ultimâ ſyllabâ omittunt, ut עָלָה *ſolium* habet in plurali עָלִים, & נְקֵבָה *fœmina* נְקֵבוֹת & אִשָּׁה *mulier* נָשִׁים. Atque hîc notandum, quòd fœminina, in ה deſinentia, ſæpe ה in ת mutent, & ſyllabas antecedentes duas in geminum ſegol ֶ, vel, ſi fuerit accentus athnagh, vel ſilukh, in kamets ַ & ſegol ֶ. Nam ex עֲטָרָה *corona* fit עֲטֶרֶת, & cum athnagh, vel ſilukh עֲטֶרֶת: Sic ex פּוֹקֶדָה *viſitans* fit פּוֹקֶדֶת, & פֹּקֶדֶת. Sed ſi penultima litera ſit ח, vel ע, tum ſyllabæ in patagh mutantur, ut שׁוֹמַעַת, *audiens*, & בּוֹרַחַת *fugiens* loco שֹׁמְעָה, & בֹּרְחָה, quod in ſubſtantivis locum etiam habet, ut צָפַחַת. Unde fit, ut omnia harum formularum Nomina fœminina in ת deſinentia in plurali eodem modo flectantur, ut ea quæ in ה deſinunt.

Præter hæc mutant plerumque Nomina in plurali etiam ſyllabas, nempe, ſi penultima fuerit ַ kamets, mutatur plerumque

in ſcheva, ut דָּבָר *verbum* דְּבָרִים *verba*, זָקֵן *ſenex* זְקֵנִים *ſenes*, שָׂמֵחַ *lætus* שְׂמֵחִים *læti*, נָקִי *purus* נְקִיִּים *puri*, רָחוֹק *longinquus* רְחוֹקִים *longinqui*, בָּרוּךְ *benedictus* בְּרוּכִים *benedicti*. Sic penultimum ֫ kamets ex. gr. זִכָּרוֹן *memoria*, & גִּלָּיוֹן *volumen* in ſcheva mutatur, & fit זִכְרוֹנוֹת, & גִּלְיוֹנִים. At ſi ultima fuerit kamets, vel Nomen monoſyllabum, tum ֫ plerumque immutatum manet, vel aliquando in patagh mutatur; ut כּוֹכָב *ſtella* כּוֹכָבִים *ſtellæ*, שַׂר *princeps* שָׂרִים *principes*, יָם *mare* יַמִּים *maria*, שׁוֹשָׁן *roſa* שׁוֹשַׁנִּים *roſæ*. Atque huc referendæ etiam ſunt, quæ in ה deſinunt, quia in plurali, ut jam diximus, ultimam ſyllabam ſimul cum ה amittunt, adeoque ut monoſyllaba, vel ut ea, quorum ultima ſyllaba eſt kamets, flecti debent. ex. gr. שָׂדֶה *ager*, קָנֶה *calamus*, &c. quia in plurali ſegol ֶ cum ה amittunt, regulam monoſyllaborum ſequuntur, & ֫ in plurali retinent, nempe שָׂדוֹת *agri*, & קָנִים *calami*; ſic מַמְלָכָה *regnum*, quia in plurali ultimum ֫ cum ה amittit, penultimum in plurali retinet, ut ea, quorum ultima eſt ֫, flectiturque מַמְלָכוֹת *regna*. Hâc de cauſâ etiam, quæ in ת deſinunt, penultimum ֫ in plurali retinent, ut תּוֹלָעַת *vermis* תּוֹלָעִים *vermes*; imò, quamvis ultimam ſyllabam non amittant, ֫ kamets tamen retinent, ut זָוִית *angulus* זָוִיוֹת *anguli*, עָמִית *ſocius* עֲמִיתִים *ſocii*, גָּלוּת *captivitas*, גָּלֻיוֹת *captivitates*.

Penultimum tſere etiam in ſcheva mutatur; ſed ante gholem, & ſchurek retinetur, ut עֵנָב *uva* עֲנָבִים *uvæ* mutat tſere in ſcheva; at אֵילוֹן tſere retinet; flectiturque אֵילוֹנִים. Porrò Nomina, quorum ultima ſyllaba tſere ֵ eſt, mutant id in ſcheva, quando vocalis antecedens ex iis eſt, quæ ſemper in plurali retinentur, vel quæ in ֹ non mutantur, ut מַקֵּל *baculus* מַקְלוֹת *baculi*, פּוֹקֵד *viſitans* פּוֹקְדִים *viſitantes*, עִוֵּר *cæcus* עִוְרִים *cæci*; at poſt ſcheva, vel ſyllabam, quæ in ֹ mutatur, retinetur, ut זָקֵן *ſenex* זְקֵנִים *ſenes*, זְאֵב *lupus* זְאֵבִים *lupi* &c.

Mono-

Monoſyllaba, ut & diſſyllaba, quæ in ה, vel ת deſinunt, tſere retinent, ut נֵר *candela* נֵרוֹת *candelæ*, עֵד *teſtis* עֵדִים *teſtes*, רֵעָה *ſocius* רֵעִים *ſocii*, שְׁאֵלָה *interrogatio* שְׁאֵלוֹת *interrogationes*.

Dantur præterea quædam monoſyllaba, quorum tſere in ghirek mutatur; ſed hæc cum reliquis particularibus exceptionibus ad catalogum, in fine libri promiſſum, reſervamus.

Penultimum ſegol in ſcheva, ultimum autem in ־ kamets mutatur, quod fit, quia omnia Nomina in plurali ſunt *milleragh*, & illa omnia *milehgel*, quorum penultima eſt ֽ : ſi itaque ſecundum ſegol in plurali retineretur, habere deberet pluralis accentum in penultimâ, contra communem uſum pluralium: fit igitur hâc de cauſa ex מֶלֶךְ *rex* מְלָכִים *reges*, אֶבֶן *lapis* אֲבָנִים *lapides*, צֶדֶק *juſtitia* צְדָקוֹת *juſtitiæ*, זֶבַח *ſacrificium* זְבָחִים *ſacrificia*, נֶחָמָה *conſolatio* נֶחָמוֹת *conſolationes*, חֵטְא *peccatum* חֲטָאִים *peccata*, בֹּקֶר *mane* בְּקָרִים pluralis. Atque hæc mutatio ultimi ſegol in ־ kamets, & penultimi in ſcheva analoga planè eſt. Oſtendimus enim polyſyllaba, quæ in ה deſinunt, mutare ſæpe ת in ת, & ſyllabas in geminum ֽ ſegol, ut עֲטָרָה in עֲטֶרֶת, & פְּקֻדָּה in פְּקֻדֶּת. Deinde hîc etiam ut in præcedentibus notandum eſt, quòd Nominum, quæ in ה, vel ת deſinunt, quoniam in plurali ultimam ſyllabam cum ה, vel ת amittunt, penultimum ſegol rationem ultimi obtinet, & in ־ mutatur, exceptis illis, quorum penultimum ſegol loco ſcheva uſurpatur, ut ſunt omnia Participia, & quæ ex iis formantur. Ex. gr. פְּקֻדֶּת propter accentum athnagh, vel ſilukh, loco פְּקֻדָּה, & תּוֹלֶדֶת loco תּוֹלְדָה uſurpantur; ſed in plurali ſcheva iterum recipiunt, ut פְּקֻדּוֹת, תּוֹלְדוֹת.

Denique ſegol penultimum, cui ſcheva adhæret, non poteſt in ſcheva mutari, ne duo in initio dictionis occurrant; ideoque in plurali vel retinetur, vel in patagh mutatur, ut אֶשְׁנָב *feneſtra* אֶשְׁנַבִּים *feneſtræ*, מֶרְכָּבָה *quadriga* מַרְכָּבוֹת *quadrigæ*.

Quæ חֹלֶם gholem ante ſegol habent, id in ſcheva mutant, ut בֹּקֶר

בֹּקֶר *mane*, בְּקָרִים in plurali, אֹהֶל *tentorium* אֳהָלִים, &c. Excipiuntur quædam, de quibus in catalogo, & præterea quædam monoſyllaba, quæ ipſum in kamets aliquando mutant, ut יוֹם *dies* יָמִים plur. רֹאשׁ *caput* רָאשִׁים *capita*; ſed ſæpius retinetur. Nam גּוֹי *gens* habet in plurali גּוֹיִם, & אוֹר *lux* אוֹרִים, &c. aliàs ſemper retinetur, ut & in iis, quæ in ת deſinunt, & geminum habent ſegol, ut פּוּקֵדַת pathagh nunquam in plurali mutatur, niſi ante י, ut יַיִן *vinum* יֵינוֹת *vina*, זַיִת *oliva* זֵיתִים *olivæ*; deinde בַּהֶרֶת habet in plurali בְּהָרוֹת.

Ghirek etiam, exceptis iis, quæ in præcedenti regulâ retulimus, quæ ipſum in plurali omittunt, & pauciſſimis præterea Nominibus, quæ in catalogo referuntur, ſemper immutatum manet; atque hîc tantùm loquor de ghirek proprio; non autem de eo, quod initio dictionis ante ſcheva eâ de causâ uſurpatur, ne duo ſchevata initio occurrant, quod inde cognoſcitur, quòd ה paragogicum in fine habent; nempe אֶמְרָה *dictum* loco אֹמֶר ſumitur; ideoque in plurali habent אֲמָרוֹת. Sic דִּמְעָה *lacrima*, quia loco דֶּמַע uſurpatur, habet in plurali דְּמָעוֹת. Nam, ut jam oſtendimus, ultimum ſegol ֶ in ַ kamets mutari, & ultimum ַ kamets in plurali retineri debet; penultimum autem gholem & ֹ in ſcheva mutari.

Khibuts, & ſchurek nunquam in plurali mutantur, hoc tamen ſchurek notandum habet, quòd in וּת deſinentia ſchurek non ſemper in plurali omittant, ut reliqua Nomina in ה, & ת deſinentia, quæ ſemper, uti diximus, ultimam Syllabam in plurali omittunt. Nam מַלְכוּת *regnum* habet in plurali מַלְכֻיוֹת, & חֲנוּת *officina* חֲנֻיוֹת.

Scheva denique nullâ aliâ de causâ mutari poteſt, quàm ne duo ſchevata in initio occurrant. Nam videmus pleraſque mutationes fieri ex longis in breves. Quòd autem פְּרִי *fructus* habeat in plurali פֵּרוֹת, & כְּלִי *vas* כֵּלִים, id oſtendit, literam י in

ſingu-

ſingulari eſſe paragogicam, eamque efficere, ut tſere, quòd abſque ipſâ habere deberent, in ſcheva mutetur, & quia ' paragogicum in plurali amittunt, ideò tſere in plurali retinent, vel ſi mavis, iterum recipiunt.

His Regulis facilè unusquiſque omnia ferè ſingularia in pluralia flectere, & pluralium ſingularia inveſtigare diſcet. Supereſt jam tantùm pauca de numero duali addere.

Præter pluralem flectuntur etiam quædam Nomina in numerum dualem addendo iis literas, ſive maſculina, ſive fœminina ſint, י & ם, & vocales pathagh, & ghirek, ut יוֹם *dies* יוֹמַיִם *duo dies*, cujus plurale eſt, יָמִים, שָׁנָה *annus* שְׁנָתַיִם *duo anni*. Et ad hunc modum poſſemus, ſervatis præcedentibus Regulis, omnia Nomina flectere, niſi poſteri hoc neglexiſſent, qui hanc terminationem uſurpârunt ad exprimendum pluralem numerum earum rerum, quæ binæ ſunt, vel quæ duabus partibus conſtant, ut יָד *manus* pluralis יָדַיִם, *jadajim* pro יָדוֹת *jadoth* pluralis, אֹזֶן *auris* אָזְנַיִם, *aures*, & ſic de reliquis, quæ bina habemus. Porrò quia *forcipes* duabus conſtant partibus, vocantur מֶלְקָחַיִם, & *forfices* מִסְפָּרַיִם.

Hâc igitur de cauſâ hanc terminationem ad dualem numerum ſignificandum uſurpare jam non licet, niſi tantùm in iis nominibus, quæ in Bibliis duali ſignificatione ſic flexa reperiuntur.

CAP. VII.

De Genere Maſculino, & Fœminino.

NOmina, quibus mares ſignificantur, vel res, quæ ad mares pertinent, maſculina ſunt. Hæc autem, quibus fœminæ, vel res, quæ ad fœminas pertinent, fœminina; quæ autem aliis rebus exprimendis inſerviunt, communia ſunt, & quamvis horum plurima in Bibliis ſemper reperiantur, vel maſculina, vel fœmi-

fœminina, id caſu contingit. Reperiuntur enim quædam uno tantùm in loco fœminina, quæ aliàs ſemper maſculina reperiuntur, & contrà quædam uno tantùm in loco fœminina, ex. gr. כָּנָף *ala* ubique fœminini generis eſt, præterquam bis, lib. 2. Paralip. cap. 3. ideoque ab auctoribus communis generis habetur; ſed ſi hoc libro Paralip. caruiſſemus, non dubitarent idem inter fœminina ſtatuere, &, ſi plures haberemus, forſan omnes regulas mutare, & quæ jam inter exceptiones numerant, pro communi regulâ, & contrà plures regulas pro exceptionibus haberent. Nam, ut uno verbo dicam, plures ſunt, qui Scripturæ; at nullus, qui linguæ Hebrææ Grammaticam ſcripſit. Sed ad propoſitum. Deinde videmus Scripturam in eâdem oratione unum nomen ad utrumque genus promiſcuè referre, ut Gen. cap. 32. verſ. 8. אִם יָבוֹא עֵשָׂו אֶל הַמַּחֲנֶה הָאַחַת וְהִכָּהוּ *Si veniet Hgeſau ad aciem unam, & ceciderit eum*; adeoque hâc in re cum R. Schelomo Jarghi planè convenio, qui ſtatuit כָּל דָּבָר שֶׁאֵין בּוֹ רוּחַ חַיִּים זָכְרוֹ וְנִקְבָּהוּ *omnem rem, cui non eſt ſpiritus vitæ, exprime tam maſculino, quàm fœmino genere.* Vide ejus Commentaria in locum allatum.

Adjectiva ex maſculino in fœmininum genus mutantur addendo iis ת, vel ה cum ־ kamets, & ſyllabas, ſecundum præcedentes Regulas, mutando, ex. gr. חָכָם *ſapiens* חֲכָמָה fœminium, גָּדוֹל *magnus* גְּדוֹלָה *magna*, בָּרוּךְ *benedictus* בְּרוּכָה *benedicta*, פֹּקֵד *viſitans vir* פּוֹקֶדֶת & פּוֹקְדָה *viſitans fœmina*, אִישׁ *vir* אִשָּׁה *virago*, גְּבִיר *dominus* גְּבִירָה *domina*.

Excipiuntur ea, quæ geminum habent ſegol ֶ, quæ utrumque in ־ mutare deberent; Sed ne duo initio dictionis occurrerent, primum in patagh mutatur, ut מֶלֶךְ *rex* מַלְכָּה *regina*, quod ex præcedentibus regulis deberet eſſe מִלְכָּה.

Quæ verò in maſculino in ה deſinunt, mutant ultimam ſyllabam in ־, ut יָפֶה *pulcer* יָפָה *pulcra*, רֹאֶה *videns*, in fœminino רֹאָה, &c.

Porrò,

Porrò, quæ in י desinunt, mutantur in fœmininum vel ut præcedentia, vel simpliciter addendo ת, ut שֵׁנִי *secundus* שֵׁנִיָּה vel שֵׁנִית *secunda*, שְׁנַיִם *secundi* שְׁנִיּוֹת *secundæ*: atque hoc locum præcipuè habet in iis adjectivis, quibus indicatur cujus gentis, vel regionis aliquis sit, ut עִבְרִי *Hebræus* עִבְרִיָּה & עִבְרִית *Hebræa*. Nam notandum, hæc omnia adjectiva formari in masculino genere à Nominibus propriis natalium solorum, vel parentum, addendo י cum præcedenti ghirek, & syllabas secundum Regulas, in seq. Capite de regimine Nominis dicendas, mutando: ut ex יִשְׂרָאֵל fit יִשְׂרְאֵלִי, ex עֵבֶר fit עִבְרִי, ex חֶבֶר fit חֶבְרִי, & ex כּוּשׁ *Æthiopia* fit כּוּשִׁי, & ex יְרוּשָׁלַם fit יְרוּשַׁלְמִי *Hierosolymitanus*. At his masculinis additur in plurali tantum modò ם, ut עִבְרִים *Hebræi*, כּוּשִׁים *Æthiopes*. Quòd si Nomina, unde hæc formantur, pluralem terminationem habuerint, illam amittere debent. Nam ex מִצְרַיִם *Ægyptus* fit מִצְרִי *Ægyptiacus*. Atque hæc, ut dixi, addendo tantum ת, vel ה cum præcedenti ־ kamets in fœminina mutantur. Sed in plurali flectuntur semper, ut fœminina, quæ in ה desinunt, ut עִבְרִיּוֹת מִצְרִיּוֹת, &c.

Cùm itaque ה singularium terminatio cum præcedenti ־ vel ת, & pluralium וֹת fœminorum adjectivorum sit propria, hinc factum fuisse videtur, ut Hebræi substantiva etiam, quæ in singulari ה, vel ת, & pluralia, quæ in plurali in וֹת terminantur, ad fœmininum genus referre plerumque consueverint, nisi fortè præterea factum sit, quòd ab hujus generis adjectivis suam duxerint originem. Sed de his satis.

CAP. VIII.

De Regimine Nominis.

REs vel absolutè significantur, vel ad alias relatæ, ut clariùs, & expressiùs indicentur; ex. gr. *mundus est magnus* Mundus in statu absoluto significatur; at *mundus Dei est magnus*,

gnus, tum mundus eſt in ſtatu relativo, quo efficaciùs exprimitur, vel clariùs indicatur, atque hic Status Regiminis vocatur. Quomodò autem ſoleat exprimi, ordine jam dicam, & primò quomodò in ſingulari numero.

Nomina, quæ in ה præcedente ־ vel gholem deſinunt, mutant ה in ת, & ־ in - patagh. Nam תְּפִילָה habet in ſtatu regiminis תְּפִלַּת, & ſignificat precationem alicujus. Sic עָשָׂה *facere* habet in ſtatu regiminis עֲשׂוֹת *& alicujus facere*, ut יוֹם עֲשׂוֹת יְהוָה אֱלֹהִים *dies & facere Domini Dei.*

Quæ geminum, vel unum tantùm habent ־, mutant in ſtatu Regiminis penultimum in ſcheva, & ultimum in patagh, ut דְּבַר ex דָּבָר *verbum*, כִּכַּר זָהָב *talentum auri* ex כִּכָּר *talentum* חֲכַם ex חָכָם *ſapiens*, ut Jobi 9. חֲכַם לֵבָב *ſapiens cordis* Deus appellatur, ſic בָּרוּךְ *benedictus*, שָׁלוֹם *pax*, פָּקוֹד *viſitare*, זָקֵן *ſenex*, &c. mutant penultimum ־ in ſcheva; ſic etiam צְדָקָה *juſtitia*, בְּרָכָה *benedictio*, ultimum kamets in patagh, & penultimum in ſcheva, & ה, ut jam diximus, in ת, fiuntque צִדְקַת, בִּרְכַת; quòd autem primum ſcheva in ghirek mutetur, fit tantùm, quia duo in initio dictionis occurrere nequeunt, quod ſemper, ne hoc ſæpius repetere cogamur, de omni ghirek, & patagh ante ſcheva affirmandum eſt.

Tſere penultimum aliquando in ſcheva, & ultimum aliquando in patagh mutatur, ut שִׁעַר ex שֵׂעָר *capillitium*, & פְּאַת ex פֵּאָה *angulus*, זִקַן ex זָקֵן *ſenex*, מַ֫קֵל ex מַקֵּל *bacillum*. Sed plerumque tam ultimum, quàm penultimum immutatum manet. Verùm hæc, & plura hujusmodi admodùm incerta ſunt: Nam unum, idemque Nomen jam tſere mutare, jam retinere, reperies, quod oſtendit in S. Scripturâ dialectos confundi. Quare unuſquisque tam tſere, quàm ultimum kamets ubique ad libitum vel mutare, vel retinere poteſt, excepto tamen tſere ante ־, quod ex communi analogiâ linguæ retinere debet, ut הֵיכָל *templum*

plum e. g. & אַשְׁמוּרָה habet ubique in Scripturâ pro ſtatu Regiminis אַשְׁמֻרַת, & תַּלְאוּבָה & תַּעֲלוּמָה habent תַּלְאֻבַת, & תַּעֲלֻמַת: ideoque dico unicuique licere pro אַשְׁמֻרַת ſcribere אַשְׁמוּרַת, & pro תַּלְאֻבַת ſcribere תַּלְאוּבַת; tametſi neutrum in Scripturâ reperiatur. Et, quod hîc de tſere, & kamets dico, de omnibus etiam dicendum, quæ certam Regulam non ſervant. Sed de his alio loco uberiùs agam; aliquid tamen hîc adhuc addam, quod ad hoc, quod modò dixi, & ad intentum hujus capitis, & ad univerſalem hujus linguæ cognitionem non parùm facere exiſtimo.

In ſuperiori capite diximus, quòd terminationes fœmininæ הָ, & ת, & pluralis וֹת propriè ſunt Adjectivorum, & Participiorum, nimirum quia unum, idemque Nomen adjectivum attributum eſt, quod jam ad marem, jam ad fœminam refertur, ideoque unumquodque duabus terminationibus indiget, quod in ſubſtantivis locum non habet, & propterea non niſi uſu factum eſt, ut ſubſtantiva, quæ neque mares, neque fœminas exprimunt, ad genus fœmininum ſemper referantur, quando in ה, vel ת deſinunt, vel fortè (uti diximus) quia ab adjectivis fœmininis ſuam duxerunt originem. Sed aliud eſt, quod hîc volo, nempe quòd eodem modo, ac hæ ſubſtantivorum terminationes originem duxerunt, ab Adjectivis, & Participiis, ità variationes, quas in ſtatu Regiminis Nomina patiuntur, originem ducunt à mutationibus Infinitivorum, & Participiorum. Nam omnia Nomina Hebraïca (ut omnibus hujus linguæ peritis notum) ex Verborum formulis formantur; Adde quòd primus, & præcipuus Nominis ſubſtantivi uſus ſit res abſolutè, non autem relativè indicare: hoc enim Nominibus propriis repugnat, quæque adeò nunquam in ſtatu Regiminis reperiuntur; at actiones vix abſque relatione agentis, vel patientis explicantur & ideò rariùs in ſtatu abſoluto reperiuntur. Quicquid ſit, ex modis, quibus Nomina Infinitiva, & Participia variant,

variationes ſubſtantivi facilè diſcuntur, ità ut dubitandum non ſit, quin hæ ex illis originem duxerint. Eorum igitur formulas, & modos variandi in Regimine tanquam normam variationum omnium Nominum hîc ponam, quia facilè memoriæ mandari poſſunt.

Infinitivorum Formulæ.

	Status Abſolutus		Status Regiminis.	
			kam ghat	
* *Viſitare*	פָּקוֹד	in reg.	פְּקֹד & פָּקֹד	& etiam פְּקוּדַת ex k. g. פְּקֻדָּה
Viſitari	נִפְקֹד & הִפָּקֵד	ſemper abſolutè.		
			הִפָּקֵד	
Frequenter viſitare	פַּקֵּד	&	פַּקֵּד	
Frequenter viſitari	פֻּקַּד			
Facere, vel conſtituere aliquem viſitantem, Conſtitui viſitans	הַפְקֵד		הַפְקִיד הָפְקֵד	
Se conſtituere viſitantem	הִתְפַּקֵּד		הִתְפַּקֵּד	
Appropinquare	נָגוֹשׁ		גֶּשֶׁת	
Detegere	גָּלֹה גָּלוֹת		גְּלוֹת גְּלוֹת	
Circuire	סוֹב		סָבַ֫ & סוֹב	ghatuf cum makhaf
Invenire	מָצוֹא		מְצֹאת & מְצוֹא	loco מְצֹאת vid. ſup. פְּקוּדַת
Aperire	פָּקֹחַ		פְּקַח	

* Conveniunt ſæpe Infinitiva in Statu Abſoluto cum præteritis: nam דִּבֶּר *loqui* etiam ſignificat, *locutus eſt*, גָּדֵל *creſcere*, בָּשֵׁל *coqui* formam habent præteriti, ut ſuo loco oſtendam. Quare non dubito, quin Infinitivi formulæ etiam fuerint פָּקָר cum gemino kamets, & פָּקַר cum ֫ & ֭; ex quibus formatum eſt פְּקֹד in Regimine, nempe ex פָּקֹד, פָּקֵד & פָּקַד: atque hæc, quia circa Conjugationes prolixiùs tractanda, hîc ad ea, quæ impræſentiarum volo, obiter notâſſe ſufficiet.

Ha

Hæ præcipuæ Infinitorum formulæ & mutationes ſunt. Pergo itaque ad Participia.

Participiorum Formulæ.

Reg.	R.		
מְפָקֵד	פֹּקֵד & פָּקֵד	פָּקֵד	*viſitans* maſc. ſing.
מְפָקְדִים	פְּקֵדִי	פְּקֻדִים	plur. maſc.
מְפָקֶדֶת		פְּקֻדָה	ſing. fœm.
מְפֻקֶדֶת & מְפֻקֶדֶת	פְּקֻדַת	פְּקֻדַת &	
מְפָקְדוֹת	פְּקֻדוֹת	פְּקֻדוֹת	plur. fœm.
מַפְקִיד	פְּקוּד	פָּקוּד	*viſitatus* f. m. verbi adjectivum.
מַפְקִידִים	פְּקוּדֵי	פְּקוּדִים	p. m.
מַפְקִידָה	פְּקוּדַת	פְּקוּדָה	p. f.
מַפְקֶדֶת	פְּקוּדוֹת	פְּקוּדוֹת	p. f.
מַפְקִידוֹת			
מְפָקָד	נְפַקַד	נְפָקָד	*viſitatus*, Part. f. m.
מְפָקְדִים		נְפָקָדִים	
מְפָקֶדֶת & מְפָקֶדֶת	נְפֻקֶדֶת	נְפָקָדָה & נְפָקֶדֶת	f. f.
מְפָקְדוֹת	נְפָקְדוֹת	נְפָקְדוֹת	pl. f.
מְפֻקָּד	מְפֻקַּד	מְפֻקָּד	*frequenter viſitatus* ſing. maſc.
מְפֻקָּדִים	מְפֻקְּדֵי	מְפֻקָּדִים	
מְפֻקֶּדֶת & מְפֻקֶּדֶת	מְפֻקֶּדֶת	מְפֻקָּדָה & מְפֻקֶּדֶת	f. f.
מְפֻקָּדוֹת	מְפֻקְּדוֹת	מְפֻקָּדוֹת	pl. f.
	פְּקֻד	פָּקֻד	*frequenter viſitatus* adjectivum f. m.
	פְּקֻדִי	פְּקֻדִים	
	פְּקֻדַת	פְּקֻדָה & פְּקֻדַת	f. f.
	פְּקֻדוֹת	פְּקֻדוֹת	

Passivum.

Reg. 2.	Pass.	
נִפְקָד	נִפְקָד	*visitatus* m. f.
נִפְקָדִי	נִפְקָדִים	p. m.
	נִפְקָדָה	f. f.
נִפְקֶדֶת	נִפְקֶדֶת	f. f.
נִפְקָדוֹת	נִפְקָדוֹת	pl. f.
	מִפּוֹקָד &c. & מִפְקָד	f. m. *frequenter visitatus.*
מִפְקָדִי	מִפְקָדִים	p. m.
	מִפְקָדָה &	f. f.
מִפְקֶדֶת	מִפְקֶדֶת	f. f.
מִפְקָדוֹת	מִפְקָדוֹת	pl. f.
	מִפְקָד	*constitutus ut visitaret* f. m.
	מִפְקָדִים	pl. m.
	מִפְקֶדֶת &	f. f.
	מִפְקָדָה	f. f.
	מִפְקָדוֹת	pl. f.
פְּקוּדִי	פְּקוּדִים & פְּקֻדִים	p. m.
פְּקוּדוֹת	פְּקוּדוֹת & פְּקֻדוֹת	p. f.
פְּקֻדַת	פְּקוּדָה & פְּקֻדָה & פְּקֻדֶת	
פְּקוּד	פְּקוּד & פְּקֻד	*visitatus* adjectivum Verbi f. m.

Passi-

Paſsivum.

פָּקֻד	*frequenter viſitatus* adjectivum.	
& פָּקֻד	f. m.	
פְּקֻדִים & פְּקֻדִים	p. m.	
פְּקֻדָה & פְּקֻדָּה	f. f.	
פְּקֻדוֹת & פְּקֻדוֹת	p. f.	

Activum.

Reg.	Act.	
פָּקֹד & פְּקַד & פְּקֻדִי	פֹּקֵד	*viſitans* m. gen.
פְּקֻדֵי	פְּקֻדִים	pl. m.
	פְּקֻדָה	f. f.
	&	
פְּקֻדֵת	פְּקֻדֶת	f. f. vel פְּקַדְתִּי vel פְּקַדְתְּ ut יוֹשַׁבְתִּי שְׁכוֹתְּ יוֹלַדְתְּ
פְּקֻדוֹת	פְּקֻדוֹת	p. f.
מְפֻקָּד	* מְפַקֵּד	*frequenter viſitans* f. m.
מְפֻקָּדֵי	מְפַקְּדִים	pl. m.
	מְפַקְּדָה	
	&	f. f.
מְפֻקָּדֵת	מְפַקֶּדֶת	
מְפֻקָּדוֹת	מְפַקְּדוֹת	p. f.

* In Scripturâ non reperitur hujus Participii Regimen, nec videtur ſenſu, quo hîc, & ferè ſemper accipitur, poſſe relativè exprimi; ſed quia hæc formula aliquando etiam uſurpatur eâdem ſignificatione, ac prima, nihil impedit, quò minùs Regimen habere potuerit.

Activum

Activum.

Reg.	Act.	
מַפְקִיד	מַפְקִיר	*Constituens aliquem visitantem.* m. i.
מַפְקִידִי	מַפְקִידִים	
מְפֻקְדַת	מַפְקִידָה & מַפְקֵדֶת	s. f. Ex quo & formatur מַפְקֵדֶת
מִתְפַּקֵּד	מִתְפַּקֵּד	*Se visitans*, vel *ferens se ut visitans.* f. m.
מִתְפַּקְדִי	מִתְפַּקְדִים	p. m.
מִתְפַּקְדַת	מִתְפַּקְדָה & מִתְפַּקֶּדֶת	f. f.
מִתְפַּקְדוֹת	מִתְפַּקְדוֹת	p. f.

Crescens

גְּדַל & גֶּדֶל	גֶּדֶל	f. m.
גְּדֵלִי	גְּדֵלִים	p. m.
גְּדֹלַת	גְּדֹלָה	f. f.
גְּדֹלוֹת	גְּדֹלוֹת	p. f.

Veniens

בָּא	בָּא	f. m.
בָּאֵי	בָּאִים	p. m.
בָּאָת	בָּאָה	f. f.
בָּאוֹת	בָּאוֹת	p. f.
גֹּלֶה	גֹּלֶה	*Detegens* f. m.
גֹּלֵי	גֹּלִים	p. m.
גֹּלַת	גֹּלָה	f. f.
גֹּלוֹת	גֹּלוֹת	p. f.

מַגֵּלָה

Reg.	Act.	
	Sic &	
מַגֶּלֶה	מַגֶּלֶה	*Qui facit detegere*, f. m.
מַגְלִי	מַגְלִים	
מַגֶּלֶת	מַגֶּלֶת	f. f.
	&c.	
שׁוֹמֵעַ	שׁוֹמֵעַ	*audiens*, f. m.
שׁוֹמֵעַ	& שׁוֹמַע	
שׁוֹמְעִי	שׁוֹמְעִים	p. m.
שׁוֹמַעַת	שׁוֹמְעָה & שׁוֹמַעַת	f. f.
שׁוֹמְעוֹת	שׁוֹמְעוֹת	p. f.
	Sic	
שָׂבֵעַ	שָׂבֵעַ	*Saturatus.*
שְׂבֵעִי	שְׂבֵעִים	p. m.
שְׂבֵעַת	שְׂבֵעָה	f. f.
שְׂבֵעוֹת	שְׂבֵעוֹת	p. f.

Præter has aliæ Participiorum formulæ dantur, ſed has impræſentiarum ſufficere arbitror, ut unusquisque facillimo negotio diſcat Nomina ex ſtatu abſoluto in regimen mutare, modò hoc obſervet, quòd illæ vocales in ſtatu Regiminis retinentur, quæ hîc immutatæ reperiuntur. Videlicet monoſyllaba, ad quæ etiam referenda ſunt diſſyllaba, quorum prima eſt ſcheva, ut כְּתָב *ſcriptum*, זְאֵב *lupus*, &c. geminum ſegol, pathagh, ghirekh, & ſcheva, gholem plerumque etiam retineri; ante מקף tamen in o breve mutari videmus. Deinde rariſſimè ſchurekh, vel potiùs nunquam mutatur, & quòd aliquando khibuts ejus loco uſurpatur, id non fit propter regimen; ſed quia unum pro alio ſumere licet: nam ſchurekh ſyllaba compoſita eſt ex gholem & khibuts,

& ideò loco ſchurekh, vel gholem, vel khibuts ſæpe ſumi videmus. Quòd autem מוֹת אוֹן עוֹל, & reliqua hujusmodi habeant in regimine עוֹל אוֹן מוֹת, &c. ex communi linguæ uſu fit. Suprà enim diximus kamets ante ſegol pro ſegol uſurpari in fine; vel in mediâ periodo, ut una ejus pars ab aliâ diſtinguatur, ut עֲטֶרֶת loco עַטֶרֶת, & פּוֹקֵדֶת loco פּוֹקֶדֶת. Quare עֹל, &c. in ſtatu abſoluto pro עוֹל regiminis uſurpatur.

Sed notandum in hâc linguâ magis uſitatum eſſe ו vau quieſcentem reddere, ſyllabas in gholem mutando, qui uſus frequentiſſimus eſt, & circa hæc Nomina prævaluiſſe videtur, quia in Scripturâ non niſi ſemel reperitur in regimine עֹל, aliàs ubique ex עֹל (*fraus*) fit עוֹל, & ex אֹן *pravitas* אוֹן, & ſic de cæteris hujus formæ.

Denique ut de pluralium terminatione etiam aliquid addam, videmus pluralium terminationem וֹת ſemper in regimine retineri; ים. autem ם omittere, & ghirekh mutare in tſere, quam formam regiminis numerus dualis יִם etiam obtinuit, qui propterea ם cum ghirek omittit, & pathagh in tſere mutat, ut ex עֵינַיִם *oculi* fit עֵינֵי in ſtatu regiminis; atque hinc credo factum, ut omne pathagh ante י cum ghirek hanc regiminis acceperit formulam, fiatque ex בַּיִת *domus* בֵּית, & ex יַיִן *vinum* יֵין &c.

Jam antequam ulteriùs pergam, venit hîc apprimè notandum, me hîc per Nomen omnia Nominis genera intelligere. Omne etiam Nomen, excepto (ut jam diximus) proprio genitivum regit, vel à genitivo regitur, & præcipuè relativum, ſive præpoſitivum, quod ſemper relativè ſignificatur, & propterea ferè ſemper genitivum regit, & ſæpe regitur; quæ omnia hîc ad majorem perſpicuitatem exemplis illuſtrabo.

בֵּית אֱלֹהִים *Domus Dei.* Ambo ſubſtantiva.

לֵב חָכָם *Cor ſapientis.* Subſtant. primum, adjectv. ſecundum.

חָכָם לֵבָב } *Sapiens cordis*
גְּדוֹל הָעֵצָה } *magnus conſilii* } contrà.

אֹהֲבֵי טוֹב } *Amantes boni*
רֹאֵי הַשָּׁמֶשׁ } *videntes ſolis* } Part. 1.

בְּרֹא אֱלֹהִים *to creare Dei* 1. Infinit.

יוֹם בְּרֹא אֱלֹהִים *dies & creare Dei* inf. quod ſimul regit & regitur.

מַשְׁכִּימֵי קוּם *maturantes & ſurgere, hoc eſt, qui ſolent citò ſurgere.*

מַשְׁכִּימֵי בַבֹּקֶר *maturantes & in mane.* Præp. in genit. & Particip. in Regim.

לִפְנֵי יְהוָה *Ante Dei.* Præp. in Regim. ex לְפָנִים *antea*, ſic ex תָּוֶךְ *intus* fit תּוֹךְ *inter.*

עֲדֵי עַד *uſque & uſque* h. e. tempus indefinit. hîc ergo Præp. regit & regitur.

מַכַּת בִּלְתִּי חֲרָה *plaga & non deſinentis, h. e. plaga, quæ non deſinit.* Adverb. *non* regitur.

אֵין חָכְמָה *Non ſapientiæ*; hîc contrà *non* regit. Eſt enim in ſtatu abſoluto אַיִן, quod in ſtatu regiminis, ut בֵּית, mutat, ut jam diximus, patagh, & ghirehk in tſere. Cæterùm hîc iterum atque iterum vos monere volo, ut ea, quæ cap. 5. dicta ſunt de Nomine, animo perpendatis. Nam nemo magno cum fructu hanc linguam colere poterit, niſi id, quod ibi diximus, rectè percipiat, quòd

ſcilicet tam Verba, quàm Participia, quàm Præpoſitiones, quamque denique Adverbia pura puta apud Hebræos ſint Nomina.

CAP. IX.

De duplici Nominis uſu, deque ejus Declinatione.

NOmine appellativo vel individuum unum, vel plura vaga, vel unum, aut plura certa, & nota ſignificare volumus: quod apud Latinos abſque ullâ differentiâ, ſed apud Hebræos, & alios magnâ fit; nempe אִישׁ vel אֲנָשִׁים *virum* quemcunque, vel *viros* quoſcunque ſignificat; Sed ſi quis non niſi virum, vel viros, de quibus jam locutus eſt, vel quos ſupponit notos eſſe, ſignificare vult, debet Nomini præponere הַ cum pathagh, & primam Nominis literam duplicare, hoc eſt, dageſchare; & ſi prima litera una ex iis fuerit, quæ duplicari non patiuntur, tum ה loco pathagh kamets debet habere, ut וְהָאִישׁ גַּבְרִיאֵל *& vir ille Gabriel.* Sed notandum tam דגש, quàm khamets poſſe compenſari per gaghja, ut הַמַּכָּה / חַחֻגִי, &c. Atque hoc ה vocari ſolet הַיְדִיעָה, hoc eſt, ה notitiæ, quia rem notam indicat, adeoque idem Indicativum appellabo.

Verùm enim verò hic uſus iſtius ה tantùm locum habere poteſt in Appellativis, Adjectivis, & Participiis; at non in Propriis, neque in Infinitivis, neque denique in Adverbiis, quia his nunquam niſi rem ſingularem, non autem plura ejuſdem generis ſignificamus; & quod ad relativa attinet; ea nunquam abſolutè; ſed ſolo regimine indicantur. Nam hoc apprimè de hoc ה notandum eſt, quòd nunquam Nomini, quando Genitivum regit, præfigatur, cujus rei cauſam infrà in hoc cap. oſtendam.

Porrò quia Nomina omnia apud Hebræos indeclinabilia ſunt, exprimuntur caſus plerumque ſolâ Præpoſitionum quarundam ſignifi-

ſignificatione. Dico ſignificatione. Nam Præpoſitiones, ut jam diximus, Genitivum (Nomina enim ſunt) reverâ regunt; ſed ſicut apud Græcos Præpoſitiones Ablativi Genitivum regunt, & ſolâ earum ſignificatione Genitivus locum obtinet Ablativi, ſic apud Hebræos omnes Genitivum regunt, & ſolâ earum ſignificatione Genitivus locum reliquorum caſuum obtinet.

Præpoſitiones plerumque caſibus inſervientes ſunt hæ ל, אֶל, ב, מ, & מִן, עִם &c. Ex his autem ל & ב Nominibus præpoſitæ punctantur cum ſcheva; מ autem, quia loco מִן uſurpatur, punctatur cum ghirek, & נ per punctum דָּגֵשׁ in ſequenti literâ compenſatur, ut omnia in ſequentibus exemplis videri poſſunt.

Porrò לְ cum ſcheva, & אֶל Dativum ſignificant, בְּ, מִן מ & עִם Ablativum; Accuſativus autem Præpoſitionem non habet; ſed ejus loco particula אֵת uſurpari ſolet, quæque adeò nunquam Genitivum; ſed ſemper Accuſativum regit. Reliqui deinde caſus Præpoſitiones non habent. Quare cum ſuprà diximus, Genitivum locum reliquorum caſuum obtinere, intelligendum tùm eſt, locum Dativi, & Ablativi, quia hi ſoli Præpoſitionibus exprimuntur. Sed hæc omnia clariùs ex ſequentibus exemplis intelligentur.

Exemplum Nominis Appellativi vagi.

Sing.

Nom. דָּבָר *verbum.*

Gen. דְּבַר Cognoſcitur ex regimine præcedentis Nominis cujuscunque generis.

Dat. לְדָבָר Intellige, Præpoſitionem vim Dativi exprimere, eſſeque in ſtatu regiminis, & Nomen in Genitivo. Porrò notandum, quando ל indicat terminum ad quem, poſſe idem per ה in fine dictionis ſuppleri, ut אַרְצָה pro לָאָרֶץ *ad terram.*

Acc. דָּבָר Cognoſcitur ex Verbo Activo.
Voc. דָּבָר
מִדָּבָר Intellige hîc, ut ſuprà in Dativo.

Plural.

Nom. דְּבָרִים
Gen. דְּבָרִים
Dat. לִדְבָרִים
Acc. דְּבָרִים }
Voc. דְּבָרִים }
Abl. בִּדְבָרִים vel מִ

Exemplum Nominis cum ה *indicativo.*

Sing.		Plur.	
Nom. } Gen. }	הַדָּבָר	Nom. } Genit. }	הַדְּבָרִים
Dat.	לַהֲדָבָר pro לְהַדָּבָר	Dat.	לַהֲדְבָרִים pro לְהַדְּבָרִים
Acc.	אֶת הַדָּבָר	Acc.	אֶת הַדְּבָרִים
Voc.	הַדָּבָר	Voc.	הַדְּבָרִים
Abl.	בַּהֲדָבָר pro בְּהַדָּבָר	Abl.	בַּהֲדְבָרִים pro בְּהַדְּבָרִים

Exemplum ſubſtantivi, & adjectivi Maſculini.

		Cum ה indicativo.	
Nom. } Gen. }	אֵל גָּדוֹל *Deus magnus.*	Nom. } Gen. }	הָאֵל הַגָּדוֹל
Dat.	לְאֵל גָּדוֹל	Dat.	לָאֵל הַגָּדוֹל
&c.		Acc.	אֶת הָאֵל הַגָּדוֹל

Exemplum fœminini Generis.

			Cum ה indicativo.	
Nom. } Gen. }	מְנוֹרָה יָפָה	*Candelabrum pulcrum.*	Nom. } Gen. }	הַמְּנוֹרָה הַיָּפָה
Dat.	לִמְנוֹרָה יָפָה		Dat.	לַמְּנוֹרָה הַיָּפָה
&c.			Acc.	אֶת הַמְּנוֹרָה הַיָּפָה
			&c.	

Exem-

Exemplum Nominis Relativi:

Nom. } תּוֹךְ *inter.*
Gen. }
Dat. לְתוֹךְ אֶל תּוֹךְ *ad τὸ inter.*
Acc. תּוֹךְ
Abl. בְּתוֹךְ / מִתּוֹךְ &c. *in & de τῷ inter.*

Nota תּוֹךְ esse in statu Regiminis, & formari à תָּוֶךְ, ut ab עָוֶל *fraus* עוֹל. Sumpsi tamen exemplum Regiminis, quia, uti dixi, Præpositiones vix in statu absoluto concipi possunt, & ideò cum ה indicativo nunquam declinantur. Nam ה plerumque rem jam explicatam, & notam supponit: regimen autem rem per Genitivum explicandam, & determinandam, hoc est, rem nondum notam; atque hæc, inquam, ה & regimen plerumque. Sed non dixi semper supponere: nam sæpè etiam summâ cum elegantiâ ה indicativum pro regimine, & regimen contra pro ה indicativo usurpare licet, ex. gr. כָּל־נְבִיאֵי *omnes prophetæ*, loco בָּל־הַנְּבִיאֵי eleganter dicitur. Nam הַנְּבִיאִים significat prophetas jam notos & נְבִיאֵי in regimine, & subintellecto Genitivo, significat prophetas rei jam cognitæ, nempe Dei, veritatis, &c. Sic הַשֹּׁתִים בְּמִזְרְקֵי יָיִן *qui bibunt in pateris vinum* loco בַּמִּזְרָקִים elegantiùs dicitur. Sed de his fusiùs in Syntaxi. Hîc tantùm in genere hoc notare sufficit; regimen idem, ac ה indicativum valere, quando Genitivus, ut res nota, subintelligi potest, quod in Præpositionibus locum habere nequit.

Aliud exemplum Nominis Relativi.

Sing.		Plur.	
Nom. }	קֶדֶם *ante.*	Nom. }	קַדְמֵי *multò antè.*
Gen. }		Gen. }	
Dat.	לְקֶדֶם	Dat.	לְקַדְמֵי

Acc.

	Sing.	Plur.
Acc.	קֶדֶם	קַדְמֵי
Abl.	מִקֶּדֶם	מִקַּדְמֵי *ab omni ante:*

Prov. 8. מִקַּדְמֵי אֶרֶץ significat *ab omnibus anteitatibus terræ.*

Aliud Nominis Relativi.

חוּץ *foras.*

מְחוּץ *pars, quæ foras respicit.*

Declinatur ut nomen, hoc modo.

Nom. } מְחוּץ *de* τῷ *foras.*
Gen. }
Dat. אֶל מְחוּץ *ad* τὸ, *de* τῷ *foras* &c.
Acc. מְחוּץ
Abl. בְּמְחוּץ & sic de reliquis.

Exempl. Infinitivi.

Nom. } פָּקוֹד τὸ *visitare.*
Gen. }
Dat. לִפְקוֹד
Acc. פָּקוֹד
Abl. בִּפְקוֹד
כִּפְקוֹד
מִפְקוֹד

Participia declinantur sicut Adjectiva.

Exempla Adverbii.

Nom. } לֹא *non.*
Gen. }
Dat. לְלֹא *ad* τὸ *non.*
Acc. לֹא
Abl. מִלֹּא *de* τῷ *non.*

Aliud Adverbiorum exemplum.

Nom. }
Gen. } מָתַי *Quando.*
Dat. לְמָתַי *ad* τὸ *quando*, hoc est, *in id tempus.*
Acc. מָתַי
Abl. מִמָּתַי &c.

Nom. }
Gen. } חִנָּם *frustra.*
Dat. אֶל חִנָּם *ad* τὸ *frustra* &c.

Nom. }
Gen. } עוֹד *adhuc,*
Dat. לְעוֹד *ad* τὸ *adhuc.*
Acc. עוֹד
Abl. מֵעוֹד בְּעוֹד *de & in* τῷ *adhuc* hoc est, *in tempore, à tempore.*

Exem-

Exemplа Adverbii.

Nom. } טֶרֶם
Gen. }
Dat. לְטֶרֶם *ad τὸ vix, nondum.*
Acc. טֶרֶם
Abl. בְּטֶרֶם / מִטֶּרֶם / *de, in τῷ nondum*, id eſt, *in*, vel *à tempore, quo nondum*, &c.

His exemplis poteſt unuſquiſque facilè videre, quâ ratione omnia Nomina, cujuſcunque generis ſint, declinantur. Sed notandum, caſuum Præpoſitiones eleganter omitti, quando de ſenſu non poſſumus ambigere, ut Proverbiorum 22. verſ. 21. לְהָשִׁיב אֲמָרִים אֱמֶת לְשֹׁלְחֶיךָ / *ad referenda dicta cum veritate eis, qui te miſerunt.* Nam quandoquidem אֲמָרִים in ſtatu abſoluto eſt, non poteſt Genitivus אֱמֶת ab eo regi; ſed neceſſariò à præfigendâ Præpoſitione בְּ, quæ hîc omittitur. Sic 1 Reg. 2. verſ. 7. וְהָיוּ בְאֹכְלֵי שֻׁלְחָנֶךָ *& erunt ex comedentibus (τῆ ad) menſam tuam*; ubi etiam Præpoſitio אֶל vel עַל in Genitivo, recto à Regimine Participii, ſubintelligitur, & ad hunc modum plura, de quibus in Syntaxi ex profeſſo.

CAP. X.

De Præpoſitione, & Adverbiis.

DIximus ſuprà capite 5. Præpoſitiones eſſe Nomina, quibus ſignificatur, quam relationem unum individuum ad aliud habeat. Diximus deinde, quòd una, eademque relatio tam Singulari, quàm Plurali numero exprimatur. Primum quod attinet, quòd ſcilicet Præpoſitiones Nomina ſint, ſatis ex præcedentibus duobus capp. conſtare jam credo. At quòd Pluralem etiam habeant numerum, multis forſan abſurdum

videbitur ; ſed quidni, cùm reverâ ſint Nomina? At dices, relationes non eſſe ſpecies, quæ plura individua ſub ſe habent, adeoque hoc cum Nomine proprio commune habere, quòd careant Plurali. Sed eſto: non dentur uniùs ſpeciei plures relationes, Præpoſitiones tamen ex Singulari in Pluralem numerum flectuntur. Quomodò autem id fieri poſſit, paucis hic explicare conſtitui.

Quamvis Præpoſitiones plures relationes ſimul indicare non poſſint, quædam tamen ex Singulari in Pluralem flectuntur, idque tam in ſtatu abſoluto, quàm in ſtatu Regiminis: at Præpoſitiones in ſtatu abſoluto nihil ſunt, quàm ipſæ relationes abſtractè conceptæ, ſive expreſſæ; ſed tum non tam relationem, quàm locum, vel tempus cum relatione ad aliquam rem exprimunt. Ex. gr. ex בֵּין *inter* fit in Plurali בֵּינוֹת, quod quidem non relationem unius individui ad aliud, ſed loca aliis intermedia ſignificat, (quâ de re vide Ezech. cap. 10. 2.) vel, ut dixi, eſt ipſa Præpoſitio, ſeu relatio abſtractè concepta, ut, ex אַחוֹרִים *poſteriora*, vel invito Latino vocabulo, *poſterioritates*: ad cujus modum plures tam Præpoſitiones, quàm Adverbia formari poſſunt, quamvis in Scripturâ nunquam ſic formata reperiantur.

Porrò ipſæ etiam Præpoſitiones in ſtatu Regiminis, hoc eſt, quatenus relationes indicant, tam in Singulari, quàm in Plurali declinantur, quod fit, quia vel relatio multoties concipi, vel quia intenſiùs exprimi debet. Ex. gr. אַחַר *poſt* habet in Plurali אַחֲרֵי, quod ſignificat *multùm poſt*, quemadmodum Rabbini optimè notârunt. Sic אֶל *ad* habet in Plurali אֵלֵי *multùm ad*, hoc eſt, quantum fieri poteſt, ad illam partem ivit: ſic ex עַל *ſupra* fit עֲלֵי, & ex עַד *uſque* עֲדֵי. Hinc עֲדֵי עַד *in æternum* ſignificat, hoc eſt, omnia, quæ concipi poſſunt, uſque ad uſque; ſic מִקַּדְמֵי אָרֶץ ſignificat *ab omni ante terræ*, & ad hunc modum

modum omnes ferè Præpoſitiones tam in Singulari, quàm in Plurali numero declinari poſſunt.

At לִפְנֵי *ante*, quæ Præpoſitio Singularem non habet, ex his excipienda eſt. Nam hæc nullâ aliâ de cauſâ in plurali declinatur, quàm quia formatur à Subſtantivo פָּנִים *facies*, ſive *anteriora*, quod Singulari caret.

Denique Adverbia Nomina etiam eſſe diximus, quibus actio quæcunque determinatur, ratione modi, temporis, loci, agentis, ordinis, &c. Ex. gr. *benè*, *malè*, *feſtinanter*, *cras*, *heri*, *intus*, *foras*, *ſimul*, *primò*, *ſecundò*, &c. atque hæc plurali numero carere ratio indicat. Nec poſſunt, ſicut Præpoſitiones abſtractè concipi, ut per ſe notum eſt; & quamvis Latini etiam Adverbia ſæpe intendant, ut *perbenignè*, *multò manè*, &c. adeoque hâc de cauſâ etiam deberent apud Hebræos in Plurali numero, ut Præpoſitiones ſolent, exprimi, hoc tamen Hebræis abſurdum videretur. Nam Præpoſitiones, quia relationes indicant, poſſunt, ut Nomina Subſtantiva attributa habere, ſive intenſiùs exprimi; at Adverbia, quia actionis modi ſunt, Adjectiva quaſi Verborum ſunt; eadem igitur intendere nihil aliud eſſet, quàm attributorum attributa excogitare, ſive Adjectivis Adjectiva addere. Deinde Adverbia, quia, ut dixi, Verborum quaſi Adjectiva ſunt, debent numero cum ſuo Subſtantivo, hoc eſt, cum ſuo Verbo, quod non niſi Singularem habet, convenire. Ad hæc ergo ſignificanda, *multò manè*, *perbenignè*, &c. Hebræi multò convenientiùs Verba ipſa intendunt, vel loco unius Adverbii Verbum, aut Nomen uſurpant. Ex. gr. *multò manè ſurrexit* exprimitur Hebraicè, *matutinavit admodùm ad ſurgendum*, & *perbenignè egit*, *benignus admodum egit*, ut in Syntaxi ſuo loco explicabimus.

Sed notandum, quòd Adverbia, ſicut Subſtantivorum Adjectiva, aliquando ſubſtantivantur. Verùm neque hæc in Pluralem flecti; ſed tantùm repeti ſolent, ut מַעְלָה מַעְלָה *ſurſum*

ſurſum, hoc eſt, *ad ſummum uſque gradum*, contrà מָטָּה מָטָּה *infrà infrà*, ſignificat *ad infimum uſque gradum.* Sic מְאֹד ſignificat *admodùm*, & מְאֹד מְאֹד *ſummo gradu*, *admodùm*, & *nimis*; ſic מְעַט *parùm*, מְעַט מְעַט *paulatim*, & ad hunc modum alia.

CAP. XI.

De Pronomine.

ANtequam ad Conjugationes tranſeam, neceſſe eſt, ut de Pronomine agam. Nam abſque his illæ vix tradi poſſunt. Quid Pronomen ſit, & in quot genera diſtinguatur, notum omnibus eſt; quomodò autem ex Singulari in Pluralem numerum flectantur, & maſculina à fœmininis diſtinguantur, & declinentur, ordine hîc tradam.

Pronomina Primitiva.

Sing.		Plural.	
ego	אֲנִי / אָנֹכִי	אֲנַחְנוּ / נַחְנוּ / אָנוּ	*nos* — Communis eſt generis, ut ubique prima perſona, quia loquens ipſe ſe ſatis indicat, num mas vel fœmina ſit.
tu	אַתָּה maſc. gen.	אַתֶּם	*vos.* maſc.
tu	אַתְּ fœm. gen.	אַתֶּן	*vos* f. & cum ה paragog. אַתֶּנָּה
ille	הוּא	הֵם	*illi* m. & cum ה parag. הֵמָּה
illa	הִיא	הֵן	*illæ* f & cum ה parag. הֵנָּה

Harum itaque Pluralis terminatio à communi multùm differt. Nam maſculina non deſinunt in ים, nec fœminina in ות. Fœmininorum deinde terminatio in his alia etiam eſt, quàm Adjectivorum. Denique fœmininum אַתְּ videtur etiam fuiſſe אַתִּי, & הִיא fuiſſe הוּא à maſculino aliis vocalibus diſtinctum. Nam in Bibliis ſæpius ſic ſcripta reperiuntur, quæ Maſorethæ ubique corrigunt, ſine dubio, quia obſolcta erant.

Indi-

Indicativa, vel Demonſtrativa.

hic { זֶה, זֹה, לָזֹ } *hæc* { זֹה, זֹאת, זוֹ } carent plurali.

hi, hæ { אֵלֶּה, אֵל } carent ſingulari.

Pro Relativo tam Singulari, quàm Plurali inſervit ה Indicativum, vel ejus loco שֶׁ ſervato in ſequenti dageſch; ſed frequentiùs in Bibliis reperitur אֲשֶׁר.

Poſſeſſiva ſeparata non dantur; ſed Regimini Nominis affiguntur, hoc modo.

Exemplum Nominis Subſtantivi דָּבָר Verbum, *ex cujus Regimine* דְּבַר *fit*

Tam Nominis quàm affixi Sing.

דְּבָרִי		*Verbum mei & meum.*
דְּבָרְךָ	אתנח	*tui.* m. g.
דְּבָרֵךְ	סילוק	
דְּבָרֵךְ	&	f. g.
דְּבָרוֹ		*ejus.* m. g.
דְּבָרָהּ		f. g.

Pluralis affixi.

דְּבָרֵנוּ	*noſtri*
דְּבַרְכֶם	*veſtri.* m. g.
דְּבַרְכֶן	f. g.
דְּבָרָם	*eorum.* m. g.
דְּבָרָן	f. g.

Ex Regim. Plur. דִּבְרֵי fit	דְּבָרַי	*Verba mei & mea.*	
NB. ־ ſub ר non dari, niſi	דְּבָרְךָ	*tui.*	m. g.
quando accentus eſt אַתְנַח	דְּבָרֵךְ		f. g.
vel סִילוּק, aliàs loco ־ pun-	דְּבָרוֹ	*ejus.*	m. g.
ctatur cum pathagh.	דְּבָרָהּ		f. g.

Pluralis Nominis & affixi pl.

NB. Secunda & tertia	דְּבָרֵינוּ	*Verba noſtri & noſtra.*	
perſona, quando nomen	דִּבְרֵיכֶם	*veſtri.*	m. g.
eſt Plurale, ſemper Regi-	דִּבְרֵיכֶן		f. g.
mini Pluralis adduntur.	דִּבְרֵיהֶם	*eorum.*	m. g.
	דִּבְרֵיהֶן		f. g.

Sic ex Regimine תְּפִלַּת *oratio alicujus* fit תְּפִלָּתִי תְּפִלָּתְךָ, &c. & in Plurali תְּפִלּוֹתַי, &c. Sic ex בֵּית Regimine Nominis ſubſtantivi בַּיִת *domus* fit בֵּיתִי *domus mea*, & ex Regimine Plurali בָּתֵּי fit בָּתֶּיךָ *domûs tuæ*, &c.

Exempla Participii ſingularis tam Nominis, quàm Affixi.

Exemplum Maſculini פּוֹקֵד

	פּוֹקְדִי & פּוֹקְדֵנִי	*Viſitans mei & meus.*	
	פּוֹקִדְךָ	*tui.*	m. g.
	פּוֹקְדֵךְ		f. g.
	פּוֹקְדוֹ	*ejuś.*	m. g.
	פּוֹקְדָהּ		f. g.

Exem-

Exemplum Fœminini פְּקֻדֶּת

פְּקֻדָּתִי	*Viſitans mea.*	
פְּקֻדָּתְךָ	*tua.*	m. g.
תְּךָ		f. g.
פְּקֻדָּתוֹ	*Viſitans ejus.*	m. g.
תָּהּ		f. g.

Exempl. pl. m. פְּקֻדֵי

פְּקֻדַי	*Viſitantes mei.*	
פְּקֻדֶיךָ	*tui.*	m. g.
דֶיךָ		f. g.
פְּקֻדָיו	*ejus.*	

&c. ut in ſubſtant.

Exempl. pl. f. פְּקֻדוֹת

פְּקֻדוֹתַי	*Viſitantes mei.*	
פְּקֻדוֹתֶיךָ	*tui.*	m. g.
תֶיךָ		f. g.

&c. ut in ſubſtant.

Exempl. Regiminis Infinit. פְּקוֹד

k. gh.

פָּקְדִי	*Viſitare mei - meum*	
פָּקְדְךָ	*tui.*	m. g.
דְךָ		f. g.
פָּקְדוֹ	*ejus.*	m. g.
דָהּ		f. g.
פָּקְדֵנוּ	*noſtri.*	

k. gh.

פָּקְדְכֶם	*veſtri.*	m. g.
כֶן		f. g.
פָּקְדָם	*eorum.*	m. g.
דָן		f. g.

Exemplum Relativi בֵּין *ꝛò inter.* Sing.

בֵּינִי & בֵּינַי	*Inter mei & me.*	
בֵּינְךָ	*tui.*	m. g.
נְךָ		f. g.
בֵּינוֹ	*ejus.*	m. g.
נָהּ		f. g.
בֵּינֵנוּ	*Inter noſtri.*	
בֵּינְכֶם	*veſtri.*	m. g.

&c.

Exempl. Relativi. Plur.

בֵּינֵי	*ꝛà inter.*	
בֵּינָי	*Inter mei.*	
בֵּינֶיךָ	*tui.*	m. g.
בֵּינַיִךְ		f. g.
בֵּינָיו	*ejus.*	m. g.
בֵּינֶיהָ		f. g.
בֵּינֵינוּ	*noſtri.*	
בֵּינֵיכֶם	&c.	
בֵּינָן		
בֵּינֵיהֶם		
בֵּינֵיהֶן		

Sic

At אֶל *ad*, עַל *ſuper* אַחַר *poſt*, עַד *uſque* affixa non habent in Sing. in Pl. autem fit ex

עָדַי	אַחֲרַי	אֵלַי	עָלַי
עָדֶיךָ	אַחֲרֶיךָ	אֵלֶיךָ	עָלֶיךָ
&c.	&c.	אֵלָיו	
		אֵלֶיהָ	
		אֵלֵינוּ	
		&c.	

Sic ex ſing. & pl.

תַּחְתַּי	תַּחַת
תַּחְתֶּיךָ	Fit תַּחְתַּנִי
תַּחְתֶּיהָ	תַּחְתֵּךְ
תַּחְתֵּינוּ &c.	תַּחְתֵּךְ &c.

Præpoſitiones deinde inſeparabiles non habent Pluralem.

בְּ &	לְ		Ex מִן *de* fit	
בִּי *in mei,*	לִי *ad mei, me*		מִמֶּנִּי &	מִנִּי
& *me*			מִמֶּךָּ	
בְּךָ *tui*	לְךָ & לָךְ *mihi*		מִמֶּךָּ	
בָּךְ f. g.	לָךְ		מִמֶּנּוּ &	מִנְּהוּ & מֶנְּהוּ
בּוֹ *eo*	לוֹ		מִמֶּנָּה	
בָּהּ f. g.	לָהּ		מִמֶּנּוּ	
בָּנוּ	לָנוּ		מִמָּכֶם &	מִכֶּם
בָּכֶם	&c.		כֶּן	
כֵּן			מִמָּהֶם &	מֵהֶם & מִנָּהֶם
בָּהֶם			הֵן	הֵן	הֵן
הֵן				

Exem-

Exemplum Adverbii.

כְּמוֹ	*ſicut*,	אַיֵּה	*ubi?*	Ex הִנֵּה	*ecce* fit
כְּמֹנִי				הִנֶּנִי	
כָּמוֹךָ	אַיֶּכָּה &	אַיֵּךְ	*ubi tu?*	הִנְּךָ	
כָּמוֹנוּ		אַיֵּךְ	f. g.	הִנֵּנוּ	הִנּוֹ
&c.		אַיּוֹ	*ille.*		&c.
		אַיֵּכֶם	*vos.*		
		כֵּן	f.		
		אַיָּם	*illi.*		
		כֵּן	f.		

Ex Regimine deinde Adverbii אַיִן non, *quòd diximus eſſe* אֵין *fit*

אֵינֶנִּי	*non mei* i. e. *ego.*		אֵינֵנוּ	*non noſtri* i. e. *nos.*	
אֵינְךָ	*tui*	m.	אֵינְכֶם		m.
אֵינֵךְ		f.	כֵּן		f.
אֵינֶנּוּ & אֵינֵנוּ	*ejus.*	m.	אֵינָם &		m.
אֵינָהּ & אֵינֶנָּה		f.	הֵן		f.

Ex עוֹד *adhuc* fit

עוֹדִי	*adhuc*	*ego.*	עוֹדֵנוּ	*adhuc*	*nos.*
עוֹדְךָ	m.	*tu.*	עוֹדְכֶם		*vos.*
עוֹדֵךְ	f.		כֵּן	f.	
עוֹדֶנּוּ & עוֹדֵנוּ	m.	*ille.*	עוֹדָם	m.	*illi.*
עוֹדָהּ & עוֹדֶנָּה	f.		דֵּן	f.	

Et ad hunc modum reliqua. Quòd autem vocales Regiminis non retineantur; ſed variis modis mutentur, id fit, quia

Nomina ſyllabâ ad minimum unâ, eâque longâ augèntur, quæ accentum ad ſe trahit; quæ unica eſt cauſa, cur vocales, ob additam Pluralis Numeri cum accentu aliam longam, in breviſſimas mutentur: nam aliàs, ſi nimirùm דָּבָר haberet in Plurali דְּבָרִים, & ſic reliqua, deberent neceſſariò duplici accentu (ut conſtat ex iis, quæ Cap. 4. oſtendimus) notari, & prior ſyllaba produci, quòd tam frequenter non poſſet ſine magnâ moleſtiâ fieri.

Hâc igitur de cauſâ mutationum, quæ ſuffixa vocalibus adferunt, regulas, tam mutationes Pluralium, quàm Regiminis ſequuntur. Fateor quidem, ob additum ſuffixum cum accentu potuiſſent ubique vocales ſecundùm regulas Pluralis Regiminis mutari; nec facilè cauſam dixero, cur id non fuerit factum. Nam ſicut ex מַלְכֵי Regimen Pluralis Nominis מֶלֶךְ fit מַלְכִי *rex mei*, ſic etiam ex דִּבְרֵי Regimen Pluralis Nominis דָּבָר fieri potuiſſet דִּבְרִי *verbum mei*, & non ex abſoluto דְּבָרִים facere דְּבָרִי; quandoquidem Nomen cum affixo habet reverâ Regiminis ſignificationem. Scio quidem hâc ratione non rarò vitari amphiboliam, quæ ſæpe oriretur, ſi ubique regulas Regiminis ſequerentur. Nam ſi ex דִּבְרִי *verbum mei*, & זִכְרֵי Regimen Pluralis זָכָר *mas* fieret זִכְרִי confunderentur hæc Nomina cum דֶּבֶר *peſtis*, & זֵכֶר *memoria*, ita ut דִּבְרִי videretur *peſtis mei*, & זִכְרִי *memoria mei*, & ad hunc modum plura alia Nomina confunderentur, ſi Nomina ob additum ſuffixum Regiminis Pluralis regulas ſequerentur. Et quamvis hæc ratio pondus habere videatur, non tamen certò affirmare audeo, Hebræos hanc confuſionem effugere voluiſſe. Nam Hebræi de nullâ re minus ſolliciti videntur fuiſſe, quàm de vitandâ amphiboliâ, quòd plurimis exemplis hîc oſtenderem, niſi hoc ſuperfluum exiſtimarem. Quare faciliùs crederem, ſuffixa Regimini Nominis tam Singulari, quàm Plurali addi, &

דְּבָרִי *verbum meum*, זְקָנִי *barba mea*, &c. formari ex דְּבַר, & זְקַן Regimine ſcilicet Singulari ex דָּבָר, & זָקָן, & tamen ă khamets ſtatûs abſoluti retineri, quia penultima ante ghirekh, & gholem debet eſſe kamets, niſi Nomen ſit מִלְּעֵיל, ut זַיִת *oliva*, בַּיִת *domus*, vel quòd litera ghirekh, vel gholem punctanda, punctum דָּגֵשׁ habeat, ut סַפִּיר *ſapphirus*, רַהוֹק *catena*. Sic etiam ex Regimine חֲצַר *atrium* fit חֲצֵרוֹ *atrium ejus*, retento ſcilicet tſere ſtatûs abſoluti חָצֵר; quia, ut diximus, penultima ante gholem, & ghirekh non poteſt eſſe pathagh: & ad hunc modum omnia, quorum ultima Regiminis eſt pathagh, & penultima ſcheva, ſtatûs abſoluti ultimam in ſuffixis retinent: Quòd ſi penultima Regiminis non fuerit ſcheva; ſed una ex iis, quæ in Plurali retinentur, nempe pathagh, gholem abſque accentu, ghirekh, &c. tum ſuffixa ſecundùm regulas Regiminis Pluralis Nominibus adduntur, ut ex פִּקְדֵי Regimen Pluralis Participii פָּקֵד fit פּוֹקְדִי *viſitans meus* & ex מַקְלוֹת Regimen Pluralis Subſtantivi מַקֵּל fit מַקְלִי *bacillum meum*, &c.

Porrò monoſyllaba etiam ob additum ſuffixum Regiminis Pluralis regulas ſequuntur. Nam ex שָׂרֵי, חֲצֵי, עֲדֵי, &c. Regimina Pluralis Nominum שַׂר *princeps* חֵץ *ſagitta*, עֵד *teſtis*, &c. fit שָׂרַי, חֲצִי, עֲדִי &c.

Nomina deinde, quæ ſunt מִלְּעֵיל, quia accentus, uti diximus, ad additum ſuffixum tranſit, Regimen etiam Pluralis Numeri ſequi debent. Hujus notæ ſunt omnia, quorum penultima eſt ſegol, vel gholem ante ſegol. Hinc ex זִבְחֵי צִדְקֵי מַלְכֵי Regimen Pluralis Subſtantivi זֶבַח צֶדֶק מֶלֶךְ fit מַלְכִּי *rex meus*, צִדְקִי *juſtitia mea*, & זִבְחִי *ſacrificium meum*, & ex אָזְנֵי Regimen Pluralis Subſtantivi אֹזֶן fit אָזְנִי *auris mea*, & ad hunc modum ex Regimine Pluralis Subſtantivi אֹרֶךְ רֹחַב גֹּדֶל &c. fit גָּדְלִי *magnitudo mea*, רָחְבִי *latitudo mea*, אָרְכִּי *longitudo mea*, &c.

Nominibus præterea, quæ in ה desinunt, & quæ ipsum in ת, & præcedentes duas syllabas in segol mutare solent, nulla, nisi in hanc secundam formam mutatis, affixa adjunguntur, mutando utrumque segol eodem modo, ac præcedentia. Ex gr. pro תִּפְאָרָה *gloria*, עֲטָרָה *corona*, גְּבִירָה *domina*, &c. usurpatur sæpe eleganter תִּפְאֶרֶת, עֲטֶרֶת, גְּבֶרֶת, quæ propterea suffixa non nisi in hâc secundâ formâ habent, mutato scilicet utroque segol eodem modo, ac Nomina, quæ geminum habent segol in Regimine Pluralis solent, quòd scilicet primum in pathagh, vel ghirekh, secundum in scheva mutant; fit ergo ex תִּפְאֶרֶת, תִּפְאַרְתִּי, *gloria mea*, & ex עֲטֶרֶת, עֲטַרְתִּי *corona mea*, ex גְּבֶרֶת, גְּבַרְתִּי *domina mea*. Sic quoniam pro קְטוֹרָה sumitur קְטֹרֶת suffixa in hâc formâ habet, ut Nomina, quorum penultima est gholem, quòd ipsum in ghateph khamets mutant, fitque קִטָּרְתִּי *suffumigium meum*: atque hinc fit, ut Participia in formâ פּוֹקְדָה, suffixa non habeant; sed tantummodò in פּוֹקֶדֶת, ut jam in exemplo Participii ostendimus.

At reliqua, quæ in ה desinunt, nec ut præcedentia mutari solent, mutant affixum ה tantummodò in ת, ut in Regimine solent, præterquam quòd ultimum ־ khamets, ob jam dictam causam, retinetur, nec in ־ pathagh, ut in Regimine, mutatur. Sic ex תְּפִלָּה, cujus regimen est תְּפִלַּת, fit תְּפִלָּתִי *oratio mea*, & ex בַּקָּשָׁה, cujus regimen est בַּקָּשַׁת, fit בַּקָּשָׁתִי *petitio mea*, & ad hunc modum reliqua Regimini Singularis adduntur.

Quæ deinde in ה desinunt, quod in Regimine retinetur, omittunt plerumque ipsum in suffixis, ut שָׂדֶה *ager*, שָׂדְךָ *ager tuus*, מַעֲשֶׂה *opus*, מַעֲשִׂי *opus meum*, & sic reliqua, quorum Regimen non mutat ה in ת. Dixi quidem ה plerumque, non autem absolutè omitti, quia in tertiâ personâ retineri solet, ut שָׂדֵהוּ *ager ejus*, מַעֲשֵׂהוּ *opus ejus*, &c. Hæc de modo, quo

suffixa

ſuffixa Nominibus Singulari ſignificatione acceptis adduntur, quomodò iiſdem Plurali ſignificatione acceptis addantur, paucis jam dicam.

Nominibus Pluralibus, quæ in וֹת deſinunt, abſque ullâ Regiminis mutatione ſuffixa tam Singularia, quàm Pluralia, tamque primæ, quàm ſecundæ, & tertiæ perſonæ adduntur, ex. gr. בְּרָכָה *benedictio* habet in Plurali בְּרָכוֹת, cujus regimen eſt בִּרְכוֹת, atque hinc fit בִּרְכוֹתַי / בִּרְכוֹתֶיךָ / בִּרְכוֹתָיו *benedictiones meæ, tuæ, illius*, &c. Sic אֹרַח *via* habet in Plurali אֹרְחוֹת, ejuſque Regimen eſt אָרְחוֹת, atque hinc אָרְחוֹתַי / אָרְחוֹתֶיךָ *viæ meæ, tuæ*, &c. atque ad hunc modum reliqua, quæ in וֹת deſinunt.

At quæ in ים. deſinunt, quæque Regimen Singularis ſequuntur, idem etiam in Plurali retinent, quando ſuffixum Singulare eſt, vel primæ perſonæ Plurale; ſed ſuffixa ſecundæ, ac tertiæ perſonæ Pluralia Regimini Plurali abſque ullâ ejuſdem mutatione adduntur, ut in primo exemplo Nominis Subſtantivi דָּבָר oſtendimus.

Denique quæ in Singulari Regimen Pluralis ſequuntur, ut מֶלֶךְ / זֶבַח / שֹׁמֶן, &c. iis in Plurali ſuffixa adduntur, ut quæ geminum habent kamets. Nam מֶלֶךְ habet in Plurali מְלָכִים, ut דָּבָר / דְּבָרִים. Atque hinc fit כְּלָבַי / מְלָכֶיךָ / מְלָכָיו / מַלְכֵיהֶם, &c. ut in דָּבָר. Sic etiam שֹׂרֶשׁ *radix* habet in Plurali שָׁרָשִׁים, ex quo fit שָׁרָשַׁי / שָׁרָשֶׁיךָ / שָׁרָשָׁיו retento ſcilicet ubique duplici khamets, & duplicato propterea accentu. Hæc de Poſſeſſivis Pronominibus.

Supereſt ut de Declinatione Pronominum pauca etiam addam, ex quibus, præter Indicativa, & Relativum אֲשֶׁר, *qui, quæ, quòd*, & *qui, quæ, quæ*, ut & שֶׁ, nulla declinantur: compenſantur tamen hoc modo.

Nom.

הוּא	אַתָּה	אֲנִי
ille	*tu*	*ego*

Dat.

לוֹ	לְךָ	לִי
illi	*tibi*	*mihi.*

Accusativus suppletur particula אֵת hoc modo.

אֹתוֹ	אֶתְכָה	אֹתִי
illum	*te*	*me*

Abl.

בּוֹ	בְּךָ	בִּי
in eo	*in te*	*in me.*

& ad hunc modum in Plurali.

Indicativa Declinantur, ut Nomina.

Sing.

Nom. Gen.	זֶה & הַזֶּה	*hic.*
Dat.	לָזֶה	
Acc.	הַזֶּה	
Abl.	בָּזֶה מִזֶּה &c.	

Plur.

Nom. Gen.	זֹאת & הַזֹּאת	*hæc.*
Dat.	לָזֹאת & לְזֹאת	

Nom. Gen.	הָאֵלֶּה & אֵלֶּה	*hi, hæ, hæc*
Dat.	לָאֵלֶּה	לְאֵלֶּה

Relativum.

אֲשֶׁר & שֶׁ

Nom. Gen.	אֲשֶׁר	Nom. Gen.	שֶׁהָיָה *qui fuit.*
Dat.	לַאֲשֶׁר	Dat	לְשֶׁהָיָה
&c.		&c.	

CAP. XII.

De Nomine Infinitivo, nempe de variis ejus Formis, & Speciebus.

NOmina Infinitiva, sive actionum, exprimunt actionem, vel ad agentem relatam, vel ad patientem. Nam *τὸ visitare alicujus* ad agentem & *τὸ visitari alicujus* ad patientem refer-

refertur. Deinde hæc Nomina actionem, ſive ad agentem, ſivè ad patientem relatam ſimpliciter, vel intenſivè exprimunt, ut, *viſere* & *viſitare*, *frangere* & *confringere*, quorum primum ſimplicem actionem *viſendi* & *frangendi*, ſecundum autem affectum præterea, vel frequentem actionem *viſendi* & *frangendi* exprimit.

Formulæ Hebræorum, quibus actionem ad agentem relatam ſimpliciter exprimunt, ſunt פָּקוֹד, פִּקֵּד, פָּקֵד & פָּקַד, quarum Regimina (uti diximus cap. 8.) ſunt פְּקוֹד & פִּקֵּד. Quæ autem actionem ad patientem relatam ſimpliciter exprimunt, ſunt נִפְקוֹד, הִפָּקֵד & הִפָּקוֹד. Actionem deinde cum relatione ad agentem intenſivè, vel frequentativè exprimunt hæ פִּקֵּד, פַּקֵּד & פָּקוֹד: quæ formulæ in hoc præcipuè à primis diſtinguuntur, quòd ſecunda litera duplicatur, quæ propterea punctum דָּגֵשׁ ubique habent. Denique actio intenſivè expreſſa, & ad patientem relata per ֫ & gholem, retento in ſecundâ literâ dageſch, exprimitur in S. Scripturâ, ut גָּנֹב.

Solent præterea Hebræi actionem ad cauſam principalem referre, quæ ſcilicet efficit, ut actio aliqua ab aliquo fiat, vel ut res aliqua ſuo officio fungatur, ex. gr. פָּקוֹד ſignificat *viſitare*, הַפְקִיד, הַפְקֵד vel הִפְקִיד ſignificat *conſtituere aliquem viſitantem*. Sic מָלוֹךְ ſignificat *regnare*, הַמְלִיךְ, &c. *conſtituere aliquem regnantem* ſivè *regem*. Sic ex אָכוֹל *comedere*, fit הַאֲכִיל *facere*, *ut aliquis comedat*, & ex בוֹא *venire* fit הָבִיא *facere venire*, ſive *adducere*. יָדוֹעַ *ſcire* הוֹדִיעַ *facere ut ſciat*, ſive *revelare*, atque hæc in formâ paſſivâ habent הָפְקֵד *Conſtitui*, *ut viſitaret*, הָמְלַךְ *Conſtitui*, *ut regnaret*, &c.

Nec tantum Nomina actionum, ſed etiam rerum eodem hoc modo ad cauſam referuntur, quæ efficit, ut dixi, ut res ſuo officio fungatur. Sic ex מָטָר *pluvia* fit הַמְטִיר *facere*, *ut pluvia ſit*,

ſit, ſive *ut pluat*, & ex אֹזֶן *auris* ſit הַאֲזִין *facere, ut auris ſuo officio fungatur*, hoc eſt *auſcultare*, & ex שָׁלוֹם *pax* ſit הַשְׁלִים *ſtatuere pacem* ſive *ſtabilire*, & ad hunc modum plura.

Species igitur Infinitivorum quatenus ad agentem ſolum, vel ad patientem referuntur ſunt ſex. Videlicet Prima פָּקוֹד, &c. *viſitare*. Secunda הִפָּקֵד, נִפְקוֹד, &c. *viſitari*. Tertia פַּקֵּד, &c. *frequenter viſitare*. Quarta פֻּקֹּד *frequenter viſitari*. Quinta הַפְקִיד, &c. *efficere, ut aliquis viſitet*, ſivè *conſtituere aliquem viſitantem*. Sexta denique הָפְקֵד *conſtitui viſitans*. Atque hæ, ut diximus, ſpecies actionem, vel ad ſolum agentem, vel ad ſolum patientem relatam exprimunt.

Sed quia ſæpe evenit, ut agens, & patiens una, eademque perſona ſit, neceſſe fuit Hebræis novam, & ſeptimam Infinitivorum ſpeciem formare, quâ actionem exprimerent ad agentem, & patientem ſimul relatam, hoc eſt, quæ formam activi, & paſſivi ſimul haberet. Ex. gr. *viſitare me ipſum* non poteſt Hebraicè ullo Pronominum genere exprimi: nam פָּקֹד אוֹתִי ſignificat *τὸ viſitare alterius me* hoc eſt, *quòd aliquis me viſitat*, & פָּקְדִי vel פָּקוֹדִי *τὸ viſitare mei alterum* hoc eſt, *quòd ego alterum viſito*. Ideoque neceſſe fuit aliam Infinitivorum ſpeciem excogitare, quæ actionem exprimeret ad agentem, ſivè cauſam immanentem relatam, atque hanc exprimere ſolent præponendo Tertiæ illi dageſchatæ ſyllabam הִתְ ut הִתְפַּקֵּד quòd, ut diximus, ſignificat *ſe ipſum viſitare*, vel *conſtituere ſe viſitantem*, vel denique *præbere ſe viſitantem*, ut fuſiùs in Syntaxi explicabimus.

CAP. XIII.

De Conjugatione.

HUc uſque Nominis Infinitivi, quatenus ſine ullâ ad tempus relatione exprimitur, mutationes oſtendimus: quas habet

habet vel propter Regimen, vel ob additam Præpoſitionem, vel propter ſuffixa, vel denique propter variam ſignificationem, quâ uſurpari ſolet. Supereſt, ut reliquas ejus mutationum cauſas, & quæ huic Nominum Generi ſingulares ſunt, explicemus. Quòd Nomina Infinitiva ratione temporis, ad quod referuntur, & modi, quo exprimuntur, diverſis modis varient, omnibus linguis commune eſt, & quia iis tantùm, qui in aliis linguis verſati ſunt, ſcribo, mitto hîc explicare, quid tempus, & quid modus ſit; ſed id tantùm, quod Hebræi hâc in re ſingulare habent, docebo.

Actiones ad nulla alia tempora referre ſolent Hebræi, quàm ad Præteritum, & Futurum. Cujus rei ratio videtur eſſe, quòd temporis non niſi duas has partes agnoverint, & quòd tempus præſens, veluti punctum, hoc eſt, veluti præteriti finem; & futuri initium conſideraverint; tempus, inquam, cum lineâ comparaſſe videntur, cujus nimirum puncta tanquam extremum unius, & principium alterius partis conſiderantur. Atque hæc tempora ſignis præcipuè perſonarum diſtinguuntur, eadem ſcilicet perſonarum ſigna poſtponendo, vel præponendo certis Infinitivi formulis. Dico *præcipuè*. Nam tertia perſona præteriti ex hoc ſolo dignoſcitur, quòd ſignum perſonæ nullum habet. Ex. gr. פָּקֹד פָּקֹד פָּקֹד פָּקֹד formulæ Infinitivorum primi generis ſunt, & vim Nominis Subſtantivi habent; ſed in oratione ſolent ſæpè, ut Adjectiva, uſurpari, quæ cum ſuo Nominativo in genere, numero, & caſu conveniunt, & tum actionem ſignificant ad tempus præteritum relatam. Nam הוּא פָּקַד / הוּא יָכוֹל / הוּא חָפֵץ ſignificant, *ille viſitavit*, *ille potuit*, *ille voluit*; ſed הִיא פָּקְדָה / הִיא יְכֹלָה / הִיא חָפְצָה ſignificant, *illa viſitavit*, *illa potuit*, *illa voluit*. Unde patet, Infinitivorum formulas eſſe veluti Adjectiva ſubſtantivata; ſed quando tempore, & perſonâ determinantur, veluti Ajectiva eſſe, quæ cum ſuo Nominativo, tanquam cum Subſtantivo, convenire debent, ut diximus, genere, numero, & caſu.

Hæc igitur tertia perſona Præteriti Maſculini generis per hoc tantùm cognoſcitur, quòd characteriſticâ perſonæ ſolâ careat; reliquæ autem ſcilicet prima, & ſecunda ſingulares habent characteriſticas, quæ his formulis poſtponuntur, ut פָּקַדְתָּ *tu vir viſitaviſti*, פָּקַדְתְּ *tu fœmina viſitaviſti*, & פָּקַדְתִּי *ego viſitavi*, &c. ut in ſequentibus videbitur.

Porrò formulæ Regiminis Infinitivi ſunt פְּקֹד, & פִּקַּד, atque his characteriſticis perſonarum præpoſitis, & ut Adjectivis, ut in præterito uſurpatis, futurum indicant, ut אֶפְקֹד, vel אֲפַקֵּד *ego viſitabo*, תִּפְקֹד *tu viſitabis*, &c. ut etiam in ſequentibus videbitur. Hæc de Infinitivis, quatenus ad certum tempus referuntur.

Videamus jam, quasnam mutationes hæc Nomina patiantur, quatenus hoc, aut illo modo exprimuntur. Sed neque de his multopere ſolliciti fuerunt Hebræi. Nam ſicut Caſus ſolis Præpoſitionibus, vel orationis conſtructione, ſic etiam Modi plerumque ex ſolis Adverbiis quibuſdam dignoſcuntur. Et ſanè Nomina ob caſuum differentiam mutare, omnes ferè nationes, ut rem omninò ſuperfluam, neglexerunt: diſtinctiones etiam Modorum omninò ſuperfluæ videntur. Nam nulla natio, quod ſciam, Modum interrogativum ab indicativo Modo diſtinxit, nec tamen videmus ullam inde oriri confuſionem, ut nec apud Hebræos, dum ipſorum lingua floruit, ulla inde confuſio oriri potuit, quòd omnes, præter imperativum, Modi cum indicativo convenerint.

Hebræi igitur ſolum imperativum Modum à reliquis diſtinguunt, ſumendo ſcilicet regimen Infinitivi, illudque abſque ullo ſigno perſonæ, & ſine ullâ ad tempus relatione hoc modo flectendo, פְּקֹד vel פִּקַּד *viſita tu vir*, פִּקְדִי *viſita tu fœmina*, פִּקְדוּ *viſitate vos viri*, פִּקְדְנָה *viſitate vos fœminæ*. Sed hic Modus nimis imperioſus, nec ideo coram æquali, & multò minùs coram ſuperiore utendus; ſed ejus loco futurum uſurpare ſole-

mus

mus: unde affirmare licet, præteritum, & futurum, de quibus modò egimus, non magis indicativi, quàm reliquorum Modorum, quibus actio cum relatione ad tempus exprimi poteſt, eſſe.

His igitur cauſas omnes oſtendimus, propter quas Nomina Infinitiva diverſis modis mutantur, atque has mutationes cum reliquis *Conjugationes* vocabimus, & Nomina Infinitiva quatenus ſic conjugantur *Verba* appellabimus; de quarum Conjugationum numero pauca dicemus. Nam non omnia Infinitiva (quod vitium omnibus linguis commune eſt) eodem modo conjugantur.

Solent communiter Grammatici Conjugationes in ſeptem dividere, quia unius, ejuſdemque actionis tot Infinitivorum genera reperiuntur, ut cap. præced. oſtendimus. Verùm ſi hæc diviſio bona eſſet, tum Latini non niſi duas, activi ſcilicet unam & paſſivi alteram; at Græci tres haberent Conjugationes, nempe activi, paſſivi, & medii, & hâc ratione Verba Anomala cum Regularibus confunderentur, ut reverâ, vulgares Grammatici hunc ordinem ſequendo, faciunt.

Quòd ſi dicant, ſeptem illa Infinitivorum genera ſæpè eandem vim habere, adeoque non naturâ; ſed modo tantùm conjugandi differre: Latini ergo propter Verba Deponentia, quæ ſolo etiam modo conjugandi ab Activis differunt, duas tantùm haberent conjugationes.

Ut igitur eas faciliore ordine tradamus, ipſas in octo dividemus, quarum prima apud nos erit Verborum, quorum Infinitivus nullâ literâ gutturali, neque quieſcenti conſtat; ſecunda Verborum, quorum Infinitivus in א deſinit; tertia, quorum Infinitivus deſinit in ה; quarta, quorum Infinitivus deſinit in ח vel ע vel ר; quinta, quorum Infinitivus primam habet י; ſexta, quorum Infinitivus mediam habet quieſcentem ו, י vel א; ſeptima, quorum Infinitivus primam habet א, ה, ח, vel ע; octava, quorum Infinitivus mediam habet gutturalem ח, vel

י, vel non quieſcens א, vel ה. Atque hæc de Tempore, Modo, & Conjugatione in genere dicta ſufficere arbitror.

Sed multis forſan, qui aliis linguis aſſuefacti ſunt, abſurdum videbitur, quòd ego Verba ad præteritum, & futurum relata, vel in imperativo Modo Adjectiva eſſe dixerim, & quòd Infinitiva nihil mihi aliud ſint, quam Adjectiva ſubſtantivata. Atque hoc, inquam, abſurdum videbitur, quòd ſcilicet Nomina Accuſativum regunt. Verùm hoc naturæ Nominis non repugnare Hebræa lingua teſtatur, ubi etiam Nomina, quæ actionem in abſtracto exprimunt Accuſativum, vel caſum Verbi regunt. Ex. gr. *Amor Dei erga filios Iſraëlis* ſic in Scripturâ exprimitur אהבת יהוה את בני ישראל *amor Dei filios Iſraëlis*. Regit ergo Nomen *amor* accuſativum, ut ejus Verbum אהב *amare*, & ad hunc modum plura alia reperiuntur, de quibus in Syntaxi.

Sed hîc nequaquam prætereundum eſt, quòd hâc de cauſa, hæc ipſa Nomina pro Infinitivis ſumere liceat, לְאַהֲבָה אֶת יְהוָה *amori Deum*, pro *ad amandum Deum*, לְיִרְאָה אֶת יְהוָה *timori Deum*, pro *ad timendum Deum*, לְאַשְׁמָה בָּהּ *debito ineа*, & ad hunc modum plura.

CAP. XIV.

De primâ Verborum Conjugatione.

Paradigma
Verbi Activi ſimplicis.

EJus Infinitivi formulæ in ſtatu abſoluto, ut jam ſæpe diximus, ſunt פָּקֹד, פָּקֵד, פָּקֻד & פָּקֹד; in Regimine autem פְּקֹד & פְּקֵד. Ex abſoluto formatur præteritum hoc modo.

fœm.	masc.		fœm.	masc.
פָּקְדָה	פָּקַד	*ille visitavit.*	פָּקְדָה	פָּקַד
פָּקַדְתְּ	פָּקַדְתָּ	*tu visitavisti.*	פָּקַדְתְּ	פָּקַדְתָּ
	פָּקַדְתִּי	*ego visitavi*, com. gen.		פָּקַדְתִּי
	פָּקְדוּ	*illi visitaverunt*, com. gen.		פָּקְדוּ
פָּקַדְתֶּן	פָּקַדְתֶּם	*vos visitastis.*	פָּקַדְתֶּן	פָּקַדְתֶּם
	פָּקַדְנוּ	*nos visitavimus.*		פָּקַדְנוּ

פָּקְדִי & פָּקַד sequuntur in reliquis primam formulam פָּקַד.

Imperativus ex formulis Regiminis formatur hoc modo:

fœm.	masc.	
פָּקְדִי & פִּקְדִי,	פִּקֹּד vel פְּקֹד	*visita tu.*
פָּקֹדְנָה vel פִּקְדְנָה,	פִּקְדוּ vel פָּקְדוּ	*visitate vos.*

Ex Imperativo formatur Futurum hoc modo:

fœm.	masc.		fœm.	masc.
	אֶפְקֹד	*ego visitabo*, vel		אֶפְקַד
תִּפְקְדִי	תִּפְקֹד	*tu visitabis.*	תִּפְקְדִי	תִּפְקַד
תִּפְקֹד	יִפְקֹד	*ille visitabit.*	תִּפְקֹד	יִפְקַד
	נִפְקֹד	*nos visitabimus.*		נִפְקַד
תִּפְקֹדְנָה	תִּפְקְדוּ	*vos visitabitis.*	תִּפְקֹדְנָה	תִּפְקְדוּ
	יִפְקְדוּ	*illi visitabunt.*		יִפְקְדוּ

וַיִּשְׁרְנָה Dan. 8. 22. & 1 Sam. 6. 12. מַלְכִיּוֹת יַעֲמֹדְנָה ut & יִפְקֹדְנָה הַפָּרוֹת &c.

Annotationes ad Infinitivum.

Quòd Infinitiva, ut reliqua Nomina declinentur, suo loco ostendimus: hîc tantùm addo eorum casus non tantùm Insepa-rabilibus Præpositionibus ל, ב, כ, מ indicari; sed etiam qui-

buſcumque aliis, ut לִפְנֵי שָׁחֵת יְהוָה *ante & perdere Dei Sodomam*, hoc eſt, *antequam perderet*, עַד אָבוֹד *uſque ꝛc̃ perire*, pro *donec perierint*, &c.

Quòd præterea uniuscujuſque Verbi tot Infinitivi formulæ fuerint, inde patet, quòd unum, idemque Verbum jam hâc, jam illâ formulâ uſurpatur, ut גָּדֵל Num. 6. 5, & גָּדוֹל, 2 Sam. 5. 10, *creſcere*, דִּבֵּר & דַּבֵּר *loqui*, & ad hunc modum alia, adeoque, quamvis (reperitur Jeſ. 47. 14 לַחֲמָם) in Scripturâ nullibi reperiatur Infinitivus cum gemino ⸗ khamets, non tamen dubito, quin Hebræi hanc, & omnes, quas dixi, Infinitivi formulas habuerint. Nam, uti dixi, Verba apud Hebræos Adjectiva ſunt, quæ cum ſuo Nominativo in Genere, Numero, & Caſu conveniunt; atque hæc Adjectiva abſolutè abſque Nominativo, veluti Subſtantiva, ſed quæ nullius ſunt generis, uſurpata Infinitivum indicant. Quamcunque itaque tam præteriti, quàm imperativi formam abſolutè abſque Nominativo ſumas, Infinitivum exprimes. Imò ipſa etiam Participia, ut ſuo loco oſtendam, Subſtantiva reddere, & pro Infinitivo ſumere licet. NB. בַּהֲתִימְךָ שֹׁדֵד Eſai. 33. 1.

Solent præterea Infinitivum literâ paragogicâ ה augeri, quæ in Regimine mutatur in ת. Nam ex קָרוֹב fit קָרְבָה *appropinquare*, cujus Regimen eſt קִרְבַת, cui Regimini ſuffixa hoc modo adduntur קִרְבָתִי / קִרְבָתְךָ / קִרְבָתוֹ *appropinquare mei, tui, illius*, &c. Sic ex יָכוֹל *poſſe* fit יְכָלָה, & in Regimine יְכֹלַת, ut מִבְּלִתִי יְכֹלַת יְהוָה *propter non poſſe Dei*, & additis ſuffixis fit יְכָלְתִי *poſſe mei*, יְכָלְתְךָ *poſſe tui*, יְכָלְתוֹ *poſſe illius*, &c.

Poſſumus præterea, loco ה Infinitivis נ addere, cujus exemplum habetur in libro Eſth. cap. 9. verſ. 5. ubi loco אַבֹד habetur אָבְדָן *perire*.

Porrò regimen פְּקֹד ablato accentu mutat gholem in khamets ghatuph, ut לִפְנֵי מְלָךְ־מֶלֶךְ *ante ꝛc̃ regnare regis*.

Deni-

Denique illud Hgezræ cap. 10, ubi habetur לִדְרִיוֹשׁ pro לִדְרוֹשׁ *ad inquirendum*, & quod Grammatici, ut ſingulare notant, mihi monſtro ſimile videtur, nec quicquam de eo ſtatuere audeo.

Annotationes ad Præteritum.

פָּקַד, פָּקַר, פָּקֹד & פָּקֵד ab Infinitivis, uti diximus, differunt, quòd hæc in Præterito Maſculini Generis ſint, & Numeri Singularis, & in Infinitivo nullam ad ſexum, nec ad numerum relationem habeant, quæ quidem differentia facilè ex ipſo orationis tenore cognoſcitur.

Fœmininum פָּקְדָה, quando accentus eſt אתנח, vel סִילוּק mutat ſcheva in khamets, gholem, vel tſere, hoc eſt, Maſculino abſque ulla vocalium mutatione additur ה, fitque Fœmininum ex פָּקַד, פָּקְדָה, & ex פָּקֹד, פָּקֳדָה & denique ex פָּקֵד, פָּקֳדָה.

פָּקַדְתָּ habet ת pro characteriſticâ ſecundæ perſonæ, ſumptam ex Pronomine אתה *tu*, cujus Pronominis ה etiam uſurpatur, ut בָּגַדְתָּה; ſed plerumque omitti ſolet.

Verba in ת deſinentia idem hîc, & in primâ perſonâ amittunt, & per dageſch in ſequenti ת compenſatur, ut כָּרַת *ſcindere*, כָּרַתְתָּ, כָּרַתְתִּי *tu ſcidiſti, ego ſcidi.* פָּקַדְתְּ ſecunda perſona fœmini generis terminationem habet ſumptam ex Pronomine fœminini generis אַתְּ *tu*, & ex obſoleto אַתִּי, quod ſuprà notavimus, ortum eſt obſoletum פָּקַדְתִּי pro פָּקַדְתְּ ut Ruth. cap. 3. 3. וְשָׁכַבְתִּי *dormies* pro וְשָׁכַבְתְּ, & ad hunc modum plura, quæ à Maſorethis notantur, ſine dubio ut obſoleta.

פָּקַדְתִּי terminationem habet ex Pronomine אֲנִי *ego*. Communis eſt generis, ut ubique prima perſona.

פָּקְדוּ terminatio Pluralis Numeri eadem hîc eſt, ac Pronominum; quorum etiam Pluralis, ut ſuprà notavimus, in וּ, non in ים., ut reliqua Adjectiva, terminatur. Reperitur etiam euphoniæ

phoniæ cauſa cum ן paragogico, ut יָדְעוּן *cognoverunt*. Hujus maſculinum à fœminino, credo, quòd antiqui ſolebant diſtinguere quieſcentibus א, & ה, nempe *illi viſitaverunt* פָּקְדוּא, *illæ viſitaverunt* פָּקְדָה. Cujus rei exempla in Scripturâ reperiuntur, ut Deut. 21. 7 יָדֵינוּ לֹא שָׁפְכָה *Manus noſtræ non effuderunt*, & Joſuæ 10. 24 אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה הַהֹלְכוּא *milites qui iverunt*. Verùm poſteri, quia in pronunciatione nulla ſenſibilis differentia eſſe potuit, ut & quia cum literis paragogicis confundi poterant, has quieſcentes neglexiſſe videntur.

Cæterùm quando accentus eſt אתנח, vel סילוק penultimum ſcheva, ut in Singulari Numero tertiæ perſonæ Fœminini Generis in ־, ֫, vel gholem mutatur, fitque pro פָּקְדוּ / פָּקְדוּ פָּקְדוּ vel פָּקְדוּ.

Denique פָּקְדְנוּ & פְּקַדְתֶּן / פְּקַדְתֶּם terminationem ſumunt ex Pronominibus אַתֶּם, אַתֶּן *Vos*, & אֲבַחְנוּ *Nos*.

Annotationes ad Imperativum.

Imperativum futuro præpoſui, quia hoc ab eo formatur, & quia pro Imperativo ſæpiſſimè futurum uſurpatur, ità ut affirmare liceat Hebræorum futurum tam indicativo, quàm imperativo Modo competere.

Ejus autem formulas diximus eſſe פְּקֹד, & פְּקֵד, & ſi placet etiam פְּקָד: quibus non rarò ה paragogicum additur, & ex פְּקֹד fit פְּקָדָה, & ex פְּקֵד fit פְּקֵדָה *viſita tu vir*, hinc Infinitivi formula יְרֵאָה, הַאֲבָה, & cum accentu athnagh, vel ſiluk fit פְּקָדָה; ſublato autem accentu mutatur, ut in Infinitivo, gholem in khamets ghatuph, ut פְּסָל־לְךָ *dola tibi*.

Anno-

Annotationes ad Futurum.

אֶפְקֹד & אֶפְקַד accedente ה paragogico mutant ו & - in ֫ fitque אֶפְקְדָה *ego visitabo.* In accentibus autem אתנח, vel סילוק gholem manet, & - in ֫ transit, fitque אֶפְקֹדָה, & אֶפְקֻדָּה.

תִּפְקְדִי & cum ן paragogico fit תִּפְקְדִין *tu fœmina visitabis*, & ex formâ תִּפְקַד fit תִּפְקְדִין, mutando scilicet propter sequens ghirek ֵ in ֫.

נִפְקַד accedente ה paragogico mutat etiam gholem in ֫ fitque נִפְקְדָה; sed cum accentu אתנח, & סילוק, ut in primâ singulari חֹלֶם retinetur, & - in ֫ transit.

תִּפְקְדוּ & cum ן paragogico תִּפְקְדוּן & תִּפְקְדוּן & תִּפְקְדוּן. Si verò accentum habeat distinguentem singularis numeri formulæ retinentur, fitque תִּפְקֹדוּ & תִּפְקֻדוּ *vos viri visitabitis.* Porrò ante monosyllabum, quia accentus debet esse in penultimâ, schurekh loco gholem usurpare licet, ut יִשְׁפּוֹטוּהֵם *judicabunt ipsi.* Denique illud Levit 21. 5. לֹא יִקְרְחָה קָרְחָה vitium describentis esse credo, qui festinanter bis קָרְחָה scripserit.

תִּפְקֹדְנָה & תִּפְקֻדְנָה / ה omitti potest, ut תִּלְבַּשְׁנָה *vestient*, ut & ex singulari fœminino תִּפְקֹד fieri potest tertia pluralis תִּפְקְדוּ: ità ut tam in singulari, quàm plurali tertia persona fœminini generis cum secundâ masculini conveniat, ut Jerem 49. 11 וְאַלְמְנוֹתַיִךְ עָלַי תִּבְטָחוּ *& viduæ tuæ mihi confident*, pro תִּבְטַחְנָה; quòd ט habet ֫ loco ֻ, ֫ fit propter סילוק, quod ubique fieri diximus.

CAP. XV.

De Verbo Passivo.

PAssivi characteristica est נ Verbo præfixa, quod sæpe per dagesch compensari debet, quia nunquam Verbo duæ characteristi-

cteriſticæ præfiguntur. Hujus ergo Infinitivi formulæ ſunt הִפָּקֵד, הִפָּקוֹד, נִפְקֵד & נִפְקוֹד. In his ultimis נ propter alteram characteriſticam ה per dageſch compenſatur. Ex binis itaque prioribus formulis formatur hoc modo:

Præteritum.

f.	m.	
נִפְקְדָה	נִפְקַד	vel נִפְקוֹד *Viſitatus eſt.*
נִפְקַדְתְּ	נִפְקַדְתָּ	
נִפְקַדְתִּי		
נִפְקַדְנוּ		
נִפְקַדְתֶּם	נִפְקַדְתֶּן	
נִפְקְדוּ		

Futurum.

f.	m.
תִּפָּקֵד	אֶפָּקֵד & אִפָּקֵד
תִּפָּקְדִי	תִּפָּקֵד
תִּפָּקַדְנָה	יִפָּקֵד
	נִפָּקֵד
	תִּפָּקֵד
	יִפָּקֵד
	תִּפָּקַדְנָה & תִּפָּקֵדְנָה

Imperativus.

f.	m.
הִפָּקְדִי	הִפָּקֵד
הִפָּקַדְנָה	הִפָּקְדוּ

Imperativi alia formula.

f.	m.
נִפְקְדִי	נִפְקַד
נִפְקֹדְנָה	נִפְקְדוּ

Annotationes.

Quamvis in Scripturâ nullibi reperiatur Infinitivus נִפְקַד, conſtat tamen ex ſupradictis, omnium Modorum formulas Infinitivum exprimere, quando abſolutè veluti Subſtantiva, quæ nullius ſunt generis, uſurpantur; & profectò nihil cauſæ eſt, cur hæc præteriti formula minùs poſſit Infinitivum exprimere, quàm

quàm altera נִפְקֹד, præſertim cùm in præterito tam hanc, quàm illam uſurpare liceat, ut נִחְתָּם & נִחְתּוֹם *obſignatum eſt*.

Cæterùm Verba, quæ in ת deſinunt, id in primis & ſecundis perſonis omittunt, idem per punctum dageſch compenſando, quod in ſequentibus obſervandum erit, tam ubicunque ת, quàm alia litera duplicanda occurrat, quarum prima ſcheva quieſcens habere debeat, ut תִּצְפְּנָה pro תִּצְפֹּנְנָה. Nam ſi hoc non fieret, (per ea quæ cap. 3. dicta ſunt) deberet: pronunciari, quod aliàs ſemper corripitur. Deinde etiam obſervandum eſt, quòd, quando Verbum accentum habet אתה, vel סילוק, ultima ſyllaba, ſi ſit longa, manet, nec in ſcheva, ut aliàs ſolet, mutatur. Dico *ſi ſit longa*: nam ſi pathagh fuerit, mutabitur in khamets, ex. gr. ex futuro אִפְקֹד ob additum ה paragogicum fit אִפְקְדָה *viſitabor*. Sed ſi accentum diſtinguentem habuerit, tſere retinebitur, fietque אִפְקֵדָה. At נִפְקְדָה *illa viſitata eſt*, in tali accentu pathagh maſculini נִפְקַד non retinetur; ſed mutatur in ־, fitque נִפְקֶדָה: gholem contrà maſculini נִפְקֹד/ quæ longa eſt, retinetur, fitque נִפְקֹדָה, quæ regula, ubicunque Verba in penultimâ habuerint ſcheva mobile, obſervanda erit. Nec opus habeo hæc deinceps monere.

Imperativus הִפָּקֵד, quia frequens in Scripturâ occurrit, regularis habetur: at נִפְקַד/ נִפְקְדִי &c. quia non niſi ſemel in Bibliis occurrit (ſcilicet Joel. cap. 3 verſ. 11.) vel pro irregulari habetur, vel prorſùs negligitur. Neſcio, an crediderint finem Scripturæ eſſe linguam, non res docere.

Denique hujus Conjugationis futurum ה paragogico, ut in Verbo activo, eleganter augetur, ut אֶכְבְּדָה pro אֶכְבַּד *honorabor*, nec inelegantер ejuſdem pluralibus poſt ו nun additur, ut יִכְּרֻתוּן pro יִכְּרֻתוּ *exſcindentur*; quod in ſequentibus etiam Conjugationibus uſum habet.

CAP. XVI.

De Verbo Dageſchato, ſive Intenſivo, & quidem de ejus Activo.

SUprà hujus Verbi ſignificationem breviter attigimus, quia tantùm ejus originem oſtendere volebamus; ſed, quoniam varios habet uſûs, neceſſe eſt, ut ipſum, quia jam de ipſius uſu agendum eſt, accuratiùs explicemus. Præcipuus, & communis hujus Verbi uſus eſt Verbum ſimplex intendere: quod variis modis fit, nempe vel ipſum ex Neutro Activum reddendo, vel ipſum in latiori ſignificatione ſumendo, vel cum affectu exprimendo, &c. ex. gr. שָׂמַח ſignificat, *lætum eſſe*, שִׂמַּח reddit Verbum ex Neutro Activum, ſignificatque *aliquem lætitiâ afficere*; atque huc referenda ſunt etiam Nominalia Verba, ut דִּבֶּר *verba facere* ſive *loqui*, quod fit ex דָּבָר *verbum*. שָׁלַח autem ſignificat *aliquem aliquò mittere*, שִׁלַּח verò *aliquem dimittere*, nempe *concionem*, *ſervum*, &c. Porrò שָׁבַר ſignificat ſimpliciter *frangere*, (Belgis **ſchillen**) שִׁבֵּר autem *vi frangere*, ſive *confringere*.

Habet præterea hoc Verbum contrariam ſignificationem Verbi ſimplicis, ut חָטָא *peccavit*, חִטָּא *expiavit*; ſed quoniam hoc ſolo uſu factum videtur, qui jam cum linguâ periit, nova præter illa, quæ in Scripturâ reperiuntur, hujuſmodi fingere non licet. Hujus autem Infinitivi formulæ ſunt פִּקֵּד פַּקֵּד & פִּקּוּד.

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
	פִּקֵּד 3. ſing.	פַּקֵּדִי	פַּקֵּד		אֲפַקֵּד 1. ſing.
פִּקְּדָה					
פִּקַּדְתְּ	פִּקַּדְתָּ 2.	פַּקֵּדְנָה	פַּקְּדוּ	תְּפַקְּדִי	תְּפַקֵּד 2.
	פִּקַּדְתִּי 1.			תְּפַקֵּד	יְפַקֵּד 3.
	פִּקְּדוּ 3. pl.				נְפַקֵּד 1. pl.
פִּקַּדְתֶּן	פִּקַּדְתֶּם 2.			תְּפַקֵּדְנָה	תְּפַקְּדוּ 2.
	פִּקְּדוּ 1.				יְפַקְּדוּ 3.

Anno-

Annotationes ad Infinitivum.

Formulæ פָּקֹד eleganter ה paragogicum additur, fitque פָּקְדָה, & cum accentu athnach vel ſilukh פָּקְדָה *frequenter viſitare*, mutando ſcilicet ſcheva in tſere.

Huic præterea Infinitivorum generi emphaticè ה indicativum præponitur, ut וְהַקְטֵר אשר יקטירון *& illud ſuffumigare, quod ſuffumigabant.* **En dat geduurig wierooken.** Sic הַדְבֵּר *illud loqui*, **dat hoog ſpreeken/ dat kaekelen zal gedaan zijn.** Inſervit igitur iſtud ה non tam ad actionem indicandam, quàm ad eandem cum indignatione, exprobratione, averſione, vel alio affectu, exprimendam, & hâc de causâ credo, hoc ה indicativum non, niſi huic Verbo dageſchato, præponi.

Deinde ſi media radicalis fuerit ר, quæ dageſchari nequit, tum ſyllaba prior brevis in longam mutatur, nempe - in ֵ, & ghirekh in tſere, ut בָּרְךָ loco בָּרֵךְ, & בָּרֵךְ loco בָּרֵךְ *benedicere.* (vid. Num. 23: 24.)

At plerique Grammatici putant punctum dageſch per gholem ſuppleri, ſive media radicalis ſit ר, ſive alia quæcunque, quæ dageſchari aliàs ſolet. Sed falluntur: quæ enim hujus Conjugationis gholem & tſere habent, intenſiva non ſunt; ſed ſimplicia, quorum Infinitivus, ut jam diximus, Participii formam habere ſolet, ſumendo ſcilicet Participium abſque ullâ ad genus relatione. Nam זָעַם *deteſtari* ſimplex eſt Verbum, cujus Infinitivus eſt ipſum Participium abſque Subſtantivo ſumptus, atque huic addito ה paragogico fit זְעָמָה, quod etiam pro Infinitivo uſurpatur, ſicut Infinitiva שָׁמוֹר *obſervare*, & זָכוֹר *cuſtodire*, de quibus in Syntaxi. Atque hîc expreſsè loquor de Verbis hujus Conjugationis. Nam Verborum Conjugationis, quæ ſcilicet mediam radicalem vau, vel jod habent, ut בִּין *intelligere*, קוּם *ſurgere*, intenſiva non dageſchantur, quia tertiam radicalem loco ſecundæ duplicant,

fitque בּוֹנֵן ex בִּין, & קוֹמֵם ex קוּם. Sed de his ſuo loco. Quòd autem Grammaticos decepit, nihil aliud puto fuiſſe, quàm quòd non crediderint, dari Verbum ſimplex Neutrum שָׁרַשׁ *radicem agere*; adeóque ejus Participium שֹׁרֵשׁ, quod habetur Eſai 40: 24. præteritum Verbi intenſivi Conjugationis eſſe putaverunt, & cum Paſſivo שֹׁרַשׁ Verbi intenſivi שֹׁרֵשׁ confuderunt. Ad quod non parùm juvit duplex hujus Verbi ſignificatio, una alteri (ſi quidem Punctiſtis Bibliorum fides habenda eſt) planè contraria. Jobi enim cap. 31: 8. ſignificat *eradicari* & Jerem. 12: 2. *radicari*. Verùm de hoc Jeremiæ loco dubito, annon Punctiſtæ loco שָׁרְשׁוּ punctaverint שֹׁרְשׁוּ. Sed de his ſatis.

Porrò פָּקַד ablato accentu ֫ tranſit in ֪, ut דָּבַר־לָךְ *loqui tibi.*

Denique Verborum, quorum ſecunda & tertia radicalis eadem eſt litera, intenſiva ſolent primam duplicare, eandem ſecundæ & tertiæ interponendo, ut קִלְקֵל ex קָלַל *terſum eſſe*, סִכְסֵךְ *obtegere* ex סָכַךְ *tegere*: גִּלְגֵּל *revolvere* ex גָּלַל *volvere*, & ſic alia.

Annotationes ad Præteritum.

Præteritum mutat ſæpè tſere in pathagh, ut שִׁבֵּר & שִׁבַּר *confregit*, vel in ſegol, ut דִּבֶּר *locutus eſt.*

Annotationes ad Imperativum.

Imperativus mutat etiam tſere in pathagh, & ante makhaf in ſegol, fitque ex פַּקֵּד vel פַּקַּד vel פָּקֵד & פַּקְדָנָה *loco* פַּקְדָנָה.

Cæterùm cum Infinitivo in omnibus convenit.

Annotationes ad Futurum.

Ex אֲפַקֵּד addito ה paragogico fit אֲפַקְּדָה, & cum accentu athnach, vel ſilukh אֲפַקְּדָה; Ex יְפַקְּדוּ, תְּפַקְּדוּ autem addito נ para-

paragogico fit יִפַּקְדוּן. Igitur ה paragogicum penultimam ex longâ brevem, נ autem contrà ex brevi longam amissam reddit. Denique loco תִּפַּקְדְנָה fit sæpe, ut in Imperativo, תִּפַּקֹדְנָה.

CAP. XVII.

De Verbo Intensivo passivo.

Infinitivus.	*Præteritum.*		*Imp. caret.*	*Futurum.*	
	f.	m.		f.	m.
פֻּקֹד	פֻּקְדָה	פֻּקַד 3. sing.			אֶפֻּקַד 1. sing.
	פֻּקַדְתְּ	פֻּקַדְתָּ 2.		תְּפֻּקְדִי	תְּפֻּקַד 2.
		פֻּקַדְתִּי 1.		תְּפֻּקֹד	יְפֻּקַד 3.
		פֻּקְדוּ 3. pl.			נְפֻּקַד 1. pl.
	תֶּן	פֻּקַדְתֶּם 2.		תְּפֻּקֹדְנָה	תְּפֻּקְדוּ 2.
		פֻּקַדְנוּ 1.			יְפֻּקְדוּ 3.

Hujus Verbi usus rarior est, nec in Scripturâ alia ejusdem Infinitivi formula reperitur; imò non nisi semel in Scripturâ vidisse memini; nec tamen dubito, quin futurum אֶפֻּקַד ab aliâ ejusdem formulâ פֻּקַד formetur, & consequenter, quòd Hebræi præter פֻּקַד Infinitivum פֻּקֹד etiam habuerint. Nam præterquam, quòd Futurum ab Infinitivo ubique formari ostendimus, in reliquis, ut videbimus, Conjugationibus hujus Infinitivi ultimam habent pathagh, quæ tamen in reliquis cum hâc Conjugatione convenit. Deinde non dubito etiam, quin tertiam habuerint פֻּקַד cum khamets ghatuph, quia & in aliis Conjugationibus observatur, & ֵ & ֶ ghatuph ejusdem potestatis esse videbitis infrà cap. 19.

Porrò cum media est ר, quæ dageschari nequit, mutatur ֹ in gholem, ut טוֹרַף *dilaniari*.

Denique quia hoc Passivum vocalibus satis ab Activo distinguitur,

guitur, ideò litera נ characteriſtica ſcilicet Paſſivi in hâc Conjugatione ſæpiſſimè negligitur. Solet tamen etiam adjici, & loco פְּקֹד regulariter ſcribi נִפְקָד, ut יְדֵיכֶם נְגֹאֲלוּ בַדָּם *manus veſtræ perpollutæ ſunt ſanguine*, cujus נ punctatur cum חֹלֶם propter ſequens א, quod dageſchari nequit: quod, quia in Scripturâ non niſi rarò occurrit, pro irregulari, & tanquam compoſito ex Verbis Paſſivis ſimplici, & intenſivo notant Grammatici. Nimirum Grammaticam, uti diximus, Scripturæ, non linguæ ſcripſerunt. Credo tamen in futuro ſemper negligi, quia propter characteriſticam perſonarum per dageſch deberet ſuppleri; atque adeò litera ד, & פ eſſent duplicandæ, quod vix pronunciari poſſet.

CAP. XVIII.

De Verbo Derivato ſignificatione activâ.

OStendimus ſuprà cap. 12. hoc Verbum derivari, ſeu formari ex rerum, vel actionum nominibus, hoc eſt, tam ex Nomine ſubſtantivo, quàm ex Verbo ſimplici: quando autem ex Verbo ſimplici formatur, accuſativum habere agentis, perſonæ ſcilicet viſitantis, & nominativum cauſæ remotæ, perſonæ ſcilicet perſonam viſitantem conſtituentis: At quando ex Nomine formatur, vim habere Verbi ſimplicis, cujus rei cauſa ex ibi dictis facilè percipitur. Diximus enim hoc Verbo exprimi, quòd aliquis efficit, ut res aliqua ſuo officio fungatur, hoc eſt, ut uſum ſuum actu habeat. Quando igitur hoc Verbum ex Verbo ſimplici formatur, tum ſignificat, quòd aliquis effiçit, ut cauſa efficiens, ſive id, quod per Verbi tam Activi, quàm Neutrius Nominativum intelligimus, uſum ſuum actu habeat; Sed quando ex Nomine formatur, tum nihil aliud ſignificat, quàm quòd aliquis re ſimpliciter utitur. Atque hinc fit, ut non ſemper hoc Verbum Accuſativum habeat agentem, ſed ut Verba primæ formæ tam Activa ſint, quàm

Neu-

Neutra, ut ſuprà multis exemplis oſtendimus. Hujus autem Infinitivi formulæ ſunt הַפְקִיד, הַפְקִיד, הַפְקֵד, & הַפְקֵד &c.

Et quibus formantur tempora hoc modo.

Præteritum.

f.		m.	
	3. ſing.	הִפְקִיר	הִפְקִידָה
	2.	הִפְקַדְתָּ	הִפְקַדְתְּ
	1.	הִפְקַדְתִּי	
	3. pl.	הִפְקִידוּ	
	2.	הִפְקַדְתֶּם	הִפְקַדְתֶּן
	1.	הִפְקַדְנוּ	

Imperativus.

f.		m.
2 f. הַפְקֵד	הַפְקִידִי	
2 p. הַפְקִידוּ	הַפְקֵדְנָה	

Futurum.

f.		m.
	1. ſing.	אַפְקִיד
תַּפְקִידִי	2.	תַּפְקִיד
תַּפְקִיד	3.	יַפְקִיד
	1. pl.	נַפְקִיד
תַּפְקֵדְנָה	2.	תַּפְקִידוּ
	3.	יַפְקִידוּ

Vel

1. אַפְקֵד. 2. תַּפְקֵד. 3. תַּפְקֵדִי.

Annotationes.

Characteriſtica hujus eſt ה, nec unquam in ת mutatur, ut plerique Grammatici putant textu illo Hosghæ cap. 11. ℣. 3. decepti. Nam תִּרְגַּלְתִּי, ut Moſes Khimghius * rectè ſentit, Nomen eſt, & Nominativus ſequentis Verbi קָחַם: Jod autem fina-

* קחם זכר תרגלתי נקבה על דרך תפלצתך השיא אותך: Hoc eſt, Vox קחם maſculini & תִּפְלַצְתְּךָ הִשִּׁיאָ אוֹתָךְ. Jer. cap. 49: 16. תרגלתי fœminini generis eſt, eodem modo, uti habetur

le paragogicum eſt, quodque ſæpe Nominibus eleganter additur. Nam ſicut ex אֹהֲבֶת fit אֹהֲבְתִי, & ex אֻוֶּבֶת fit אוֹבְתִי ſic ex תִּרְגֶּלֶת etiam fit תִּרְגַּלְתִּי, & ſignificat *fœminam, quæ pueros docet, ut aſſueſcant ambulare, loqui*, &c. Qui aliud ſentiunt, textum planè ignorant. Credunt præterea Grammatici hujus Verbi characteriſticam mutari etiam in א, nempe Eſaiæ cap. 63: 3. Sed puto hujus rei nullum in Scripturâ dari exemplum; nec tamen id licere nego. Nam Verbum cujus characteriſtica eſt הֵ ſolet ה in א, & ghirekh in י mutare, quâ de re vide cap. 20.

CAP. XIX.

De Verbo Derivato Paſſivo.

HUjus Infinitivi formulæ הָפְקֵד & הָפְקַד: & credo, quòd etiam fuerit הִפְקֵד. Per khibuts enim, & khamets ghatuph hujus Paſſivum ab Activo diſtinguitur: unde

Præteritum.

f.	m.	
הָפְקְדָה	הָפְקַד & הִפְקַד	3. ſing.
ה.....	ה.....	
הָפְקְדָתְ	הָפְקַדְתָּ & הִפְקַדְתָּ	2.
ה.....	ה.....	
&c.	הָפְקַדְתִּי	1.
	הָפְקְדוּ	3. pl.
...תֶּן	הָפְקַדְתֶּם	
הָפְקַדְנָה	הָפְקַדְנוּ	2. 1.

Imperativus.

f.	m.	
הָפְקְדִי	הָפְקַד	ſing.
הָפְקַדְנָה	הָפְקְדוּ	pl.

Futurum.

f.	m.	
	אֶפְקֹד & אֶפְקַד	1. ſ.
תִּפְקְדִי	תִּפְקֹד	2.
תִּפְקֹד	יִפְקֹד	3.
	נִפְקֹד	1. pl.
תִּפְקֹדְנָה	תִּפְקְדוּ	2.
	יִפְקְדוּ	3.

Hujus Verbi Imperativus rariſſimus eſt, reperitur tamen Ezech. cap. 32. ℣. 19. Cum ה paragogico, & Jobi cap. 21. ℣. 2.

℣. 2. Et videtur ſignificare, *fiat*, *ut viſiteris*, ut illud Ezech. רְדָה וְהִשְׁכְּבָה אֶת עֲרֵלִים *deſcende*, *& fiat*, *ut debeas jacere cum incircumciſis.* Cæterùm ejus ſignificatio in præterito, & futuro facilè cognoſcitur ex ſignificatione activâ, quam ſatis prolixè explicui. Quòd autem plerique ajunt, hæc Verba Imperativo carere, quia ſcilicet nemo alicui imperare poteſt, quod ab alterius actione pendet, propulſatur facilè: nam Imperativus modus tam ſignificat *jubere*, quàm *velle*; cùm Deus Moyſi ait, *Morere in hoc monte*, non ei ſanè imperat, ut moriatur; ſed tantùm ſuum decretum, & ſententiam de vitâ Moyſis exprimit.

CAP. XX.

De Verbo Reciproco Activo.

VOcavimus hoc Verbum Reciprocum, quia, ut jam diximus, eodem exprimimus, quòd agens à ſe ipſo patitur, vel potiùs, quia caſus poſt Verbum non eſt rei diverſæ ab ejus Nominativo, ut quòd *homo ſe viſitat*, *recreat*, quòd *ſibi precatur*, quòd *ſibi cavet*, &c. Vel quòd *homo ſe conſtituit viſitantem alterum*, quòd *ſe applicat ad ambulandum*, *ad intelligendum*, &c.

Eſt itaque hujus Verbi duplex ſignificatio, quarum una Verbum פָּקַד & altera Verbum הִפְקִיד reſpicit. Nam quoniam פָּקַד ſignificat, quòd *aliquis alterum viſitat*, alio opus fuit Verbo, quo ſignificari poſſet, quòd *aliquis ſe ipſum viſitat*; & quoniam הִפְקִיד ſignificat, quòd *aliquis alterum viſitantem conſtituit*, opus ſimiliter fuit Verbo, quo ſignificari poſſet, *quod aliquis ſe ipſum conſtituit viſitantem.*

Cognoſcitur hoc Verbum ex ſyllabâ הִתְ formulis פָּקַד, & הִפְקִיד præpoſitâ, ut הִתְפַּקֵּד *ſe viſitare*, vel *ſe viſitantem conſtituere*, הִתְהַלֵּךְ *ſe ambulare*, הִתְיַצֵּב *ſe ſiſtere* (Hiſpanicè *pararſe*) *tioni dare* (Hiſpanicè *paſearſe*, *andarſe.*) Poteſt tamen hæc ſylla-

ſyllaba propter characteriſticas temporum tolli, & per dageſch compenſari, ut mox oſtendam.

Deinde ſi prima ſit una dentium, videl. ס vel שׂ, tum ת transponitur; ſi autem ז vel צ non tantùm transponitur; ſed inſuper propter ז in ד, & propter צ in ט mutatùr. Nam ex שָׁמַר *cuſtodire* fit הִשְׁתַּמֵּר *ſe cuſtodire*, vel *ſe cuſtodientem conſtituere*, & ex צָדַק *juſtum eſſe* הִצְטַדֵּק *ſe juſtum defendere*, Belgicè **zich ontſchuldigen** / & deniqúe ex זָמַן *rem aliquam tempeſtivè parare* fit הִזְדַּמֵּן *ſe ipſum tempeſtivè parare.*

Denique ה in א, & conſequenter ghirekh in ſegol nutare licet, ut אִתְחַבֵּר *jungit ſe* pro הִתְחַבֵּר.

Sunt itaque hujus Infinitivi formulæ אִתְזַדֵּק הִתְפַּקֵּד הִתְחַבֵּר הִצְטַדֵּק הִשְׁתַּמֵּר & הִזְדַּמֵּן, quibus non dubito, quin etiam formula הִתְפַּקֵּד addenda ſit. Nam hujus Verbi præteritum in ghirekh etiam deſinere conſtat, vide Lev. cap. .... & Ezech. 38. ỳ. ult. Adde, quòd, quandoquidem ejus prima ſignificatio Verbum פָּקַד vel פֻּקַּד reſpicit; ſecunda autem Verbum הִפְקִיד non minùs in ghirekh, quàm pathagh, vel tſere terminari debuit.

Præteritum.

	f.	m.	
	הִתְפַּקְדָה	הִתְפַּקֵּד	ſing. 3.
		& הִפְקֵד	
	הִתְפַּקַדְתְּ	הִתְפַּקַדְתָּ	2.
		הִתְפַּקַדְתִּי	1.
	הִתְפַּקְדוּ	הִתְפַּקְדוּ	3. pl.
תֶּן		הִתְפַּקַדְתֶּם	2.
		הִתְפַּקַדְנוּ	1.

Imperativus.

f.	m.	
הִתְפַּקְדִי	הִתְפַּקֵּד	ſing.
הִתְפַּקֵּדְנָה	הִתְפַּקְדוּ	pl.

Futurum.

f.	m.	
	אֶתְפַּקֵּד	1. ſing.
תִּתְפַּקְדִי	תִּתְפַּקֵּד	2.
תִּתְפַּקֵּד	יִתְפַּקֵּד	3.
	נִתְפַּקֵּד	1. pl.
תִּתְפַּקֵּדְנָה	תִּתְפַּקְדוּ	2.
	יִתְפַּקְדוּ	3.

Anno-

Annotationes.

Quòd ultimum tsere in pathagh transeat, id habet hoc Verbum cum simplici, & intensivo commune; at ghirekh retinetur, nec ut הַפְקִיד in pathagh, secundis scilicet & primis personis, mutatur. Ezech. enim 38. ℣. ult. habetur הִתְגַּדַּלְתִּי *magnum me constitui*, הִתְקַדַּשְׁתִּי *me constitui sanctum* & Levit. cap. 11. ℣. 44. & c. 20. ℣. 7. וְהִתְקַדַּשְׁתֶּם *& constituite vos sanctos.*

Pathagh etiam ubique tam in Præterito, quàm in Imperativo, & Futuro retinetur, præterquam quando accentum habet athnagh, vel silukh. Nam tum in ־ mutatur.

Verba deinde, quorum prima est ת, vel ט, vel ד characteristicam ת amittunt, quæ per dagesch compensatur, ut הִטָּהַר *purificavit se* pro הִתְטַהֵר.

In futuro autem propter personarum characteristicas, negligitur omninò ה; at ת per dagesch compensare licet, ut תִּנָּבֵא loco תִּתְנַבֵּא *constitues te Prophetam*, quod in præterito etiam fit, ut הִנַּבֵּאתִי pro הִתְנַבֵּאתִי *me Prophetam constitui*, vel *ad prophetizandum applicui.*

Cæterùm quòd scheva mobile propter athnagh, vel silukh in ־ mutatur, quodque numeris pluralibus in ו terminatis ן, & Infinitivis, ut & omnibus, quæ ut Infinitiva terminantur, eleganter ה additur, *& denique quòd futuri tertia persona pluralis fœminini generis coincidit cum secundâ pluralis masculini generis, ut in singulari fit, in his Verbis notare neglexi, quia hæc cum Verbo simplici, ubi hæc omnia notantur, communia habent.*

CAP. XXI.

De Verbo Reciproco Passivo.

OMnibus, quos novi, Grammaticis hoc Verbum ignotum videtur, & ideò de eo tacere malui, donec de eodem ex-

preſsè eſſet agendum. Quamvis ſignificatio Verbi Reciproci Activi, jam Verbum הִפָּקֵד, jam הִפְקִיד reſpiciat, Paſſivi tamen nunquam נִפְקַד; ſed ſemper הָפְקַד reſpicit. Nunquam enim ſignificat *viſitari à ſe*; ſed *præbere ſe viſitandum*, vel *facere, ut ipſe viſitetur*. Hujus rei ratio eſt, (ut in Syntaxi oſtendam) quòd Verba Paſſiva apud Hebræos nunquam ablativum agentis poſt ſe habent. Nam Hebræi non utuntur Paſſivis, niſi compendii cauſâ, cum ſcilicet non opus habent agentem; ſed tantùm patientem indicare, ut קוֹלִי נִשְׁמַע *vox mea audita eſt*; ſed quando neceſſe habent utrumque indicare, ut *vox mea audita eſt à Deo*, tum Verbum ſignificatione activâ uſurpant, nempe יְהוָה שָׁמַע קוֹלִי *Deus audivit vocem meam*. Nam קוֹלִי נִשְׁמַע מֵיְהוָה à communi loquendi uſu abhorreret. Verbum igitur הִתְפַּקֵּד, quatenus ſignificat *ſe ipſum viſitare*, Paſſivum habere nequit; at quatenus ſignificat, quòd *aliquis ſe viſitantem conſtituit*, Paſſivum habet הָתְפַּקֵּד, quod, uti diximus, ſignificat *præbere ſe viſitandum*, vel *efficere, ut viſitetur*, ut Num. 2. ℣. penult. וְהַלְוִיִּם לֹא הָתְפָּקְדוּ *& Levitæ non præbuerunt ſe numerandos inter filios Iſraëlis*. Et Deut. 24. ℣. 4. אַחֲרֵי אֲשֶׁר הִטַּמְּאָה *poſtquam ſe præbuit inquinandum*, vel *poſtquam fecit, ut inquinaretur*, ubi ת propter ט, ut in Activo, per dageſch compenſatur.

Porrò hoc Verbum à ſuo Activo eodem modo differt, ac Paſſivum Verbi derivativi ab הִפְקִיד. Nam ut ex הִפְקִיד fit Paſſivum הָפְקַד & הָפַקַד, ſic ex הִתְפַּקֵּד fit הָתְפַּקֵּד & הָתְפָּקֵד, ut modò exemplis oſtendimus.

Deinde hujus etiam ת, ut in Activo, per dageſch ſupplere licet, ut אַחֲרֵי הַכֵּבֵּס אֶת הַנֶּגַע *poſtquam fecit, ut plaga ipſius levaretur*. Nota, quòd plaga eſt in accuſativo caſu, quâ de re in Syntaxi.

Denique loco ה uſurpare licet נ (characteriſticam ſcilicet

Paſſivi

Passivi tam Verbi simplicis, quàm intensivi) & ת per degesch compensare, ut Deut. 21. ℣. 8 וְנִכַּפֶּר לָהֶם הַדָּם *& sanguis dabit se ipsis expiandum* loco וְנִתְכַּפֶּר. Quare mihi persuadeo literam נ esse Passivi universalis characteristicam; sed in omnibus, præterquam in Passivo Verbi simplicis, plerumque negligi, ob rationem cap. 17 allatam. Sunt itaque hujus Infinitivi formulæ הִתְפָּקֵד, הָתְפָּקֵד vel הִפָּקֵד, נִתְפָּקֵד vel נִפָּקֵד.

Cæterùm ejus præteritum, imperativus, & futurum in reliquis cum Activo conveniunt.

CAP. XXII.

De Verbis secundæ Conjugationis.

EA secundæ Conjugationis diximus esse Verba, quæ in א desinunt, in literam scilicet gutturalem, & quiescentem. In quibus autem à Verbis primæ differant, ex paradigmate constabit.

Paradigma Verbi simplicis Activi.

Ejus Infinitivi formulæ sunt מְצוֹא, מְצָא, מוֹצֵא, מָצוֹא, מָצֵא, מָצָא, vel cum ה paragogico מְצָאָה & מְצֹאת loco מְצֹאת.

1. *Præteritum.*			2. *Aliter.*		3. *Aliter.*	
f.		m.	f.	m.	f.	m.
מָצְאָה vel מָצְתָה	3. sing.	מָצָא	מָצְאָה	3. מָצָא	מָצְאָה	3. מָצָא
מָצְאָה	2.	מָצָאתָ	מָצְאת	2. מָצָאתָ	מָצְאת	2. מָצָאתָ
	1.	מָצָאתִי		1. מָצָאתִי		1. מָצָאתִי
	3. pl.	מָצְאוּ		3. מָצְאוּ		3. מָצְאוּ
מְצָאתֶן	2.	מְצָאתֶם	מְצָאתֶן	2. מְצָאתֶם	מְצָאתֶן	2. מְצָאתֶם
	1.	מָצָאנוּ		1. מָצָאנוּ		1. מָצָאנוּ

Forma פָּקַד in his non datur, & ideò secundum ֹ & tsere in reliquis personis retinetur, nec in pathagh transit, ut in Verbis primæ Conjugationis. Forma præterea מָצוֹא in præterito non extat

exſtat, nec in uſu fuiſſe credo. Denique in ſecundâ, & tertiâ formulâ negligitur ſæpe א, ut מָלֵתִי loco מָלֵאתִי *plenus ſum.*

Imperativus.

	f.	m.	
	מְצָאִי	מְצָא	ſing.
		vel	
		מְצוֹא	
מְצָאן vel	מְצָאנָה	מְצָאוּ	plur.

Futurum.

f.	m.	
אֶמְצָא	אֶמְצָא	1. ſing.
תִּמְצָאִי	תִּמְצָא	2.
תִּמְצָא	יִמְצָא	3.
	&c.	

Imperativus cum ה paragogico non mutat, ſicut in Verbis primæ Conjugationis, ſcheva in ghirekh; ſed manet unà cum khamets, fitque pro מְצָאָה מְצָא *inveni tu.* Atque hoc, & quæ circa præteritum notavimus, hujus Verbi peculiaria ſunt; in reliquis autem cum Verbis primæ Conjugationis convenit. Tranſeo itaque ad Paradigma verbi Paſſivi hujus Conjugationis.

Paradigma Paſſivi Verbi ſimplicis.

Infinitivus.

1. 2. 3.
נִמְצָא ; נִמְצוֹא & הִמָּצֵא

Præteritum.

1. 2. Vel neglecto א

1. f.	1. m.		2. f.	2. m.		2. f.	2. m.	
נִמְצָאָה	נִמְצָא	ſing.	נִמְצְאָה	נִמְצָא	3.	נִמְצְתָה	נִמְצָא	3.
	&	3.	נִמְצְאָת	נִמְצְאָה	2.	נִמְצַתְּ	נִמְצָתָ	2.
	נִמְצֵאתִי			נִמְצֵאתִי	1.	נִמְצֵיתִי		1.
				נִמְצְאוּ	3.		נִמְצוּ	3.
נִמְצְאָתָה vel				נִמְצְאֶתֶם תֶּן	2.	נִמְצֵיתֶם תֶּן		2.
נִמְצְאָת	נִמְצֵאתְּ	2.		נִמְצָאנוּ	1.	נִמְצֵינוּ		1.
	נִמְצֵאתִי	1.				vel		
	נִמְצְאוּ	3. pl.				נִמְצֵיתְּ	נִמְצִית	
	נִמְצְאֶתֶם תֶּן	2.				נִמְצֵיתִי	&c.	
	נִמְצָאנוּ	1.						

Impe-

Imperativus, & futurum in omnibus cum Imperativo, & futuro primæ Conjugationis conveniunt. Reliqua præterea Verba hujus Conjugationis à Verbis primæ in iisdem discrepant, ac hæc duo מָצָא & נִמְצָא à Verbis פָּקַד & נִפְקַד discrepare vidimus, nempe quòd loco pathagh ubique scribendum sit ֵ, vel ejus loco in secundis, & primis personis ghirekh usurpandum, præterquam in הִמְצִיא; cujus ghirekh in primâ, & secundâ personâ mutatur in tsere, ut הִמְצֵאתָ, הִמְצֵאתִי, הִמְצֵאתֶם, הִמְצִיאוּ, &c. Deinde quòd tsere semper retinetur, nec in pathagh transit, ut פָּקֵד & פִּקֵּד, & denique quòd tertiam א omittere liceat.

CAP. XXIII.

De Verbis tertiæ Conjugationis.

HÆc Conjugatio, nempe Verborum in ה desinentium, à præcedenti non multùm differt; imò cum præcedenti sæpè convenit, idque propterea, quòd א pro ה usurpari, vel vicem ה supplere, & contra ה pro א usurpari, vel ejus vicem supplere potest. In hoc tamen potissimùm differunt, quòd Verba in א desinentia idem plerumque retineant, & rarò ַ in ghirekh mutare in secundis, & primis personis soleant, & contrà, quæ in ה desinunt, rarò idem retinere, & plerumque ַ in ghirekh longum, & rarò in breve mutare soleant. Deinde in hoc etiam differunt, quòd ה punctum מַפִּיק inscribi possit, & Verbum non gemino ּ; sed ּ, & ־, ut Verba primæ Conjugationis punctetur, cujus generis quatuor observantur, nempe גָּבַהּ, נָגַהּ, כָּמַהּ, תָּמַהּ, quæ etiam ut Verba primæ Conjugationis conjugantur, quæque propterea ad eandem refero. Quædam præterea hæc Verba, in ה desinentia, peculiaria habent, quæ suis in locis post eorum paradigma notabimus, hîc tantùm in genere addo, omnia inde oriri, primò quia ה post ghirekh, & tsere, & schurekh in י, & post חוֹלָם in ו mutari solent; secundò

quòd ה finale vel ob additam ſyllabam, vel propter regimen, &c. in ת mutetur, & denique quòd literarum quieſcentium, & gutturalium unam pro aliâ ſumere, vel eas etiam negligere liceat; imò poſt ſcheva ה plerumque omitti jam ſuprà oſtendimus, atque hæc in Verbis eodem modo, ac in Nominibus obſervari ex ſequenti paradigmate conſtabit.

Paradigma Verbi ſimplicis tertiæ Conjugationis.

Infinitivus formulas habet ſequentes.

גְּלֹא, גְּלָא, גָּלוֹ, גְּלִי, גָּלֹה, גָּלוּת & גָּלוּת, vel cum paragogico גָּלוֹתִי.

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
גָּלְתָה 3. f.	גָּלָה 3. m.	גְּלִי f.	גְּלֵה f.	תִּגְלֶה 2. f.	אֶגְלֶה 1. f.
גָּלָה 2. f.	גָּלִיתָ 2.	גְּלֶינָה pl.	גְּלוּ pl.	תִּגְלִי 2.	תִּגְלֶה 2.
גָּלִית & גָּלִיתְ	גָּלִיתִי 1.		& גְּלָיוּ	תִּגְלֶה 3.	יִגְלֶה 3.
	גָּלִינוּ 1. pl.			תִּגְלוּ 2. pl.	נִגְלֶה 1. pl.
	גָּלִיתֶם 2.			תִּגְלֶינָה 2.	יִגְלוּ 3.
	גָּלוּ vel גָּלָיוּ 3. pl.				& יִגְלֶינָה & יִגְלָיוּ
	תֵּן				

Annotationes.

Notavimus jam loco ה ſumi poſſe א, vel prorsùs in primis, & ſecundis perſonis præteriti, & in futuro omninò negligi, nec jod ejus loco ſubſtitui, ſed prorsùs, ut מָצָא, conjugari. Verùm hîc apprimè notandum, quòd futuri ה ablato, ejus accentus ad primam ejuſdem ſyllabam tranſit, & ſcheva mutatur in ſegol, fitq; 1. אֶגֶל, 2. תִּגֶל, 3. יִגֶל &c. Sed, ſi media thematis una fuerit ex litteris mutis, vel quieſcentibus, manet etiam ſcheva, ut יִשְׁבְּ loco יִשְׁבֶה, *captivum capere*, & יִשְׁקְ *bibere*; at ſi ה in jod muta-

mutatur, tum ſyllabæ transponuntur, fitque 1. אֶגְלִי, 2. תֶּגְלִי 3. יֶגְלִי &c. pro אֶגְלָה, תֶּגְלָה, יֶגְלֶה.

Solet deinde in Verbis ה propter aliud ה addendum non in ת, ſed in jod mutari. Sic חָסָה pro fœminino חֲסִתָּה habet חֲסִיָה. Sic אֶגְלָה ob additum ה paragogicum non habet אֶגְלֶתָה; ſed אֶגְלֶיהָ.

Denique ſecundæ, & tertiæ perſonæ futuri תִּגְלוּ & יִגְלוּ non ſolet addi נ paragogicum; at omninò ſecundæ earum formulæ תִּגְלֶינָה & יִגְלֶינָה ut יֹשְׁבִין יְרֵבִין &c.

Paradigma Verbi Paſſivi tertiæ Conjugationis.

Infinitivi formulæ.

1. נִגְלָה 2. נִגְלוֹת 3. נִגְלוֹת 4. הִגָּלֶה 5. הִגָּלוֹת.

Præteritum.

	f.	1.	m.		2.	
נִגְלָה	נִגְלְתָה	&	נִגְלָה	vel	נִגְלְתָה	נִגְלָה
נִגְלֵיתָ	נִגְלֵית		נִגְלֵיתָ		נִגְלֵית	נִגְלֵיתָ
&c.			&c.			&c.

Futurum.

f.	m.	
	אִגְלֶה	sing.
תִּגְלִי	תִּגְלֶה	
תִּגְלֶה	יִגְלֶה	
	נִגְלֶה	pl.
	תִּגְלוּ	
תִּגְלֶינָה	יִגְלוּ	

Imperativus.

הִגָּלֵה	הִגָּלִי	
הִגָּלוּ	הִגָּלֶינָה	
vel		
הִגָּלֵה	הִגָּלִי	
הִגָּלוּ	הִגָּלֶינָה	

Hoc Verbum nihil ſingulare, quod in præcedenti non notavimus, habet, niſi quòd, ſublato ה futuri, nec accentus propter-

ea, nec ſyllabæ mutentur. Nam ſublato ה conjugatur 1. אֶגֶל 2. תִּגֶל 3. יִגֶל &c. Cæterùm num ſecunda, & tertia perſona Pluralis numeri ה ſemper omittant, vel an etiam, ut in activo, idem in ו mutent, dubito. Credo tamen ad hoc Verbum reliqua omnia pertinere, quæ ad præcedens notavimus.

Paradigma Verbi intenſivi tertiæ Conjugationis.

Infinitivi formulæ ſunt.

1. גְּלֵה 2. גַּלֵּה vel גַּלֵּי 3. גַּלֹּת 4. גַּלּוֹת & cum ו paragogico גַּלּוֹתִי

Præteritum.		*Imperativus.*	*Futurum.*	
f.	m.		f.	m.
גִּלְּתָה	גִּלָּה 3. ſing.	גַּלֵּה 2. f.		אֲגַלֶּה 1. ſing.
גִּלֵּית	גִּלִּיתָ 2.	גַּלִּי vel גַּל	תְּגַלִּי	תְּגַלֶּה 2.
&c.			תְּגַלֶּה	יְגַלֶּה 3.
vel	גִּלָּה	גַּלּוּ 2. p.		נְגַלֶּה 1. p.
גִּלִּית	גִּלִּיתָ	גַּלֵּינָה & גַּלִּיוּ	תְּגַלֶּינָה	תְּגַלּוּ & תְּגַלִּיוּ 2.
&c.				יְגַלּוּ & יְגַלֶּינָה 3.

Hujus etiam futuri ה ſublato manet Verbum מְלֵרַע, nec ſyllabæ mutantur. Nam ſublato ה fit 1. אֶגַל 2. תְּגַל 3. יְגַל &c.

Paradigma Paſſivi Verbi intenſivi tertiæ Conjugationis.

Infinitivus 1. גְּלֵה 2. גֻּלֹּת vel גֻּלּוֹת.

Præteritum.			*Futurum.*	
f.	m.		f.	m.
גֻּלְּתָה	גֻּלָּה 3.	vel גֻּלָּה		אֲגֻלָּה 1. ſing.
גֻּלֵּית	גֻּלֵּיתָ 2.	גֻּלֵּית	תְּגֻלִּי	תְּגֻלֶּה 2.
	גֻּלֵּיתִי 1.	&c.	תְּגֻלֶּה	יְגֻלֶּה 3.
			&c.	

f.	m.	
	גָּלוּ	3. pl.
תֶּן	גָּלִיתֶם	2.
	גָּלִינוּ	1.

Cap. 17. notavimus pro ֫ usurpari posse ֬ ghatuph, cujus rei exempla præter alia hujus Conjugationis Verba suppeditant, ut Proverb. cap. 24. ℣. 31. כֻּסֹּה פָנָיו *apertæ sunt facies ejus*, & Psalmo 72. ℣. ult. כָּלוּ תְפִלּוֹת *finitæ omninò sunt orationes Davidis.*

Cæterùm quòd ֫ in gholem mutetur, quando media thematis non patitur dageschari, id cum Verbis primæ Conjugationis commune habet, nec in his Conjugationibus aliud notare suscepi; nisi id, in quo à Verbis primæ differunt.

Paradigma Verbi Derivati Activi tertiæ Conjugationis.

Hujus Infinitivi formulæ sunt.

1. הִגָּלֹה 2. הַגָּלָה 3. הַגֵּלָה 4. הִגָּלוֹת 5. הַגָּלוֹת

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הִגְלְתָה	הִגְלָה 3. sing.	הַגְלִי	הַגְלֵה sing.		אֲגַלֶּה 1. sing.
&	&				
הִגְלֶת	הִגְלֵה			תְּגַלִּי	תְּגַלֶּה 2.
הִגְלֵית	הִגְלִיתָ 2.	הַגְלֶינָה	הַגְלוּ pl.		&c.
&c.					
vel					
הִגְלָתָה	הִגְלָה 3.				
הִגְלִית	הִגְלִיתָ 2.				
&c.					

Futurum, & Imperativus, ה ablato, punctantur gemino segol, fitque אֶגֶל, תֶּגֶל pro תְּגַלֶּה אֲגַלֶּה, &c. Quòd si media thematis sit

muta, vel quieſcens, tum - manet, & ֵ in ֶ tranſit, ut יִשֵּׁק pro יַשְׁקֵה *bibere fecit*, hoc eſt, *bibendum dedit*, יִרְא pro יַרְאֵה *videre fecit*, ſive *oſtendit*, &c.

Cæterùm hujus Paſſivum הָגְלָה, הָגְלָה vel הָגְלוֹת, ut & reciprocum Paſſivum הִתְגַּלָּה, הִתְגַּלָּה vel הִתְגַּלּוֹת eodem modo, ac præcedentia, in Præterito, Imperativo, & Futuro terminantur, nec quicquam ſingulare habent, quod in Verbo ſimplici hujus Conjugationis non notaverim.

CAP. XXIV.

De Verbis quartæ Conjugationis.

QUicquid hæc Verba ſingulare habent, inde oritur, quòd ה & י nunquam ſyllabæ longæ adhæreant, ut etiam quòd ְ poſt longam, vel ante aliud ſcheva corripiendum nunquam, & rarò poſt brevem habeant Unde fit, quando in fine dictionis poſt tſere, ghirekh, gholem, vel ſchurekh occurrunt, ut pathagh habeat furtivum, de quo cap. 2. diximus: Deinde quòd ſecunda perſona fœminini generis, quæ duplex ſcheva in fine habere ſolet, loco primi habeat pathagh.

Hujus itaque Conjugationis Verba ſimplicia Activa Infinitivi formulas habent 1. שָׁמוֹעַ 2. שָׁמֵעַ vel שָׁמַע 3. שְׁמוֹעַ vel שְׁמַע & cum ה paragogico שָׁמְעָה & שְׁמָעָה. Cum gemino ר, & שָׁבַע ut פָּקַד non datur, quia, uti diximus, ח, vel ע ſyllabæ longæ non adhæret.

Præteritum autem pathagh furtivum non habet, ſed tantùm contractum שָׁמַע *ille audivit*, שָׁמַעְתָּ *tu audiviſti*, &c. In fœminino verò שָׁמְעָה *illa audivit*, שָׁמַעְתְּ *tu fœmina audiviſti* pro שָׁמַעְתִּי. Nam, uti dixi, ע, & ח ante ſcheva corripiendum non admittunt aliud ſcheva, quâ de re vide cap. 3. circa finem.

Cæte-

Cæterùm Præteritum פָּקַד deberet hîc esse שָׁמְעַ, & pro פָּקוֹד, שָׁמוֹעַ; sed solent hæc, uti diximus, contrahi in שָׁמַע, ut & Imperativus שְׁמוֹעַ in שְׁמַע, & Futurum אֶשְׁמוֹעַ in אֶשְׁמַע.

Atque hæ Regulæ in sequentibus etiam Verbis observandæ sunt, nec opus est prolixiùs hæc explicare. Hoc tantùm addo, quòd Esaiæ cap. 19. ℣. 6. habetur הֶאֱזִינִיחוּ pro הֶזִּנְחוּ vel הֶזִּנְחוּ *fiet, ut retro abjiciantur*, quæ forma Passivi Verbi derivati num hujus Conjugationis sit propria, an omnibus communis, & pro הֻפְקַד sumere liceat הָאֻפְקִיד, ut pro הֻזְנַח & הָאֻזְנִיחַ, הָשְׁמַע & הָאֻשְׁמִיעַ dubito.

CAP. XXV.

De Verbis quintæ Conjugationis.

VErba, quæ primam literam quiescentem habent י, eandem sæpe negligunt, vel in ו mutant. Nempe Verba simplicia activa pro infinitivis יָשַׁב, יֶשֶׁב & יָשׁוֹב, vel יָשַׁב sæpe habent שַׁב, שֵׁב, & שָׁב, imò, addito ה, vel ת paragogico, י semper negligitur, fitque pro שָׁבָה יָשְׁבָה, & pro שָׁבַת יָשְׁבָת. In Præterito autem י semper retinetur, in Imperativo negligitur plerumque, & denique in Futuro vel quiescit, vel negligitur. Ex.gr. ex formulis יָשַׁב, & יֶשֵׁב formatur Imperativus שַׁב, & שֵׁב. Quare in hoc etiam à Verbis primæ Conjugationis differunt, quòd horum Imperativus non formetur ex Infinitivo יָשׁוֹב, quod forte propterea factum est, ne confunderentur cum Verbis, quorum media radicalis est ו, de quibus suo loco dicemus. Hæc Verba igitur in Imperativo conjugantur hoc modo.

Impe-

Imperativus.			*Futurum.*		
f.	f.	m.	f.	f.	m.
		שֵׁב		אֵשֵׁב vel	1. אֵשֵׁב
		vel	תֵּשְׁבִי	תֵּשֵׁב vel	2. תֵּשֵׁב
	שְׁבִי	שֵׁב		&c.	
		vel	vel cum ' quiescente.		
		שְׁבָה		אֵישַׁב vel	אֵישֵׁב
	pl.	שְׁבוּ	תֵּשְׁבִי	תֵּישֵׁב	תֵּישֵׁב
	שֵׁבְנָה			&c.	

Accentus athnagh, & silukh mutant hujus Imperativi: in ֵ, fitque tum loco שְׁבִי שָׁבָה, & שְׁבוּ, שָׁבָה, שְׁבִי, & שָׁבוּ.

Porrò, quamvis in Bibliis non reperiatur Imperativus יְשַׁב, יָשַׁב, in usu tamen fuisse credo, & ex eo formatam esse Futuri formam אֵישַׁב & אֵישֵׁב. Nam Verbum יָרֵא, compositum scilicet ex hâc, & secundâ Conjugatione, Imperativum habet יְרָא *time*. Sic ex יָכַל, *fac possis*, mutato ' in ו formatur Futurum יוּכַל, תּוּכַל, יוּכַל &c. quod in aliis non credo licere, ne confundantur cum futuro Passivi Verbi reciproci, quo Verbum יָכוֹל caret.

Verba deinde Passiva ' in ו mutant, habentque in Infinitivo הִוָּשֵׁב pro הֵיָשֵׁב, &, ni fallor, pro נִישַׁב, נוֹשַׁב, ex quo Præteritum 3. נוֹשַׁב 2. נוֹשַׁבְתָּ &c. ut ex Infinitivo הִוָּשֵׁב Imperat. formatur.

fœm.	masc.	
הִוָּשְׁבִי	הִוָּשֵׁב	2. sing.
הִוָּשְׁבָנָה	הִוָּשְׁבוּ	2. plur.

& Futurum 1. אִוָּשֵׁב, 2. תִּוָּשֵׁב, &c.

Intensiva deinde tam Activa, quàm Passiva cum Verbis primæ Conjugationis omninò conveniunt. Nam & ' retinent, nec unquam quiescit, nisi Passivum characteristicam habeat נ, (quæ, ut cap. 17. diximus, Verbo intensivo Passivo præfigi etiam solet) nam tum etiam mutatur ' in ו, ut נוֹלְדוּ pro יָלְדוּ & נוֹלַד pro יָלַד Deinde Activi Futurum potest etiam contrahi, & pro יֵישֵׁב

scribi

scribi יֵשֵׁב, & יֵבֵשׁ pro יֵיֵבֵשׁ. In Derivatis autem vel quiescit, vel in ו, quod plerumque fit, mutatur. Nam in Infinitivo habent הוֹשִׁיב pro הַיְשִׁיב, הוֹשֵׁב vel הֵישֵׁב pro הַיְשֵׁב.

Ex primâ autem הוֹשִׁיב *formatur Præteritum.*

	f.	m.
3.	הוֹשִׁיבָה	הוֹשִׁיב
2.	הוֹשַׁבְתְּ	הוֹשַׁבְתָּ

&c.

Ex secunda הוֹשֵׁב & הֵישֵׁב *formatur Imperativus.*

f.	m.
הוֹשִׁיבִי & הֵישִׁיבִי	הוֹשֵׁב הוֹשִׁיב
הוֹשֵׁבְנָה	הוֹשִׁיבוּ

Ubi י vel quiescit, vel in ו mutatur.

Futuri denique terminatio in his, ut in Verbis primæ Conjugationis tam ghirek, quàm tsere est; י autem, ut in Imperativo, vel quiescit, vel in ו mutatur, unde formulas habet sequentes הוֹשֵׁב & הֵישֵׁב fœm. הוֹשִׁיבִי &c.

Futurum.	1.		2.		3.		4.	
	f.	m.	f.	m.	f.	m.		
1.		אוֹשֵׁב		אוֹשִׁיב		אֵישֵׁב		אֵישִׁיב
2.	תּוֹשִׁיבִי	תּוֹשֵׁב	תּוֹשִׁיבִי	תּוֹשִׁיב	תֵּישִׁיבִי	תֵּישֵׁב	תֵּישִׁיבִי	תֵּישִׁיב
	תּוֹשֵׁבְנָה	יוֹשֵׁב	&c.		&c.		&c.	

&c.

Atque hîc apprimè notandum, quòd in his non necesse sit, Verbi characteristicam propter characteristicam temporis excludere; sed ad libitum eandem in primâ, & secundâ formulâ vel retinere, vel omittere, & in tertiâ, & quartâ pro eâ י sumere licet. Nempe loco אוֹשֵׁב, תּוֹשֵׁב, יוֹשֵׁב scribere licet אֲהוֹשֵׁב, תְּהוֹשֵׁב, יְהוֹשֵׁב &c. & loco אֵישֵׁב, תֵּישֵׁב, יֵישֵׁב scribere אֲיֵשֵׁב, תְּיֵשֵׁב, יְיֵשֵׁב &c. mutando scilicet characteristicam ה in י. Sic etiam pro אוֹשִׁיב & אֵישִׁיב regulariter scribitur אֲהוֹשִׁיב & אֲיֵשִׁיב.

Deinde notandum Verbum derivativum ex יָשַׁר *rectum esse*

retinere plerumque י in Infinitivo, Imperativo & Futuro; atque in his cum Verbis primæ convenire. Habet enim Infinitivum הַיָּשֵׁר, Imperativum f. הַיְשִׁירִי m. הַיָּשֵׁר, & Futurum 1. אַיָּשֵׁר 2. תַּיָּשֵׁר 3. יַיָּשֵׁר &c.

Deinde derivatum ex יָצָא *exire* similiter etiam videtur, quòd י retinuerit, quandoquidem Scribæ Gen. cap. 8. ℣. 17. Imperativum utrumque הוֹצֵא & הַיְצֵא admiserint. Quod an his duobus tantùm singulare fuerit, dubito. Hæc de Verbo derivato activo.

Passivum י in ו mutat, vel ipsum negligit. Ejus enim Infinitivi formulæ sunt הוּשַׁב & הָשַׁב vel הוּשָׁבַת & הָשָׁבַת Præteritum 1. m. הוּשַׁב f. הוּשְׁבָה 2. הוּשַׁבְתָּ, &c. vel 1. הָשַׁב 2. תָּשַׁבְתָּ Imperativus m. הוּשַׁב f. הוּשְׁבִי &c. Futurum. 1. אוּשַׁב 2. m. תּוּשַׁב f. תּוּשְׁבִי &c.

Reciproca præterea hujus Conjugationis Verba activa vel י retinent, & cum Verbis primæ planè conveniunt, vel ipsum in ו mutant. Nam Infinitivum habent הִתְיַשֵּׁב & הִתּוֹשֵׁב, nec præter hoc aliud habent, in quo à Verbis primæ differant.

Passiva denique, quæ characteristicam habent נ, & ת per dageſch compensare solent, (quam formam reciproca Passiva præter alias habere ostendimus cap. 21.) י in ו mutant, ut וְנִוָּטְרוּ *& dabunt se disciplinandum* Ezech 23: 48. Reliquarum verò formularum, nempe נִתְיַשֵּׁב, הָתְיַשֵּׁב &c. nullæ, quòd sciam, exstant, nec tamen ideo reprobandæ.

Cæterùm hîc notandum venit, quædam esse Verba, quorum prima tam est י, quàm נ, ut יָקַשׁ *implicare laqueo*, cujus prima loco י sæpe est נ, habetque pro יָקַשׁ, נָקַשׁ. Cùm autem Verba, quorum prima est נ plerumque (ut infrà ostendam) defectiva sint, hinc fit, ut Verba hujus Conjugationis defectiva Verba aliquando imitari videantur. Alia deinde hujus rei causa, & quæ hîc apprimè notanda est, quòd scilicet literæ unius

thema-

thematis non rarò transponantur, ut חָתַר & חָרַת *fodere*, כֶּשֶׂב & כֶּבֶשׂ *agnus*. Atque hæc transpoſitio in Verbis hujus Conjugationis ſæpius obſervatur, ut יָעֵף & עָיֵף *laſſum fieri*, יָצַר & צָיַר *formam dare*; unde fit, ut Verba hujus Verba ſextæ Conjugationis, quibus quieſcens media plerumque deficit, imitentur. Nam transpoſito י, ex יָצַר fit, ut diximus, צָיַר cujus Infinitivus צִיּוֹר contrahitur in צוּר, in formam ſcilicet Infinitivi ſextæ Conjugationis, ſic יָגֹר *timere*, transpoſito י, & eo in ו, ut ſupra, mutato Infinitivum habet גּוּר, & יָבוֹשׁ *erubeſcere*. Infinitivum etiam habet בּוּשׁ. Hinc etiam propter eandem cauſam יָצַק, יָצַג, & alia, quorum prima eſt י, modò hanc, modò ſextam Conjugationem (de quâ infrà) ex analogiâ linguæ ſequuntur.

CAP. XXVI.

De Verbis compoſitis ex hâc quintâ & tribus præcedentibus Conjugationibus.

VErba compoſita, de quibus hîc pauca monere volui, illa ſunt, quorum prima eſt ו, & tertia א vel ה aut י. Sed quoniam eorum conjugandi modus ex præcedentibus facilè cognoſcitur, de iis ex profeſſo agere, & Conjugationum numerum augere ſuperfluum omninò judicavi, pauca tamen de eisdem monere operæ pretium duxi.

Quæ in א deſinunt, duo tantùm novimus, nempe יָצָא *exire*, & יָרָא *timere*, quæ propter quieſcentem א ultimam longam, ut Verba ſecundæ Conjugationis, ſemper habent, in reliquis autem יָצָא cum Verbis quintæ convenit, niſi quòd Infinitivum loco צֵאת habeat צֵאת. Verbum præterea יָרֵא in Activo ſimplici retinet ſemper י, nec niſi in futuro quieſcit; nam Infinitivus, & Imperativus habet יָרֹא & יְרֹא & cum ה paragogico יְרָאָה. At Futurum 1. אִירָא 2. תִּירָא 3. יִירָא.

Quæ verò in ה desinunt, mutant, ut Verba secundæ, ה vel in י, vel in ו, & eodem modo terminantur. Ad literam Jod quod attinet, ea in activo simplici quiescit quidem in futuro, vel in ו mutatur: Sed nunquam negligitur. Ex. gr. יָפֶה, יָפָה, יָפוֹת, &c. *pulcrum esse*, habet in Imperativo יְפֵה & Futuro. 1. masc. אֵיפֶה 2. תֵּיפֶה, fem. תֵּיפִי &c. Sublato ה autem habet 1. אֵיף 2. תֵּיף 3. יֵף &c. At יָרָה projicere habet Imperativum יְרֵה, cujus י in Futuro mutatur in i, fitque אוֹרֶה 2. תּוֹרֶה 3. יוֹרֶה, & sublato ה fit אוֹר, תּוֹר, יוֹר &c. Reliqua autem Verba, nempe passivum, derivatum, & reciprocum, paradigma quintæ sequuntur.

Quæ denique in ה vel ע desinunt, paradigmata quartæ, & quintæ Conjugationis sequuntur. Ex. gr. יָדַע יְדַע *scire* contrahuntur in יָדַע & sublato י fit דְּעַ, דַּע, דַּע. Hinc Imperativus דַּע *scito*, & Futur. אֵדַע, תֵּדַע, & cum ה paragogico אֵדְעָה. Porrò Passivum simplex Infinitivum habet נוֹדַע & הִוָּדַע. Relativum Activum הוֹדִיעַ & הוֹדַע, & Passivum הוּדַע. Reciprocum denique Activum הִתְוַדַּע & Passivum הָתְוַדַּע &c. Hæc sunt quæ de his notare susceperam.

CAP. XXVII.

De Verbis sextæ Conjugationis.

QUæ mediam quiescentem habent א, י vel ו, eandem plerumque abjiciunt. Intellige quando reverâ quiescunt, ut קוּם *surgere*, שׁוּב *reverti*, גִּיל *lætari*, aliàs retinentur semper, ut שָׁאוֹל *petere*, עָוֹת *depravari*, אָיַב *inimicari*, &c. Deinde, quoniam ea, quæ mediam quiescentem ו habent, illam ut plurimum in י mutent, & præter tria, aut quatuor nulla reperiantur, de quibus constet mediam ו habuisse, ideò Grammatici mediam quiescentem habentium duo genera agnoscunt, unum

scilicet

ſcilicet eorum, quæ mediam ו, & alterum eorum quæ mediam י habent.

Cæterùm קָאַם *ſurrexit*, & רָאַם *altum eſſe*, quia non niſi ſemel in Scripturâ occurrunt, ut & אָרַשׁ *triturare*, cujus א (quòd ſæpe fieri oſtendimus) transpoſitum eſt, ut anomala notant. Verùm enimverò, tam quæ א, quàm quæ י mediam habent, ſolent eandem in ו mutare. Nam ſicut loco קָאַם uſurpatur קוּם *ſurgere*, ſic loco שִׂישׂ *gaudere*, שׂוּשׂ & loco לִין *noctare*, לוּן &c. ſæpe uſurpatur; & hinc factum, ut hæc tria quieſcentium genera ad unum referre non dubitaverim; præſertim quia eorum conjugandi ratio eadem eſt. Nempe Verbum Activum ſimplex Infinitivi formulas ut plurimùm habet קוּם, & קוֹם, vel neglecto ו, קָם, & קֻם. Cum א enim rariſſimè reperitur, & quæ י habent ut שִׂישׂ, לִין &c. idem in ו ſæpe mutari oſtendimus. In præterito autem abjicitur ut plurimùm quieſcens; ejus enim communis forma eſt:

	f.	m.	
3.	קָמָה	קָם	ſing.
2.	קַמְתְּ	קַמְתָּ	
1.	קַמְתִּי		
3.	קָמוּ vel קָמוּ	קָמוּ	pl.
&c.			

Poteſt etiam præteritum cum ־, ֻ & gholem loco ֹ punctari, ut בּוֹז *ſprevit*, אוֹר *luxit*, בּוּשׁ *erubuit*, מֻת *obiit*. Namquoniam media thematis deficit, punctatur prima iisdem ſyllabis, quibus tertia thematis adhærere ſolet. Atque adeò hæc Verba tot præteriti formulas habent, ac Verba primæ Conjugationis, quarum ſecunda ſyllaba, cui tertia litera thematis adhæret (ut cap. 14. oſtendimus) eſt vel ֹ, vel ־, vel ֻ, vel ֵ.

Deinde ſicut primæ, ſic etiam hujus Conjugationis Verba mutant in ſecundis, & primis perſonis ֹ & ֻ in ־, & gholem retinent. Hoc tantùm hæc ſingulare habent, quòd in tertiâ ſin-

gulari fœminini generis, & in tertiâ plurali non mutant, ut Verba primæ, gholem, nec-, nec - in ſcheva; tametſi accentus non ſit אתנח, neque סִילוּק. Nam, ſi in ſcheva mutaretur, prima thematis in præterito eſſet breviſſima contra communem præteriti ſimplicis uſum.

Solent præterea, quæ mediam habent ', eandem in præterito etiam retinere,, exempli gratiâ רִיב *litigare* præteritum habet 3. רָב 2. רַבְתָּ &c. vel 3. רִיב 2. רִיבוֹתָ f. דִּוֹבוֹת 1. רִיבוֹתִי &c. Sed alii credunt, nec abſque ratione, hanc formam Verbi intenſivi eſſe loco רוֹבֵב; (de quo ſtatim) alii autem Verbi reciproci eſſe, & ה, neſcio, quâ de causâ, omitti.

Imperativus Infinitivi omnes habet formulas, nempe:

f.	m.	f.	m.	f.	m.	f.	m.	f.	m.
קוּמִי	קוּמוּ pl.	קוֹם קוּמִי	קוֹם f.	קוֹם קוּמִי	vel	קוֹם קוּמִי	vel	קוֹם קוּמִי	vel
		&c.		&c.		&c.			

Atque hinc futuri formulæ אָקוּם & אָקֻם vel אָקוֹם & אָקֹם.

Et his omnibus Imperativi & Futuri formulis ה paragogicum eleganter additur, ut קוּמָה *ſurge*, שׁוּבָה *revertere*, אָקוּמָה *ſurgam*, &c.

Paſſivum Activi formam קוֹם ſervat, & הִפְקִיד habet הָקוֹם, & pro נִפְקוֹד habuiſſe credo נָקוֹם; unde

Præteritum.			*Imperativus.*		*Futurum.*		
f.	ſ.	m.	f.	m.	f.	m.	
נָקוֹמָה		נָקוֹם 3.	הִקּוֹמִי	הָקוֹם 1.		אָקוֹם 1.	f.
נָקוֹמוֹת		נָקוֹמוֹתָ 2.	הִקּוֹמְנָה	הָקוֹמוּ pl.	תָּקוֹם	תָּקוֹמִי 2.	
		נָקוֹמוֹתִי 1.			יָקוֹם	תָּקוֹם 3.	
	pl.	נָקוֹמוּ 3.			&c.	נָקוֹם 1.	pl.
	תֶּן	נָקוֹמוֹתֶם 2.				תָּקוֹמוּ 2.	
		נָקוֹמוֹנוּ 1.					

Verbum intenſivum mediam א, utpote gutturalem, duplicare nequit; poſſet vocali longâ compenſari; verùm quoniam

ut

ut plurimùm negligitur, ut etiam ו & י; ideo hujus Conjugationis Verba rarò ſecundam; ſed plerumque tertiam duplicant. Fit igitur ex קוּם *ſurgere*, קוֹמֵם *erigere*; unde præteriti 3. m. קוֹמֵם f. קוֹמְמָה 2. m. קוֹמַמְתָּ f. קוֹמַמְתְּ &c. & Imperativi m. קוֹמֵם f. קוֹמְמִי &c. & denique futuri 1. אֲקוֹמֵם. 2. תְּקוֹמֵם f. תְּקוֹמְמִי &c.

Hujus autem Paſſivum ſolo pathagh ab Activo diſtinguitur. Fit ſcilicet ex Activo קוֹמֵם Paſſivum קוֹמַם *erigi*. Unde Præteriti 3. m. קוֹמַם f. קוֹמְמָה, 2. קוֹמַמְתָּ & Futuri 1. אֲקוֹמַם 2. תְּקוֹמַם f. תְּקוֹמְמִי. Atque hic communis fuit apud priſcos modus hujus Conjugationis Verba intenſiva conjugandi. At poſteri ex חוּב *debere* vel *debitum* intenſivum fecerunt חִיֵּב (forte ne confunderetur cum חוֹבֵב *diligere*) & ex קוּם fecerunt קִיֵּם *firmavit*, *ſtabilivit*, *præſtitit*; & ad hunc modum alia.

Solet dein non rarò prima thematis duplicari, ut כִּלְכֵּל ex כוּל. Sed de his vide cap. 31.

Præter has aliam hujus Conjugationis formulam intenſivis quidam tribuunt, nempe 3. קִים 2. קִימוֹתָ f. קִימוֹת 1. קִימוֹתִי &c. nec à vero aberrare videntur.

Verba præterea derivata quieſcentem mediam negligunt, habentque Infinitivum חָקֵם, חָקִים & חֵקִים; in præterito autem terminationem Activi ſimplicis, vel (quod frequentiùs in Bibliis obſervatur) Paſſivi imitantur. Eſt enim

Præteritum.

f.		m.		f.	m.
חֵקִימָה	ſing.	חֵקִים	3. vel	חֵקְמָה	חֵקִים 3.
חֲקִימוֹת		חֲקִימוֹתָ	2.	חֲקַמְתְּ	חֲקַמְתָּ 2.
		חֲקִימוֹתִי	1.	&c.	חֲקַמְתִּי 1.
	pl.	חֵקִימוּ	3.	*Imperativus.*	
		חֲקִימוֹתֶם	2.	f.	m.
	תֶּן	חֲקִימוֹנוּ	1.	חָקְמִי	חָקֵם vel חָקִים ſing.
				חָקֵמְנָה	חָקְמוּ plur.

Et

Et hinc Futurum. 1.

f.	m.	
	אֶקְטֹם	1.
תִּקְטְמִי	תִּקְטֹם	2.
תִּקְטֹם	יִקְטֹם	3.

&c.

Et ſecundum.

f.	m.	
	אָקְטֹם	1. ſing.
תִּקְטְמִי	תָּקְטֹם	2.
תִּקְטֹם	יִקְטֹם	3.
	נִקְטֹם	&c. pl.
	תִּקְטְמוּ	

&c.

At tranſlato accentu ad primam mutatur ֶ in ֵ, nempe אֵקְטֹם, תֵּקְטֹם &c.

Paſſivum neglectâ etiam quieſcente Infinitivum habet הוּקְטֹם & הוּקְטֵם vel הָקְטֵם & הָקְטֹם & Præteritum 3. הוּקְטַם 2. m. הוּקְטַמְתָּ f. הוּקְטַמְתְּ vel 3. הָקְטַם 2. m. הָקְטַמְתָּ & ſic porrò; cum quo etiam Futurum convenit. Eſt enim vel 1. אוּקְטַם 2. m. תּוּקְטַם f. תּוּקְטְמִי &c. vel 1. אָקְטַם 2. תָּקְטַם &c.

Reciprocum denique formatur, ut in reliquis Conjugationibus, à ſuo intenſivo קוֹמֵם, eidem ſcilicet ſyllabam הִתְ præponendo, & tametſi hujus Conjugationis intenſivum nunquam in -, ſed ſemper in ֶ deſinit, reciprocum tamen tam in ֵ, quàm ֶ terminatur. Nempe Infinitivus הִתְקוֹמֵם & הִתְקוֹמֶם, Præteritum 3. m. הִתְקוֹמֵם f. הִתְקוֹמְמָה &c. Imperat. הִתְקוֹמֵם, Futurum אֶתְקוֹמֵם &c. Nec aliud in his notandum, quod cum Verbis primæ commune non habeant.

Cæterùm Verba compoſita ex hâc, & tertiâ Conjugatione nulla dantur. Nam quæ mediam וּ vel יִ, & tertiam ה habent, eorum media non quieſcit, ut טָוָה *nere*, לָוָה *mutuò accipere*, חָיָה *eſſe*, &c.

Quæ ultimam habent א, ſunt tantùm בּוֹא *venire*, & נוֹא *diſplicentiam habere*, quorum Activum ſimplex in Præterito ſemper propter quieſcens א retinet ֶ, ſicuti מָצָא, & Imperati-

vus

vus gholem, nempe m. ſ. בּוֹא f. בּוֹאִי & בֹּאִי m. p. בּוֹאוּ & בֹּאוּ f. בּוֹאָה & בֹּאָה, Futurum præter 1. אָבוֹא 2. תָּבוֹא f. תָּבוֹאִי &c. habet fœm. 1. אָבוֹאָה 2. תָּבוֹאתִי 3. תָּבוֹאתָה. Paſſivo ſimplici & intenſivo Activo & Paſſivo caret utrumque.

Reciprocum terminatur plerumque ut מָצָא; nempe præteritum Activi 3. m. הֵבִיא f. הֵבִיאָה 2. הֵבֵאתָ f. הֵבֵאתִי 1. &c. Sed non rarò etiam habet 3. הֵבִיא 2. הֲבֵאוֹתָ f. הֲבִיאוֹת ut הֵקִים, הֲקִימוֹתָ &c. Paſſivum autem 1. הוּבָא 2. הוּבֵאתָ &c. Reciproco denique utrumque, nempe tam בּוֹא, quàm נוֹא caret. Cæterùm circa illa, quorum tertia eſt ה vel י, obſervanda tantùm ſunt, quæ cap. 24. dicta ſunt.

CAP. XXVIII.

De Verbis ſeptimæ Conjugationis.

DIximus ſuprà cap. 2. & 3. gutturales nunquam duplicari; ſed ejus loco præcedentem ſyllabam ex brevi in longam mutari. Deinde eaſdem rarò ſcheva corripiendum, & nunquam pronunciandum habere; ſed ejus loco unum ex tribus compoſitis uſurpari. Atque hæc circa hujus, & ſequentis Conjugationis Verba potiſſimùm obſervanda ſunt, & præterea, quòd poſt ſcheva compoſitum nunquam ſcheva ſimplex ſequatur: nam tum ambo eſſent pronuncianda, quod per ea, quæ cap. 3. dicta ſunt, fieri nequit.

Eſto horum paradigma אָזַר *cingere*. Cujus Infinitivi formulæ ſunt: 1. אָזֹר 2. אָזוֹר 3. אָזֹר & 4. אֲזֹר.

Præteritum.		*Imperativus.*	
m.	f.	m.	f.
3.f. אָזַר	אָזְרָה	אֲזֹר	אִזְרִי
2.pl. אֲזַרְתֶּם	אֲזַרְתֶּן	אִזְרוּ	אֲזֹרְנָה

Futurum.

	f.		m.	
cum ה paragog.	אֹאמְרָה	&	אֹאמַר	1. sing.
	תֹּאמְרִי		תֹּאמַר	2.
	vel		vel	
	תֹּאמְרִי		תֹּאמַר	
		&c.	נֹאמַר	
		pl.	תֹּאמְרוּ	
	תֹּאמַרְנָה			

&c.

Solet tamen non rarò in futuro א quieſcere, & in primâ perſonâ negligi ; ſed tum in - terminatur, ut אֹמַר *dicam*, תֹּאמַר *dices*, f. תֹּאמְרִי &c.

Deinde ח in futuro ; corripiendum habere poteſt, ut תַּחְפֹּץ *voles*. Atque hîc ad evitandum, ne duo ſchevata in initio dictionis occurrant, non mutatur primum, ut aliàs ſolet, in ghirek; ſed in eandem vocalem, ex quâ : componitur.

Paſſivum ſimplex Infinitivi formulas habet הֵאָזֹר, הֵאָזֵר, נֵאָזֹר & נֵאָזַר Unde

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
נֵאָזְרָה	נֵאָזַר 1. sing.	הֵאָזְרִי	הֵאָזֹר sing.		אֵאָזֵר 1.
נֵאָזַרְתְּ	נֵאָזַרְתָּ 2.		&c.	תֵּאָזֵר	תֵּאָזֹר 2.
&c.				&c.	

Ex נֵאָזְרָה, quando accentus eſt athnagh, vel ſilukh ſit נֵאָזֹרְתָה vel נֵאָזֹרָה cum א quieſcente, & ad hunc modum pro נֵאָזְרוּ fit נֵאָזְרוּ.

Intenſivum tam Activum, quàm Paſſivum nihil ſingulare habet notandum. Derivatum verò activum Infinitivi formulas habet הַאְזִיר & הַאֲזֵר & הַאֲזִיר.

Pra-

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הָאוְִירָה sing.	הָאוִיר 3.		הַאֲזֵר		אַאֲזִיר 1.
רְתְּ	הָאוַרְתָּ 2.	הַאֲזִירִי	&	תַּאֲזִירִי	תַּאֲזִיר 2.
&c.			הַאֲזִיר		vel
		הַאֲזִירוּ			אָזִיר 1.
		הַאֲזֵרְנָה		&c.	תַּאֲזֵר 2.

Quieſcit hîc etiam in futuro ſæpe א, fitque 1. אֹזִיר vel אֲזִיר vel אָזֵר. 2. תֹּזִיר vel תַּזִּיר &c.

Paſſivum Infinitivum habet הָאָזֵר: Unde

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הָאוְזְרָה	הָאוַזַר 3.		הָאָזֵר		אֵאָזֵר 1.
רְתְּ	הָאוְזַרְתָּ	הָאָזְרִי	&	תָּאָזְרִי	תָּאָזֵר 2.
&c.			הָאָזֵר		
		הָאָזְרוּ		&c.	
		הָאָזַרְנָה			

Reciprocum, tam Activum, quàm Paſſivum nihil ſingulare notandum habet. Denique modus Verba compoſita (ex hâc ſcilicet & præcedentibus) conjugandi, facilè unuſquiſque ex jam traditis noſcere poteſt.

CAP. XXIX.

De Verbis octavæ Conjugationis.

CIrca hæc ea præcipuè notanda ſunt, quæ cap. præcedenti notavimus, nec opus eſt eadem exemplis illuſtrare; in hoc tamen potiſſimùm diſtinguuntur, quòd eorum Intenſiva puncto dageſch omninò careant, hoc eſt, loco puncti dageſch, quod admittere nequeunt, non ſolent vocalem præcedentem brevem in longam mutare. Solent aliàs Verba Intenſiva me-

diam, ut diximus, thematis duplicare, vel quando id fieri nequit, antecedentem brevem in longam mutare, ut בֵּרֵךְ pro בֵּרֵךְ, & אֲבָרֵךְ pro אֲבֵרֵךְ. Sed hujus (inquam) Conjugationis Verba nec mediam duplicare poſſunt, nec præcedentem ſyllabam mutare propterea ſolent. Nam שָׂחַק *ludere* intenſivum habet שִׂחֵק *illudere*, & בָּעַר *ardere* habet בִּעֵר *incendere*, & טָהַר, טִהֵר *mundare*, כָּהַן *adminiſtrare*, vel *officium ſacerdotis exercere*, נָאַץ *irritare*. Pleraque tamen, quæ א habent, ſyllabam mutant in longam, ut בָּאַר *explicare*, מָאֵן *nolle*, תָּאַב *averſari*, & ſic alia. Quæ denique circa Verba, ex hâc, & præcedentibus Conjugationibus compoſita, notanda ſunt, ex præcedentibus facilè colliguntur.

CAP. XXX.

De Verbis Defectivis.

PEr Verba Defectiva illa intelligo, quibus una thematis deficere ſolet, ut ſunt Verba ſecundæ, & tertiæ Conjugationis, vel illa quorum prima eſt ו, vel נ, vel quorum media eſt א, vel נ, vel ו, vel denique quorum ſecunda, & tertia eadem eſt litera. De Verbis primæ, & ſecundæ Conjugationis, deque iis, quorum prima ו, vel quorum media א, vel ו eſt, egimus capp. 22. 23. 25. 26. & 27. Supereſt ut de reliquis duobus Defectivorum generibus agam, & primò de iis, quorum prima eſt נ. Horum, inquam, plurima, non omnia נ quibuſdam in locis vel omittunt, vel retinent; ſed, quando fieri poteſt, puncto dageſch compenſatur, hoc eſt, ratione ſcripturæ tantùm, non autem vocis Defectiva ſunt. Non, inquam, propterea, tametſi una ſyllaba, aliquando deficiat. Nam Verba monoſyllaba, modò nulla thematis litera deficiat, non ſolent defectiva, ut nec etiam polyſyllaba, ut יָדַע redundantia appellari.

Horum Paradigma ſit Verbum primæ Conjugationis נָגַשׁ

appro-

appropinquare, cujus Infinitivi ſimplicis forma etiam eſt נֵגַשׁ, & cum ה paragogico נִגְּשָׁה, cujus regimen eſt נִגְּשָׁת.

Præteritum analogum ſemper eſt.

	Imperativus.			*Futurum.*	
	f.	m.		f.	m.
sing.	גְּשִׁי & גֹּשִׁי	גַּשׁ & גֹּשׁ		תִּגְּשִׁי	יִגַּשׁ 1.
pl.	גֹּשְׁנָה	גְּשׁוּ		תִּגַּשְׁנָה	תִּגְּשׁוּ 2.

Et cum ה paragogico אֶגְּשָׁה, & cum accentu athnagh, vel ſilukh אֶגְּשָׁה.

Verbum נָתוֹן *dare*, *concedere*, pro תֵּת habet תֶּת, & Imperativum תֵּן *da*; unde futurum אֶתֵּן, תִּתֵּן, &c.

Secundæ Conjugationis נָשָׂא *ferre*, *tollere*, Verbum נָגַשׁ imitatur.

Quæ tertiæ ſunt Conjugationis, Activum ſimplex præter futurum analogum habent, ut נָטָה, vel נָטוֹת &c. *tendere*, *inclinare*, cujus Imperativus eſt נְטֵה: at futurum אֶטֶּה &c. & ſublato ה fit אֶטֵּט, תֶּטֵּט, יֶטֵּט &c.

Verba deinde quartæ imitantur paradigma primæ, ut נָפַח *ſufflare* נְפַח & cum ה paragogico נְפָחָה & cum ת נְפַחַת.

At ſextæ analoga ſemper ſunt, ut & Verba octavæ Conjugationis, excepto Chaldaico נָחַת *deſcendere*, de quo tamen dubito.

Paſſivum ſimplex analogum eſt, niſi quòd in præterito propter נ characteriſticum נ thematis omittatur, ipſum per dageſch compenſando, ut נִגַּשׁ pro נִנְגַּשׁ. Sed hoc analogum eſſe ex iis, quæ cap. 15. diximus, patet.

Verbum deinde Intenſivum tam Activum, quàm Paſſivum analogum ſemper eſt; at derivatum pro הִנְגִּישׁ, הִנָּגֵשׁ & הֻנְגַּשׁ habet הִגִּישׁ, הִגַּשׁ & הֻגַּשׁ. Unde

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הִגִּישָׁה	3. הִגִּישׁ	הַגִּישִׁי	הַגֵּשׁ & הַגִּישׁ		1. אַגִּישׁ & אַגִּישׁ
שְׁתְּ	2. הִגַּשְׁתָּ	pl. הַגִּישׁוּ	הַגִּישָׁה	תַּגִּישִׁי	2. תַּגִּישׁ
&c.	1. הִגַּשְׁתִּי			תַּגִּישׁ	3. יַגִּישׁ
				&c.	

Sic Verbum tertiæ Conjugationis נָטָה derivatum habet הַטֵּה, הַטָּה & הַטּוֹת, unde præteritum הִטָּה f. הִטִּיתָ 2. הִטִּיתָ, & Imperativus הַטֵּה, & futurum אַטֶּה 2. תַּטֶּה f. תַּטִּי &c. vel sublato ה fit אַט, יִט &c. Sic etiam quartæ Conjugationis נָסַע, *castra movere* reciprocum habet הִסַּע, vel contractè הַסַּע, unde futurum אֶסַּע, אַסַּע &c

Cæterùm notandum, Verbum derivatum multò frequentiùs carere נ, quàm simplex, exceptis Verbis sextæ, & octavæ Conjugationis, quæ, ut diximus, analoga semper sunt. Derivatum Passivum suum Activum habet, vel Infinitivum הִנָּשׂ, vel הִנַּשׂ. Unde

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.		
הִנָּשָׂה	3. הִנָּשׂ	הִנָּשִׂי	הִנָּשׂ		1. אִנָּשׂ
&c.	2. הִנַּשְׂתָּ	&c.		תִּנָּשׂ	תִּנָּשִׂי
				&c.	

Reciprocum tam Activum, quàm Passivum analogum est.

Denique Verbum לָקַח *accipere* huc referendum est, quòd solùm hoc paradigma imitatur. Reliqua enim omnia, quorum prima thematis est ל, analoga sunt.

CAP.

CAP. XXXI.

De altero Defectivorum genere.

QUæ ſecundam, & tertiam eandem habent literam, ſolent non rarò unam amittere. Ex.gr. סָבַב *circuire* Infinitivum frequentiùs habet סֹב, vel ablato accentu סָב cum - ghatuf; habet præterea non rarò סוֹב & סַב, ut בְּרֹן־יַחַד *cum cantant ſimul.* Hinc Præteritum loco סָבַב frequenter habet.

Præteritum.		*Imperativus* pro סָבַב		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
סַבָּה sing.	סַב 3.	סֹבִי	סוֹב sing.		אָסוֹב sing. 1.
סַבּוֹת	סַבּוֹת 2.	סֹבְנָה	סוֹבוּ plur.	תָּסוֹבִי	תָּסוֹב 2.
	סַבּוֹתִי 1.	סֹבִי vel	סָב	תָּסוֹב	יָסוֹב 3.
pl.	סַבּוּ 3.	סֹבְנָה	סֹבוּ		נָסוֹב plur. 1.
	סַבּוֹתֶם 2.	סוֹבִי vel	סוֹב		תָּסוֹבוּ 2.
תֵּן	סַבּוֹתֵינוּ 1.	סוֹבְנָה	סוֹבוּ	תָּסֹבְנָה	{ תָּסוֹבוּ 2. / יָסוֹבוּ 3.

Tertia perſona præteriti tam ſingularis, quàm pluralis poteſt loco - haberè gholem, ut סַב pl. סַבּוּ; deinde ו non rarò ubique negligitur, fitque סַבּוֹת, סַב, אָסַב pro סוֹב סַבּוֹתָ & אָסוֹב. Futurum præterea convenit ſæpè cum futuro Verborum, quorum prima eſt נ, nempe pro אָסוֹב, תָּסוֹב, יָסוֹב &c. Habet ſæpe אֶסּוֹב, תְּסוֹב, יְסוֹב &c. compenſando ſcilicet ſyllabam longam per dageſch. Ex Imperativi formâ denique סוֹב formatur etiam futurum אָסוֹב, תָּסוֹב, יָסוֹב &c.

Paſſivum Infinitivi formulas habet נָסַב, & הָסוֹב, & הָסֵב, vel הָסַב.

Præ-

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
נָסְבָה f. sing.	נָסַב 3.	סֹבִּי	סֹב f.		אָסֹב 1.
נָסַבְתְּ	נָסַבְתָּ 2.	סֻבֶּינָה	סֹבּוּ pl.	תִּסֹּבִי	תָּסֹב 2.
	נָסַבְתִּי 1.	vel		&c.	יָסֹב 3.
נָסַבְנָה pl.	נָסַבּוּ 3.	סֹבְבִי	סוֹב	vel	
נְסַבְתֶּן	נְסַבְתֶּם 2.	סֻבֶּינָה	סֹבּוּ		אָסוֹב 1.
	נָסַבְנוּ 1.			תְּסוֹבִי	תָּסוֹב 2.

Præteritum convenit etiam cum iis, quorum prima eſt נ, fitque pro נָסַב, נָסַבְתָּ, נָסַבְתְּ, נָסַבְתִּי: tertia deinde perſona tam ſingularis, quàm pluralis habet etiam vel gholem loco -, nempe נָסַב vel נַסַּב pro נָסַב & נָסְבִי, vel נָסְבוּ pro נָסַבִי & נָסַבּוּ.

Verbum Intenſivum analogum ſæpe eſt, ut כִּתֵּת *contundere*, חִלֵּל *profanare*, & כִּהָה *obtundere*, *cruſtâ tegi*; ſed ſæpiùs primam duplicat, eam literæ geminatæ interponendo, (ut סִכֵּךְ *obtegere* loco סָכַךְ, & גִּלְגֵּל *revolvere* loco גָּלַל) & præcipuè ſi Verba geminantia ſint ſecundæ, tertiæ, vel quartæ Conjugationis, ut מִאֵמֵּא Intenſivum Verbi ſecundæ מָאָא *verrere*, & לִהֵּה tertiæ לָהָה *fatigari*, & שִׁעֲשַׁע quartæ שָׁעַע *delectari*, *ludere*, & denique תִּעֲתַּע ex תָּעַע *illudere* & עִרְעֵר ex עָרַר *ſolum eſſe*. At plerumque tam Activum, quàm Paſſivum cum Intenſivis ſextæ Conjugationis convenire videntur. Nam, ut ex קוּם fit Activum קוֹמֵם, & Paſſivum קוֹמַם, ſic ex סוֹב fit Intenſivum סוֹבֵב, & ejus Paſſivum סוֹבַב.

Derivatum vix analogum obſervatur; Infinitivum habet ut plurimum הָסֵּב, vel הָסַּב, & הַסֵּב. Hinc

Præ

Præteritum הִסַּב vel		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הֻסַּבָּה	הֻסַּב 3.	f. הָסֻבִּי	הָסֻב f.		אָסֻּב 1.
הֻסַּבּוֹת	הֻסַּבּוֹת 2.	הָסֻבֶּינָה	הָסֻבּוּ pl.	תָּסֻבִּי	תָּסֻב 2.
	הֻסַּבּוֹתִי 1.			תָּסֻב	יָסֻב 3.
	הֻסַּבּוּ 3. pl.			pl.	נָסֻב 1.
תֵּן	הֻסַּבּוֹתֶם 2.				תָּסֻבּוּ 2.
	הֻסַּבּוּנוּ 1.			תְּסֻבֶּינָה	יָסֻבּוּ 3.

Futuri ֻ hic etiam, ut in ſimplici, compenſari ſolet, ſumiturque pro אָסֻּב, אֲסֻבּ: deinde accentu ad primam translato ֻ mutatur in ֹ, ut יָסֹךְ לָךְ *obtegat te*. Hujus Paſſivum Infinitivum habet הוּסַּב, תּוּסַּב, & הֻסַּב, & cum ה paragogico הָסַּבָּה, mutando וּ in ֻ ghatuf.

Præteritum.		*Imperativus.*		*Futurum.*	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הוּסַּבָּה	הוּסַּב 3.	הוּסַּבִּי	הוּסַּב f.		אוּסַּב 1.
ות	הוּסַּבּוֹת 2.		&	תּוּסַּבִּי	תּוּסַּב 2.
	הוּסַּבּוֹתִי 1.	הֻסַּבִּי	הֻסַּב	&c.	
&		הוּסַּבֶּינָה	הוּסַּבּוּ pl.	vel	
הֻסַּבָּה	הֻסַּב				אֻסַּב 1.
&c.				תֻּסַּבִּי	תֻּסַּב 2.
				&c.	

Reciprocum paradigma ſextæ Conjugationis imitatur plerumque, quæ autem ſecundæ, tertiæ, & quartæ Conjugationis ſunt, plerumque de ſuo Intenſivo formantur, ut הִשְׁתַּעְשֵׁעַ *delectare ſe*, הִתְלַהְלַהּ *fatigare ſe*, הִתְמַהְמָה *ſe diu detinere*. At שָׁחַח *opprimi*, & כָּהַה *claudi*, *obtundi* paradigma ſextæ ſequuntur.

Atque ex his apparet, Verba hæc Defectiva facilè posse confundi, ità ut sæpè hujusmodi Defectiva occurrant, de quibus dubites, num eorum thema sit secundæ, vel tertiæ, vel quintæ, vel sextæ Conjugationis: cujus rei causam hîc paucis ostendam. Nam eâ cognitâ hæc vobis longè clariora fore credo.

Omne Defectivorum genus literam deficientem compensare solet, literam secundam, vel tertiam thematis geminando. Ex. gr. בָּוָא secundæ Conjugationis est, & significat *prædari*; sed sæpius א omittitur, ejusque loco duplicatur media, fitque בָּזַז, vel בוז. Sic etiam Verbum secundæ Conjugationis זָכָה significat *purum esse*; sed sæpiùs loco ה duplicatur media, fitque זָכַךְ; unde fit, ut hoc Verbum jam tertiam Conjugationem, jam geminantia imitetur, ut סְלָה & סִלְסֵל, חָרָה & חַרְחֵר & ut Verba geminantia Infinitivum tertiæ etiam imitentur, ut שָׁמוֹת *desolare*, pro שָׁמֵם vel שׁוּם, חָמוֹת *calefieri* pro חָמֵם vel הוּם & sic alia. Sic etiam Verbum quintæ יָזַם significat *cogitare*, *deliberare*; sed sublato, compensatur per זָמַם, ut & חָמַם, vel חוּם, pro יָחוּם *calefieri*, & רוּק pro יָרוֹק *spuere*, &c. Unde fit ut Verba hæc geminantia quintam etiam Conjugationem imitentur. Sic Verba sextæ tertiam thematis geminando pro שׁוּךְ fit שָׂכַךְ *tegere* & pro מָם *liquefieri* fit מָסַס vel מוּס, & צָר *ligavit* fit צָרַר. Et hinc fit, ut sextam etiam Conjugationem imitentur, (quâ de re vide etiam, quæ cap. 25. in fine notavimus) & vice versâ illa hæc geminantia, eorum præsertim Intensiva, quæ etiam non rarò primam thematis, ut hæc geminantia solent, duplicant. Nam פּוּר Intensivum habent פִּרְפֵּר. Atque huc referenda etiam sunt Defectiva primæ נ. Nam pro נָאַר *exsecrari* fit אָרַר *maledicere*, ut ex נָקַב *pronunciare* fit קִבֵּב, & ex נָצַל fit צָלַל: unde futuri tertia pluralis fœminina habet תְּצַלֶּינָה & תְּצַלֵּלְנָה *tinnient*, & sic pro נָשַׁם fit שָׁמֵם *desolare*, & ad hunc modum alia; unde fit, ut hæc geminantia,

& omnia

& omnia Defectiva jam hanc, jam aliam Conjugationem imitentur: quod hîc hujus linguæ ſtudioſos monere operæ pretium duxi. Nam his notatis poterunt certâ methodo, & abſque hæſitatione omnia defectivorum Verborum themata inveſtigare.

CAP. XXXII.

De Verbis Deponentibus, & de Verbis Quadratis, & obiter de compoſitione Verborum, Modorum & Temporum.

DEponentia duo, vel tria tantùm dantur ſimplicia, nempe נִשְׁבַּוּעַ *jurare*, נִלְחַם *pugnare*, & fortè etiam נִשְׁעַן *fultum eſſe*. Dico expreſsè ſimplicia, nam intenſiva, vel derivata, vel reciproca nulla dantur, quæ formam Paſſivi, & Activi ſignificationem habeant. Et ideò נִשְׁבַּע *jurare*, derivatum habet הִשְׁבִּיעַ *jurare facere*, cujus tam ſignificatio, quàm forma eſt Activa.

Verba præterea, quæ pluribus, quàm tribus, conſtant literis, plura numerantur, quàm ego probare auderem, ut ſunt פַּרְשֵׂז pro פּוֹרֵשׂ *expandens* (vide Jobi 33. ℣. 9.) & יְכַרְסְמֶנָּה pro יִרְמְסֶנָּה *conculcabit eam*. (vide Pſalm. 80. ℣. 14.) & מְכֻרְבָּל pro מְחֻגָּר *cinctus, indutus* (vide Paral. cap. 15. ℣. antepenult.) Nam hoc ultimum formatum videtur ex nomine Chaldæo כַּרְבְּלְתָּא, quod ſignificat *pallium*, vel *pileum colore rubeum*, vel *galli gallinacei criſtam*. Priora autem vitia exemplarium eſſe, mihi facilè perſuaderem. Nam non niſi ſemel occurrunt, nec ullum primitivum novimus, ex quo deriventur, & Verbum, quod communiter eâ ſignificatione uſurpatur, videntur referre.

Sed his conjecturis omiſſis hoc in genere notemus, nonnulla obſervari Verba, quæ præter characteriſticas Verbi, Temporis, vel Perſonæ plures, quàm tres literas habeant, niſi in-

tenſiva, quæ ex Nomine aliquo ſubſtantivo, vel adjectivo formantur. (Diximus enim ſupra cap. 16. hæc Verba tam ex Verbo ſimplici, quàm ex Nomine formari) ex. gr. ex חֲצֹצְרָה *tuba* fit חִצְצֵר *tubâ clangere*, ut ex חֲמַרְמַר diminutivum ex חָמַר fit חֲמַרְמַר *lutulentus factus eſt.* Sic ex יְפֵיפָה diminutivum ex יָפֶה *pulchra*, fit יְפֵיפִיָּת *pulchrior factus es.* Quæ ex monoſyllabis formantur, intenſiva geminantium, vel ſextæ Conjugationis imitantur, קַרְקֵר *parietem demoliri*, quod formatur ex קִיר *paries*, ſicut שֵׁרֵשׁ *eradicare* ex עֵרֶשׁ *radix.* Quâ de re vide cap. 16. Sed de his ſatis.

Supereſt, ut, quæ ad Verborum Conjugationem ſpectant, abſolvam, pauca de compoſitis addam. Verba compoſita à Grammaticis vocantur illa, quæ ex duobus Verbis diverſæ Conjugationis, vel ex duobus ejuſdem thematis, vel quæ ex Nomine, Participio, & Verbo componuntur; quibus præterea addere ſolent alia, quæ ſimul duos modos, vel duo tempora exprimunt. ex. gr. quintæ & ſextæ Conjugationis duo compoſita reperiuntur, nempe הוֹשְׁבוֹתִי, quod componitur ex יָשַׁב, *ſedere*, & שׁוּב *redire*, aliàs deberet eſſe vel הוֹשַׁבְתִּי ex יָשַׁב, vel הֲשִׁבוֹתִי ex שׁוּב: alterum eſt הֵיטִיבוֹתָ quod componitur ex יָטֵב, & טוֹב *bene eſſe*, quòd aliàs deberet eſſe vel הֵיטַבְתָּ ex יָטֵב, vel הֲטִיבוֹתָ ex טוֹב. Primum duos ſenſus ſimul exprimit, & ambos indicare Propheta voluiſſe videtur; at ſecundum quoquo modo ſumatur idem exprimit; ideoque non dubito, quin nobis alia quintæ & ſextæ Conjugationis Verba ad hunc modum componere liceat.

Sed præter hæc alia Grammatici notant partim ex ignorantiâ, partim exemplarium mendis decepti, ut (Jer. 22. ℣. 24.) אֶתְקָנֶךָּ quòd putant compoſitum eſſe ex נָתַק *evellere* & תָּכַן *adaptare*, cum tamen נ ante affixum in futuro non rarò abundet. At (Jer. 15. ℣. 10.) מְקַלְלֵנִי pro מְקַלְלֵנִי ſanè vitium feſti-

festinantis calami videtur. Et ad hunc modum, sed maximè ex ignorantiâ plura notant composita ex duobus ejusdem thematis Verbis, ex. gr. נִכַּפֵּר *dabit se expiandum*, נִוָּסְרוּ *dabunt se disciplinandum*, & נִשְׁתַּוָּה *æqualis facta est*, composita esse credunt ex Passivo simplici, & reciproco, quia reciproci Passivum planè ignoraverunt, ut jam cap. 21. ostendimus, sic יוֹלֶדֶת, שְׁכֻנַת, יוֹשֶׁבֶת & מְקֻנַּת composita ex Participio, & Præterito absque ullo fundamento putant. Nam quisnam ipsos docuit Participium non posse, ut Præteritum, terminari, & pro יוֹשֶׁבֶת non posse dici יוֹשַׁבְתְּ, at מִשְׁתַּחֲוִיתֶם pro מִשְׁתַּחֲוִים (Ezech. cap. 8. ℣. 16.) vitium sanè festinantis calami videtur. Compositum denique ex Præterito, & Futuro notant תָּבֹאתִי pro תָּבֹא, nec vident, quòd hujus Futurum ה paragogicum ob additam syllabam in ת mutet, ut jam cap. 27. monuimus. Sed nolo studiosos similibus delassare; sed contrà monere, ne de his multùm sint solliciti.

CAP. XXXIII.

De Nomine Participio.

PArticipia Adjectiva sunt, quæ actionem, vel omne quod Verbo significari solet, tanquam rei affectionem, vel modum cum relatione ad tempus exprimunt. Unde fit, ut tot Participiorum, quot Verborum dentur genera, nempe simplicia, intensiva, derivata, & reciproca, eaque tam Activa, quàm Passiva.

Formantur autem ex suis Verbis hoc modo. Nempe simplex פָּקַד formulam etiam פֻּקַד habere, & Participium eam sibi vindicare diximus. Est itaque Participii simplicis masculinum פּוֹקֵד & cum י paragogico פּוֹקְדִי fœmininum פּוֹקֶדֶת, vel פּוֹקֵדֶת, & cum תִּי paragogico פּוֹקַדְתִּי. Ex Passivo dein-

de נִפְקָד fit masculinum נִפְקָד & cum י paragogico נִפְקָדִי; fœmininum נִפְקָדָה vel נִפְקֶדֶת.

Ex Intensivo פִּקֵּד fit masculinum מְפַקֵּד, fœmininum מְפַקֶּדֶת vel מְפַקְּדָה; & ex ejusdem Passivo פֻּקַּד fit masculinum מְפֻקָּד &c. vel פָּקֻד, fœmininum פְּקֻדָּה vel פְּקֻדַּת vel פְּקֻדֶּת &c.

Sic ex derivato הִפְקִיד fit masculinum מַפְקִיד, fœmininum מַפְקִידָה, & ex ejusdem Passivo הָפְקַד vel הֻפְקַד fit masculinum מָפְקָד vel מֻפְקָד &c.

Et denique ex reciproco הִתְפַּקֵּד fit masculinum מִתְפַּקֵּד &c. Reciproci passivi nullum exstat Participium præter מִתְנוֹאָן, vel (compensato ת per dagesch) מִנּוֹאָן, cujus characteristica מִת formam Activi, & Verbum נוֹאָן formam Passivi habet contra communem hujus Verbi usum; (de quo vide cap. 21.) & ideò de eo nihil statuere audeo.

Participia præterea simplicia, quæ ex Verbis neutris formantur, Infinitivi formulam פָּקֹד usurpare solent, ut יָשֵׁן *dormiens*, דָּבֵק *adhærens*, &c.

Participia deinde Passiva simplicia sæpius ex suo Activo formantur, fitque ex פָּקוּד (mutando gholem in וּ) פָּקוּד *visitatus*. Sed hæc sæpiùs in Adjectiva degenerant.

Atque hæc voco Participia, quatenus modum significant, quo res aliqua in præsenti affecta consideratur. Verùm hæc ipsa non rarò in pura Adjectiva rerum attributa significantia degenerant, ex. gr. סוֹפֵר Participium est, quod significat *hominem numerantem* hoc est, *qui jam in numerando est occupatus*; sed plerumque ut attributum absque ulla ad tempus relatione usurpatur, significatque *hominem, qui officium habet numerandi*, nempe *scribam*. Sic שׁוֹפֵט significat *hominem, qui in judicando est occupatus*, at plerumque attributum est hominis, qui officium habet judicandi, hoc est, idem valet, quod apud Latinos *Judex*. Sic Participium Passivum נִבְחָר (*electus*, hoc est, *homo*

mo vel *res*, *quæ jam actu eligitur*) sæpiùs attributum est rei præstantis, videlicet rei omnibus eligendæ, & ad hunc modum Participia intensiva, & reliqua sæpè in attributa, hoc est, in Adjectiva, quæ nullam ad tempus habent relationem, degenerant.

Ex numero deinde Participiorum secludenda etiam credo simplicia, quibus præpositum est מ, ut sunt מְשׁוֹפֵט *judicator*, מְלוּשָׁן *læsor linguâ*, nisi potiùs statuere velimus, quòd simplicia, ut intensiva, & reliqua characteristicam מ habuerint, & quòd posteri idem in simplici neglexerint; vel fortè Participia intensiva sunt ex simplici formata, idque quia eorum themata intensivo carent Verbo. Hæc de Participiis in genere, deque iis, quæ ex Verbis primæ formantur.

Ex Verbis secundæ formantur masculina, ùt præcedentia; at fœminina geminum segol non habent; sed א ut plurimum quiescit, & loco מְצָאָה, נִמְצָאָה &c. fit מְצֵאת, נִמְצֵאת &c. At simplex est etiam מְצֵאת.

Solent præterea hujus Conjugationis Participia א negligere, & absolutè ea omnia patiuntur, quæ eorum Verba pati diximus.

Participia tertiæ sæpiùs pro .. habent segol, ut גֹּלֶה; fœmininum vel ה negligit, ut גֹּלֶה pro גֹּלָהָה, vel idem in י, & : in ghirek mutat, ut פּוֹרִיָה *fructificans*.

Adjectiva hujus, & secundæ Conjugationis, quæ formam פָּקוּד imitantur, mutant א vel ה in י, ut מְצוּי *existens* vel *inventus* ex מָצָא, & גָּלוּי *manifestus* ex גָּלָה. Nec opus habeo omnia uniuscujusque Conjugationis Adjectiva hîc sigillatim notare, quandoquidem Verborum ex quibus formantur, regulas sequuntur.

Quæ ex Verbis, quorum prima est נ, formantur, formam Verbi imitantur, hoc est, si præteritum נ thematis careat, eodem

dem etiam Participium carebit, & contrà si Præteritum analogum fuerit, erit etiam Participium analogum. Ex. gr. Activum simplex נָגַשׁ Præteritum habet נָגַשׁ, & Participium נוֹגֵשׁ, utrumque scilicet analogum; at reciprocum הִנָּגֵשׁ Præteritum habet הִנָּגֵשׁ, & Participium מִנָּגֵשׁ, utrumque scilicet defectivum. Quæ verò ex defectivis geminantium formantur, Activum simplex regulare habent סוֹבֵב: at reliqua Præteritum imitantur Verbi: Nempe ex Passivo simplici נָסַב fit masculinum נָסָב, fœmininum נָסַבָּה, & ex Intensivi סִבֵּב fit מְסוֹבֵב, & ex סוֹבַב fit מְסוֹבָב, & sic ex derivati Præterito הֵסֵב fit מֵסֵב, & ex מוֹסַב fit מוֹסָב, & denique ex reciproco הִסְתּוֹבֵב fit מִסְתּוֹבֵב. Cæterùm flexio Participii ex singulari in pluralem communes Nominis sequitur regulas, de quibus vide cap. 6.

Reliqua desiderantur.

FINIS.

INDICULUS CAPITUM

Grammatices Hebrææ.

Cap. I. De literis, & vocalibus in genere pag. 1.
Cap. II. De literarum figurâ, poteſtate, nominibus, claſſibus, & proprietatibus pag. 2.
Cap. III. De vocalibus, de earum ſcilicet figurâ, nomine, poteſtatibus, & proprietatibus pag. 4.
Cap. IV. De Accentibus pag. 8.
Cap. V. De Nomine pag. 17.
Cap. VI. De Flexione Nominis ex ſingulari in pluralem pag. 18.
Cap. VII. De Genere Maſculino, & Fœminino pag. 23.
Cap. VIII. De Regimine Nominis pag. 25.
Cap. IX. De Duplici Nominis uſu, deque ejus Declinatione pag. 36.
Cap. X. De Præpoſitione, & Adverbiis pag. 41.
Cap. XI. De Pronomine pag. 44.
Cap. XII. De Nomine Infinitivo, nempe de variis ejus Formis, & Speciebus pag. 54.
Cap. XIII. De Conjugatione pag. 56.
Cap. XIV. De primâ Verborum Conjugatione.
Paradigma Verbi Activi ſimplicis pag. 60.
Cap. XV. De Verbo Paſſivo pag. 65.
Cap. XVI. De Verbo Dageſchato, ſive Intenſivo, & quidem de ejus Activo pag. 68.
Cap. XVII. De Verbo Intenſivo Paſſivo pag. 71.
Cap. XVIII. De Verbo Derivativo, ſignificatione Activâ pag. 72.
Cap. XIX. De Verbo Derivativo Paſſivo pag. 74.
Cap. XX. De Verbo Reciproco Activo pag. 75.
Cap. XXI. De Verbo Reciproco Paſſivo pag. 77.
Cap. XXII. De Verbis ſecundæ Conjugationis pag. 79.
Cap. XXIII. De Verbis tertiæ Conjugationis pag. 81.
Cap. XXIV. De Verbis quartæ Conjugationis pag. 86.
Cap. XXV. De Verbis quintæ Conjugationis pag. 87.
Cap. XXVI. De Verbis compoſitis ex hâc quintâ, & tribus præcedentibus Conjugationibus. pag. 91.
Cap. XXVII. De Verbis ſextæ Conjugationis pag. 92.
Cap. XXVIII. De Verbis ſeptimæ Conjugationis pag. 97.

Cap. XXIX. De Verbis octavæ Conjugationis pag. 99.
Cap. XXX. De Verbis Defectivis pag. 100.
Cap. XXXI. De altero Defectivorum genere pag. 103.
Cap. XXXII. De Verbis Deponentibus, & de Verbis Quadratis; & obiter de Compositione Verborum, Modorum, & Temporum pag. 107.
Cap. XXXIII. De Nomine Participio pag. 109.

Loca quædam S. Scripturæ, quæ in hoc Compendio vel notantur, vel explicantur.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
Genes.		
VIII.	17.	90.
XXXII.	8.	24.
Levit.		
XI.	44.	77.
XX.	7.	
XXI.	5.	65.
Numeror.		
VI.	5.	62.
XXIII.	24.	69.
XXVIII.	20. 28.	15.
Deuteron.		
XII.	1.	15.
XIII.	11.	15.
XXI.	7.	64.
	8.	79.
XXIV.	47.	78.
XXXII.	50.	75.
Josuæ		
X.	24.	64.
Ruth		
III.	3.	63.
1 Samuel.		
VI.	12.	61.
2 Samuel.		
V.	10.	62.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
1 Paralip.		
XV.	27.	107.
Hgezr.		
X.	16.	63.
Job.		
I.	5.	43.
IX.	4.	26.
XXI.	2.	74.
XXXI.	8.	70.
XXXIII.	9.	107.
Psalm.		
LXXII.	20.	85.
LXXX.	14.	107.
Proverb.		
VIII.	23.	42.
XXII.	21.	41.
XXIV.	31.	85.
Esaïas		
VII.	18.	15.
XIX.	6.	87.
XXXIII.	1.	62.
XL.	24.	70.
XLVII.	14.	62.
LXIII.	3.	74.
Jerem.		
XII.	2.	70.

Cap.	Vers.	Pag.
XV.	10.	108.
XXII.	24.	108.
XLIX.	16.	73.
Ezech.		
VIII.	16.	109.
X.	2.	42.
XXIII.	48.	90.
XXXII.	19.	74.
XXXVIII.	23.	77. 78.
Daniel.		
VIII.	22.	61.
Hoseas		
XI.	3.	73.
Joel		
III.	11.	67.

INDICULUS RERUM.

Numerus denotat paginam.

A.

Abraham de Balmes notatur. 6.
Accentus Hebræi Studiosos lassant. 8.
Eorum inventor cur fortè tantum numerum introduxit. 9.
Quando introducti, & cui rei inserviunt. 9.
Comma significans quam vim habeat. 10.
Eorum ordo, & quî in versu collocandi. 10.
Serviles attollunt, vel deprimunt syllabam. 11.
Polysyllaba duos habent. 12.
Duplici cur dictio notetur. 15. seq.
Actio variè Hebræis exprimitur. 55. 56.
Actiones Hebræi tantùm ad præteritum, & futurum referunt. 57.
Adjectiva. Vide Nomina.
Adverbia sunt Nomina; sunt quasi Verborum adjectiva; Substantivantur. 43.
אֵת Præpositio semper Accusativum regit. 37.
Æternum vocula quo pacto Hebraicè exprimatur. 42.
Atnagh vires & usus. 10.
Atnagh & Silukh quando dictiones in Millerehgl & Millehgel mutent. 16.
Præcedentis Accentûs proprietates tollit. *ibid.*

C.

Conjugationes quid; malè in septem dividuntur; eas Auctor in Octo dividit; earum signa Diagnostica. 59.

D.

Dialecti in S. S. variæ sunt. 4.
Et in S. S. confunduntur. 26.
Diphthongi quid valeant. 5.

F.

Futurorum temporum formatio. 58.
Ea ab Infinitivo formantur. 64. 71.
Habent ה & נ paragogica. 65.

G.

Ghgja quid; ubi negligatur. 11. 12.
Syllabam producit. *ibid.*
Quæ voces duplex habeant. 13.
Ghain ע & He ה ante aliud scheva corripiendum non recipiunt aliud scheva. 86.
Gutturales inter duas vocales non duplicantur. 3. 97.

Nunquam ſub ſe habent ſcheva pronunciandum. 8.

H.

HE ה cum patagh uſus; cur ה notitiæ dicatur; nunquam Nomini genitivum regenti præfigitur; in quibus vocibus locum habeat. 36.
Quid efficiat. 39.
Eleganter negligitur. *Ibid.*

I.

INfinitivus *Modus* eſt Nomen; nullum tempus agnoſcit. 17.
Habet varias Formulas. 28.
Et quot. 62.
Ejus mutationes. 55. 56.
Infinitivi ad agentem ſunt ſex. 56.
Species ſeptima. *ibid.*
Eorum formulæ ſunt quaſi adjectiva Subſtantivata: 57. ſeq. 60.
Ut Nomina declinantur; eorum caſus quomodò indicentur. 61.
Iis ה & ג additur. 62.
Subinde participii formam habent. 69.
Imperativi formatio. 58.
Pro Futuro, & quando uſurpetur. 58. 64.
Habet ה paragogicum. 64.

K.

KAmets ante Segol pro Segol uſurpatur. 34.
Kibuts loco Schurek venit. 14.
Kibuts & kamets chatuph idem valent. 71.

L.

LItera quid. 1.
In quinque ordines Hebrææ dividuntur. 3.
Unius organi inter ſe commutantur. 4.
Litera ל eſt paſſivi Characteriſtica univerſalis. 79.
Unius thematis ſæpe tranſponuntur. 91.

N.

NOmen quid. 17.
Ejus ſex ſunt ſpecies. 18.
Proprium unum individuum ſignificat. 18.
Adjectivum duabus terminationibus indiget. 27.
Omne genus Nominis denotat. 34.
Genitivum regit vel regitur. 34.
Proprium Genitivum non regit. *ibid.*
Appellativum varia ſignificat. 36.
Nomina apud Hebræos quæ ſint. 35.
Sunt ferè omnes Hebrææ voces. 17.
Eorum genera recenſentur. *ibid.*
Cur in Maſculina & Fœminina ſint diviſa. 18.
Ex Singulari in Pluralem ut mutentur. *ibid.*
Neutra ſicut Fœminina declinantur. 19.
In plurali quomodò ſyllabas mutent. 20. ſeq.
Ex ſingulari in dualem. 23.
Maſculina Fœminina, & Communia quæ ſint. 23.
Maſculina & Fœminina quænam. 24.
Adjectiva quo pacto evadant Fœminina. 24.
In ' deſinentia quo pacto in plurali habeant. *ibid.*
In Statu regiminis unde mutationes patiantur. 27.
Subſtantiva. 25.
Ea res abſolutè indicant. 27.
Propria nunquam in Statu Regiminis reperiuntur. *ibid.*
Apud Hebræos caſus non declinantur. 36.
Infinitiva quid exprimant. 54.
Accuſativum regunt. 60.

P.

PArticipiorum Formulæ. 29. ſeq.
Ea ſunt Adjectiva. 109.

Quot

Quot ſint genera : qui formentur. *ibid.*
Quænam ex eorum numero excludenda. 111.
Quomodò flectantur. 110.
Paſſivis Hebræi compendii cauſâ utuntur. 78.
Perſona tertia præteriti unde dignoſcatur. 57.
Polyſyllaba duos, treſque habent accentûs. 12.
Præpoſitio את ſemper accuſativum regit. 37.
Præpoſitiones ſunt Nomina. 37.
Caſibus præfigendi eleganter omittuntur. 41.
Eorum ſignificatio. *ibid.*
Habent Pluralem. 41.
In Statu Abſoluto quid ſint; in Statu Regiminis poſitæ declinantur. 42.
Præteriti ſingularis & pluralis formationes. 63.
Tertiæ pluralis ן additur. 64.

R.

R ר inter duas vocales non duplicatur. 3.
Regimen quid; quomodò in eo vocales mutentur. 26. ſeq.
Idem ac ה notat. 39.
Res duobus modis conſideranda. 25.

S.

ס pro ש uſurpatum. 4.
S *Cheva* quando pronuncietur. 7.
Eo Monoſyllaba carent; correptum & breviſſimum. *ibid.*
Mobile propter Atnagh, vel Silukh in Kamets mutatur. 77.
Duo nunquam initio dictionis concurrunt. 8.
Schurekh ex gholem, & kibuts componitur. 33.
Silukh non ſemper orationem finit. 9.
Subſtantiva apud Hebræos quæ ſint. 25.
Syllabæ quænam attollendæ, vel deprimendæ. 12.

T.

T *Sere* eſt ſonus ex A & I compoſitus. 4.

V.

V *Au* ו non eſt vocalis; valet I. pag. 2.
Quomodò reddatur quieſcens. 34.
Verbum derivatum unde fiat. 72.
Dageſchatum Verbum ſimplex intendit. 68.
Simplex Neutrum datur. 70.
Verba apud Hebræos ſunt Adjectiva. 62.
Compoſita quæ ſint. 91.
Quædam in initio י & ן habent. 90.
Quorum prima eſt ן ſunt plerumque defectiva. *ibid.*
Intenſiva mediam thematis duplicant; defectiva quæ. 100.
Defectiva literam deficientem quî compenſent. 106.
Deponentia quæ ſint. 107.
Compoſita quænam. 108.
Dageſchatis ה additum quid innuat. 69.
Vocales apud Hebræos non ſunt literæ. 1.
Earum diviſio, & ſignificatio. 6.
Duæ longæ in eâdem Dictione ſine Gahgja non dantur. 13.
Voces Hebrææ ferè omnes ſunt Nomina. 17.

FINIS.

Sphalmata in Propoſitionibus Ethices emendanda.

Pag.	*Lin.*		*Lege*
33	17	per Prop. 25.	per Coroll. Prop. 25.
66	22	per Coroll. Prop.	per Prop. 16.
69	6	Prop. XIX.	XXIX.
82	25	per Prop. 4. hujus.	per Prop. 41. hujus.
117	19	per Prop. 9. hujus.	per Schol. Prop. 9.
124	22	per Prop. 27. hujus.	per Prop. 7. hujus.
147	24	connexionem	connexionē. Vide Prop. 52. cum ejuſd. Schol.
155	3	& 34. hujus.	& 54. hujus.
171	6	per Axioma 1. hujus.	per Axioma hujus.
186	2	per Axioma 3.	per Axioma hujus.
193	32	per Prop. 34. hujus.	per Prop. 33. hujus.
201	17	per Prop. 33. p. 3.	per Prop. 43. p. 3.
205	14	Prop. 55. p. 3.	Prop. 53. p. 3.
208	12	Vid. Schol. Prop. 35.	Vid. Schol. p. 55.
213	8	per Prop. 43. &	per Prop. 43. p. 2. &
239	6	Prop. 36. p. 3.	per Prop. 36. p. 1.
243	11	Prop. 37. p. 4.	per Prop. 27. p. 4.

Sphalmata corrigenda.

Pag.	*Lin.*			*Lege.*
5	17		ejuſdem attribut	ejuſdem attributi,
9	7		quæ	quia.
12	13		conſequente	conſequenter.
	20		abſonullutè	abſolutè.
20	2		(per Prop. 15.) quod	(per Prop. 15.) adeoque (per Coroll. 1. Prop. 6. hujus) Deus rerum, quæ in ipſo ſunt, eſt cauſa, quod.
26	15		non	nec
39	20		in Natura	in naturâ ortæ?
59	6	ſurſum numerando	humanis	humani.
69	7	ſurſum	unuſquiſque videre	unusquiſque facilè videre
81	26		æquè celerius	æqué celeriter
93	6		Deoque	Deique
193	6	ſurſum	preclara	præclara.
105	12		primatium	primarium: nam
111	16		dubitamus	dubitavimus.
115	21		ſequitur	ſequitur hæc
120	12		ſupponimus	ſupponimur.
131	14		cujuſdam	ejuſdem.
135	11		timidius	timidus.
139	9		becillitatem	imbecillitatem.
148	7		prorietatis	proprietatis.
156	19	ſurſum	homeſtum	honeſtum.
169	6		ullas	nullas.
171	15	ſurſum	affectionis	affectione
202	6		videntus	videmus.
208	24	ſurſum	nulli ad	nulli magis ad

Pag.	*Lin.*			*Lege*
210	2		virendi	vivendi.
227	11. 12		facultas ingenii limitatior	facultas limitatior.
230	4		officio	officio ſuo
235	9		producuntur	ita Auctor ſcripſerat, NB. produ-
ibid.	2	ſurſum	portiuncula	portiunculæ.
241	19		rem aliquam abſentem	rem aliquam ut abſentem
262	6	ſurſum	qarta	quarta.
263	11		Pietas igitur &c.	Pietatem igitur & Religionem
276	33		Art. 6.	Art. 16.
278	9	ſurſum	dari	dantur.
282	22		qualis	qualem.
283	2		merentur	mereatur
ibid.	18		ptæter	præter
286	19		ducendi	conducendi.
288	12		reum quemcunque	reo cuicunque
309	ult.		capia	capiat
311	17		dubitari	dubitare.
315	10		omibus	omnibus
326	7	ſurſum	ſtipiendium	ſtipendium.
346	3		Art. 16.	Art. 6.
349	14		habet	habent.
353	7		videbantur	videbuntur.
381	3	ſurſum	uunquam	nunquam.
401	7		artibuta	attributa.
402	ult.		accipi	accepi.
411	21		videtur	videtur.
412	15		uno altero	uno & altero.
425	penult.		expreſſimis	expreſſiſſimis.
437	ult.		Auroutus	Auzoutus.
441	15		ſequitur	ſequi.
501	14		aminitus.	animitus.
510	21		dependent	dependeant.
544	ult.		diſſrtationis	diſſertationis.
558	6	ſurſum	ſignariſſimos	ignariſſimos
560	2		poſſint fiere	poſſent fieri.
571	10	ſurſum	Harpyæ	Harpyiæ.
604	7		imcomprehenſibilia	incomprehenſibilia.

Errata in Compendio Grammatices Hebrææ.

PAg. 3. lin. 21. lege פִּקְקֵד Pag. 11. lin. 19. lege אֱלֹהִים. *Ibid.* lin. 29. lege עֹשֶׂה Pag. 12. lin. 25. lege שִׁמְרִים Pag. 25. lin. 26. lege propterea. Pag. 34. lin. 18. lege ־ִם Pag. 38. lin. 22. lege לְאֵל גָּדוֹל Pag. 39. lin. 18. lege בְּל־ Pag. 46. lin. 15. lege בֵּית Pag. 49. lin. 19. lege עוֹר Pag. 54. lin. 11. lege הַזֹּאת Pag. 60. lin. 9. lege in eâ. Pag. 64. lin. 16. lege אֲנַחְנוּ Pag. 69. l. 26. lege ſumptum. Pag. 77. l. 7. poſt Sanctum dele & *Ibid.* lin. 18. lege הִנֵּבֵא Pag. 85. lin. 8. lege opertæ. Pag. 86. lin. 9. lege ut שְׁמַע Pag. 89. lin. 1. lege יִבַּשׁ Pag. 90. lin. 23. lege וְנוֹסְרוּ Pag. 94. lin. 9. lege *f.* רִיבוֹת Pag. 95. lin. 10. lege *f* תְּקוֹמְמִי Pag. 97. lin. 8. lege 2 הַבִּיאוֹתָ Pag. 98. lin. 3. & ſeq. loco ץ pone ו *Ibid.* lin. 20. lege נְאֻזָּרֶת Pag. 99. lin. 10. lege הָאוֹר Pag. 100. lin. 7. lege נֵעֵר Pag. 104. lin. 12. lege נָמֵב Pag. 108. lin. 7. lege יְהֹה Pag. 109. lin. 4. lege פֹּקֵד Pag. 110. lin. 5. lege מְפֻקָּדָה Pag. 112. lin. 11. lege תּוֹכֵב

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Ideas fundamentales Spinosae de Deo, de homine, eiusque corpore, mente, mentis vnione cum corpore, sensibus adfectibus exposuit P. Poiretus Cogit. Rat. de Deo. lib. III. cap. XX. §. 6. in notis p. 478. vbi est exactissima refutatio.